M. ANNAEI LUCANI

PHARSALIA.

M. ANNAEI LUCANI

PHARSALIA.

CUM COMMENTARIO CRITICO EDIDIT

C. M. FRANCKEN.

ADIECTAE SUNT LUCANI VITAE ANTIQUAE.

Vol. II continens libros VI—X.

LUGDUNI BATAVORUM
APUD A. W. SIJTHOFF.

PRAEFATIO.

Nihil minus ab initio huius operis quaesitum est, quam ut omnes interpretationes propositas aut fortasse excogitandas excuterem. Ipsa inscriptione libri aliud demonstratur: enarratio non amplius erat adsciscenda quam ad crisin factitandam requirebatur, quoties probandum erat locum quendam inextricabiles difficultates interpreti offerre et propterea suspectum esse, aut contra probabilem continere sententiam, ut correctiones tentatae reicerentur. In libro primo v. 259 silentium Ariminensium comparatur cum autumni silentio; tum nullam vocem aves emittunt, rura silent „mediusque iacet (vel: tacet) sine murmure pontus". Hic ut locum corruptum ostenderem, solam interpretationem, quae non prorsus improbabilis esset, ex Haskinsio petivi; omisi addere alias, nec dixi „medius pontus" non esse nomen proprium, ratus rem peritis iudicibus per se claram futuram; opinio me fefellit, fuit qui illud desideraret. Vel si „medius pontus" posset esse nomen proprium, tamen ab hoc loco tam id alienum esset quam si quis diceret e. g. in valle Helvetica fuisse gratum silentium et adderet Hadriam quievisse. Censor qui se appellat *Π*, cuius nomen indagare minus utile esset quam quadraturam circuli, divino, opinor, instinctu monuit regionem a poeta descriptam iacere *in Africa*; ergo aves et rura vicinia non dabat? Alius paulo modestior non desideravit totum spatium inter Africam et Romam, sed dimidio contentus fuit. Hominem *Π* delectat mea coniectura: „mersus Pontus"; in quo valeat proverbium: iure

ridebit qui ultimus. Neuter legisse videtur locum Aeschyli a me laudatum, nec scire reliquos quoque deos marinos in ipso fundo maris habitare. Neptunus in fundo maris sentit procellam et summa „placidum caput extulit unda", Aen. I. 127 et „fundo caput effert" apud Valerium I. 646. Doct. Bauer, Neue Philol. Rundschau '96 N^0. 24 magis etiam mira narrat; das Meer inmitten, nämlich zwischen Italiën und Afrika, *wohin die Singvögel gezogen sind.* Hoc adhuc ignotum erat [1]).

Alius locus, in quo brevior fui quod maiorem consensum cum docto lectore exspectabam, est II. 172 „perque omnis truncos cum qua cervice recisum | conveniat quaesisse caput". Hoc loco tiro non haerebit; sed fortasse provectior, debebit certe me iudice. „Cum qua cervice" est iunctura plane pedestris. Praepositionem, praesertim unius syllabae, non solet statim sequi substantivum cum attributo. Poetae Romani verba ut qui pila ludunt solent confundere, sed est in eo quod perito placeat. In loco laudato recepto *quo* illa elegantia quodammodo restituitur; quae membra logico ordine sic sibi succederent: (a) cum quo (b) caput (c) cervice recisum (d) conveniat" nunc sibi succedunt: hoc ordine *acdb.* Praeterea conferas: „cervice recisa", IX 214 in fine versus. „Magni cervice revolsa" X 100, eadem in sede. Denique non reticebo frigidum mihi videri quod de *aliquot* cervicibus mentio fit.

Addo his tertium III. 314: „tractentur volnera nulla | sacra manu", ubi humanissimus censor in Athenaeo N 3602 postulat pro mea coniectura „diva (pro: nulla) manu" i. e. divina, ampliorem demonstrationem. At vel lexica possunt docere inde a Naevio usque ad Prudentium (*res divas, diva caro*) *divus* adiective

---

[1]) Bellum est quod *H* dicit ut „oculos mortui *minaces*" defendat l. II. 26, dass der Tod den offenen Augen einen drohenden Ausdruck verleiht, ist ja bekannt. Credi hoc potest ab eo qui conscientia et metu erga mortuum movetur, et fingere potest poeta aliquis, qui in proelio subito aliquem occubuisse narrat, re vera non ita est, et agitur illo loco de viro, qui domi suae moritur coram amante uxore. — Apud Paulinum Petricordiam I. 380 non extat „*oculi* minaces" sed *vultus*, et agitur de aliquo qui suspendio vitam finiverat: „elisos oculos et siccas sanguine fauces | lumina torva nimis vultumque in morte minacem". Haec lurida imago immane quantum a Lucano distat, dubito num hunc locum ob oculos habuerit, cf. Luc. VII. 291 „*oculosque minaces*". Sciendum est hanc relationem anonymi insertam esse diario Liter. Centralblatt '96 N^0. 26.

esse usurpatum, praeterea convenit cum consuetudine aetatis imperatoriae, substantiva in *-us* ut sine mutatione exitus adiective usurpentur; de quo nuper verbo monuit Postgate. Sic non solum propria sed etiam appellativa: *Augustus*, *Colchus*, *Pompeius* (*theatrum*), *Latius* (III 87), *praetextus*, *maritus*, *Poenus* (II. 91) et alia. Miror autem quod censor dicit: in the whole context there is absolutely nothing about curing wounds, rell. Sermo est tam de volneribus inflictis quam de remediis: si bellum vulnus est, auxilium a sociis oblatum est remedium. „Volnera sacra" (quomodocunque *sacra* interpretare) sunt vulnera Romanorum, haec tractanda, i. e. *procuranda*, aut non tractanda sunt, ut censor ait, sed quid aliud putat *tractare* esse? Non assequor.

Idem locus admonet me de ratione quadam interpretandi, quam puto notandam. Haskinsius *supplet*: „nulla] sc. nulla externa", alius: „nulla: quam Romanorum". Bauer ad I. 262: „zu urgentes ist aus dubiae menti (?) leicht zu *ergänzen* (ad proelia)".

Idem ad III 407, sq. (solus sua littora turbat | circius et tuta prohibet statione Monoeci) „es lässt sich zu prohibet leicht (!) das Objekt nautas *ergänzen*". Minime, post obiectum *littora*. Sensit etiam Heitlandus Class. Rev. 1897 p. 35 sqq.

Id. ad III. 111 „melius quod plura iubere | erubuit (Caesar) quam Roma pati". Die *Ellipse* nach *melius* (di) ist nicht zu beanständen. Non videtur; nam quid sit supplendum non satis liquet; de *Caesar* etiam cogitari potest; tum omisso *di* duplex comparativus in una sententia facit locum intricatum; haec offensio tollitur si „melius di" scribas et haec separes a sequentibus. Ipse Lucanus sic II. 587 et Horatius. In *melius* sine *di* iure prima specie quaeris alterum membrum comparationis. Omnino hoc tam paratum effugium est idem periculosum; facile obliviscimur nos, qui legimus et in otio commentamur, carmina non ad meditationem facta esse sed ad lectionem, „ut vitetur ambiguitas necesse sit". Qui omissiones admittunt faciunt poetam dicentem quae non dixit, qui coniecturam proponunt, quae fortasse dixit.

Admittitur ellipsis, ubi tempore et loco aut crebro usu *minime* dubium est, *quid* omittatur, ut praecipue usu venit in consuetudine vitae vulgaris; tale est quod propola exclamat: *cauneas*! aut *nugae*!, aut *quo tibi*?, aut *nempe hoc assidue*, tale quod

Caesar: *καὶ σὺ Βροῦτε*, exclamasse fertur, gladii educti reliquorum quid suppressum sit docent. Frequenter igitur ellipsis usurpatur, ut ratio docet, in ea poesi, quae sermonem vulgarem reddit, dramaticam volo, non tam crebro in oratione artificiosa; ibi non temere est admittenda. Unde igitur constabit quo progredi liceat? Una nota est, semper et ubique observanda perspicuitas, omne dubium excludi debet, nemo quisquam haerere debet de sententia; ubi duae omissiones possunt cogitari, vitiosa est ellipsis. Non sufficit si *reputantes* secum lectores aut auditores intellegere possunt unam ex sententiis, quae primum sese offerant, non admitti posse: statim et primo quoque tempore imprimi debet animis vera sententia sine ambagibus, sine ambiguitate.

Ad hanc normam si exiguntur loci supra adscripti, non respondent iustis postulatis. *Melius* sine *di* e supra dictis apparet diversis modis posse suppleri. Ad verba: „tractentur volnera nulla | sacra manu" schol. Bern. et Voss. adscribunt ad *sacra*: „execrabilia. Bellum civile, malum execrabile, nulla manu tractetur, maneat sine remedio". Hi interpretes reapse docent, dum ne omissionem quidem admittunt, ellipsin minime esse perspicuam.

Tantum constare debet cavenda esse tam artificia interpretationis, quam temeritatem coniciendi. Bauerus contendit me centum fere locis in libro primo mutasse contextum. Non numeravi, sed verum esse potest, — si adnumeres orthographica et interpunctionem. Sed haec, opinor, a nostro iudicio pendent. Non adulteravi primam quamque correctionem recipiendo poetam. Observavi discrimen inter coniecturam (quae *posset* ad verum ducere) et emendationem, et nihil recepi nisi origine erroris explicata, eo tantum adhibito temperamento ut, si nexus *postularet* sententiam quandam, una tantum ratione assequendam, non anxie quaererem de uno quoque ductu litterarum. Sed hoc ipsum raro est factum et quae palaeographice non poterant demonstrari cancellis < > plerumque circumscripsi.

Non minus peccatur artificiosa interpretatione quam intempestivo coniciendi conatu. Mala interpretatione adsuescunt animi molestis, contortis, perverse cogitatis. Modestus lector si prima cognitione his offenditur, fallaci interpretatione corrumpitur, iterumque legens interpretis errores semel conceptos pro sententia

poetae accipit. Assuescunt adolescentes, pravo duce confidentes, pravis et norma pulcri obscuratur. Sed in viam redeo.

„Metrisch inkorrekt ist II. 85 hunc Cimbris servato senem". Sic Bauer. At conferat Propert. IV (V). 5. 77: „quisquis amas, scabris hoc bustum caeditŏ saxis". Sic omnes codd. et L. Müller. Avienus, Per. 1047: „In latera effusam cordi datŏ, longior autem". Quanto licentius Seneca et secuti *o* gerundii interdum corripiunt! Lucanus perpetuo: Catŏ, praedŏ X. 21, turbŏ V. 595, virgŏ II. 329.

III. 524 defenditur vulgata „servatum bello iacuit mare" (agitur de proelio navali atroci iamiam incipiendo) sic: „für den Krieg aufbewahrt, reserviert". Iam intellego: veluti locum in theatro praestines! Ceterum quod putat post *prostratum* dativum ferri non posse, aliquid dicit; praestabat fortasse *constratum* et cautius egissem si solum defectum praepositionis notassem. Ceterum cf. 513 „conseritur — navalibus *area* bellis".

„*Dies medius* flagrantibus aestuat *horis*" i. e. meridies aestuat horis flagrantibus I. 16 non est pleonasmus secundum B. „bei richtiger Auffassung", dolendum quod suam non addidit. Num quis post dictum: „meridies aestuat" interrogabit: quando?

Perflantibus pro *praebentibus* III. 410 „unnöthig", satis pro imperio, omnibus paene interpretibus offensioni fuit *praebentibus*. E dictis nihil muto: „non ullis frondem perflantibus auris | arboribus suus horror inest", in Druidarum luco arbores etiam sine vento frondes movent.

II. 11 Deus Stoicorum cum mundum creabat, constituit seriem causarum et effectuum, quibus non tantum mundus, sed etiam ipse tenetur: „saecula iussa (a deo concessa) ferentem" mundum *devinxit* deus fatorum immoto limite („fatorum inmoto devinxit limite mundum"). Sic scripsi pro *divisit*, quae correctio aliis placuit, non Bauero, qui sic explicat: dividere ist hier wie in den Verbindungen *dividere annum*, *horas* ganz wohl am Platz; es werden die guten und schlimmen Zeiten in der Weltgeschichte (divisit mundum saecula iussa ferentem) einteilend festgesetzt. Vide quam sim ingratus, ne haec quidem mihi satisfaciunt, non intellego.

Alia refellere mihi facile esset, si in eo brevi esse mihi liceret, sed brevitas opportuna est errori, ut expertus sum. Neque animus

est respondere ad pauca, quae ex tripode passim dicuntur, et prorsus inutile est nudam negationem nudae affirmationi opponere. Scio equidem in „periodicis" brevi relatione non posse omnia plena demonstratione instrui. Utinam tamen, qui argumentis abstinerent in rebus dubiis, non tam praefracte improbarent. Fieri non potest, quin in hoc poeta, qui suum sibi modulum postulat, quaedam meae correctiones prima specie displiceant iis qui, ut fit, Vergilii potissimum aut aemulantium illum poetarum lectione sensum poeticae venustatis conformarunt [1]). Fortasse tempus iudicium mitigabit. Iam nunc gaudeo quod alii iudices mei operis non omiserunt addere in quibus inter nos conveniret.

Hoc potissimum dictum esto ratione habita C. Hosii, superioris editoris Lucani. Si quis, ille profecto intento studio paratus erat ad sententiam ferendam, quam saepe congruere cum mea admodum gratum est. Tanquam sibi probata Hosius exempli causa affert I. 656 *furerent*, II 11 *devinxit* (a Bauero oppugnatum), III 452 *damnum*, 588 *superat*, V. 504 *fessis*, 612 *procellae*, 627 *aether*. Quod interpretationem meam nimis subinde artificiosam putat, fieri potest, ad iuvenem tamen poetam intellegendum, qui eruditionem recentem de schola affert et ostentat, licere putavi instrumenta subinde ex armamentario devio quodam protrahere.

Postquam hoc volumen iam prelo tradidi pervenit in manus meas Doct. Postgate editio libri VII sic inscripta: *M. Annaei Lucani de Bello Civili liber VII with introduction, notes and Critical Appendix by J. P. Postgate, Litt. D., Cambridge* 1896, 8⁰ *min.* Tanti acuminis virum quibusdam in locis mirifice mecum sentire, laetus cognovi. Lectiones ab eo inventas cancellis inclusas addidi, nihil in meis mutans, potest iam ipse lector consensum animadvertere. Si prius librum cognovissem, meam sententiam duobus locis ad Postgatianam correxissem fortasse, quod nunc sine magna mutatione fieri non poterat. Quod Vir Doct. p. 99 in difficillimo loco, quem in Mnemosyne tractaveram, V. 462—3, paene mecum sentit in mea loci constitutione, attamen putat

---

[1]) Inde vel Bentleio accidisse videtur, ut in Lucano minus satisfaceret, non defecit ingenio, quod summum, non lectione, quae plane singularis est.

originem erroris non satis explicari, — admodum honorificum mihi putarem, si causam erroris annotatione critica (ut dixi: antea scripta) nunc satis illustratam putaret.

Praeter libros MSS. in Praef. prioris voluminis descriptos adhibui subscriptionum et versuum omissorum causa Codicem Cassellanum (K) [1]. Signatus est MS. Poet. fol. 5. Secundum doctam annotationem in fronte libri scriptus est intra annos 1190 et 1246 in Germania, ut videtur, certe fuit Abbatis Fuldensis et Thuringiae Lantgravi et Saxoniae Comitis Palatini. Forma 215 × 285 mm. Foliis 132 numero signatis continet Lucanum, quaternionibus XVI + 5 foliis (10 pagg.). Non multum ad integritatem deest. Nempe in Quat. V desideratur fol. 2, complexum III. 485—544; Quat. X continet VI. 437—556, 677—830, VII. 1—180, desunt VI. 557—676 (duo folia). Paginae continent tricenos versus. Divisum est carmen in duas partes, quarum altera, continens lib. VII—X, in medio quaternione X incipit. Scholia adsunt in margine litteris parvis scripta, ad libros I—VI satis frequentia, deinde rarescunt; item glossae et variae lectiones interlineares. Variae manus tam in scholiis quam in contextu iam in priore parte, ubi genus litterarum satis aequabile et clarum est, conspiciuntur, magis tamen in altera parte, in qua litterae minores sunt et passim evanidae. Correctiones satis frequentes; quid lateat sub rasuris propter crassiores litteras, quae supra scriptae sunt, discernere difficile est. Pertinet ad meliorem classem μ, ceterum nulli ex ea MABE praecipue cognatus est, ut mihi partem libri VII conferenti apparuit. Versus eosdem omittit. Subscriptionem Pauli habet uno tantum libro, primo. Vid. Praef. vol. I p. XXXI et XXXXIV.

Principatum inter codices Lucani etiamnunc tenet *Montepessulanus correctus* (M). Prima eius manus sub rasura latens admodum frequenti quid continuerit insigni diligentia rimatus est Steinhartus, quae etsi vix usquam utilem lectionem et plerum-

---

[1] Cf. vol. I p. XXXV.

que imperiti librarii errores praebeat, gratum tamen referimus Steinharto, quod de ea re certum constat.

Ashburnhamensis (integrior quam prima manus Montepessulani) Bernensis et Erlangensis (ABE) quos uno nomine μ^b appellare licet, paulum a M distant. Non sunt tamen ex eodem statim fonte ducti; nam prototypon horum habebat iam adscriptos versus illos controversos, qui praecipuum discrimen classium μ et φ constituunt, unde in contextum codicum ABE saepe recepti sunt, ubi M ($= \mu^a$) eos in margine habet ab alia manu.

Vossianus secundus (U) paulo pluribus locis in altera Pharsaliae parte quam in priore solus veram lectionem servavit, quae cum nec in μ nec in φ adsit, apparet aliam eius originem esse, etsi vel sic ex utraque μ et φ interpolata est et vestigia potius tertiae familiae quam integram refert.

Codices etsi in orthographia non semper sibi constant, est tamen in usitatissimis vocabulis norma certa, et qui non sunt admodum vetusti, vestigia certe continent antiquae orthographiae, iam paene oblitteratae. Sic est in M.

U post *u* consonam in *o* transit, item post *qu*; in MA manserunt huius usus indicia in: volgus voltus volnus volgare, in quibus etsi in MA obtinuit *uu*, M habet a 1ª m. *uo*, nempe peculiarem formam litterae *o* bicornem ʊ quasi ad designandam ambiguam naturam litterae *o*, ita in: volgus M II. 119, 201, 209, A VII. 157 item in: volnus I. 212, in revolsus I. 482.

Secuntur (non sequuntur) est in A II. 575 in M I. 328, II 455, 596, V. 328 et al. Quum non scribi, sed: cum, per se intellegitur.

Urgere, omissa *u*, scribit A semper, M aliquotiens: I. 460, 491, IV. 756, VII. 583, X. 30. Urguere verior forma, res erat veteribus iam controversa, cf. Brambach p. 127.

Accusativus plur. 3ªᵉ decl. exit in *es* in MA, paucioribus locis antiqua forma (*is*) invenitur, iam paene oblitterata.

Certa scribendi norma desideratur quoque in assimilatione praepositionum. Etymologiam antiquitus in compositione observatam esse, non pronuntiationem, constat: adclinis adcurrere (in hoc vacillabat iam Lucilius) adsequor inpono, all. et sic saepe, minime ubique, M. Summitto ubique (septem locis), summoveo

(uno loco excepto V. 71) M, sic offero; omnino media *b* in sub et ob fere assimilatur (quamquam saepe *obs et *subs veteres formae usurpantur ut: ostendo sustineo). Colligere habet M iuxta cum conlisus IV. 783, conlapsus II. 57, conlaudant V. 56 (in A quoque). Supplex scribitur, non: subplex, ut norma postulabat, sed in aliis quoque frequentis usus vocabulis oblivio aut ignoratio compositionis effecit, ut praepositio agglutinaretur secundum consuetudinem loquendi ut: agger accipio accensus occurro efficio (i. e. ec-ficio). Sermo vulgaris volubilis et celer assimilabat litteras inter se, eruditi intempestiva doctrina substituebant etymologicam rationem, quatenus erat iis manifesta.

Non minus vacillant diphthongi. Perpetuo M habet: loetum, quod cum letum a *leo (lino, deleo) sit formatum, falsum esse apparet; eodem errore totidem locis scribitur male foetus, quot (recte) fetus, est enim fetus a *feo, unde fetus (partic.) fecundus femina, e quo dudum iure diphthongus evanuit. Graviter peccat M dum pro premo vulgo scribit praemo. Pro cepit ponitur in M et aliis coepit. Semper habet M recte maereo maestus. Diphthongum oe M in foenus habet I. 186, etsi fenebris scribendum esse constat. *Oe* in moenia quoque, quemadmodum in moestus, foenus, (cf. loetum, foetus) fortasse cedere debet diphthongo *ae*; certe maenianum, prominens maenium pars, manifesto per *ae* scriptum est, siquidem a Maenio quodam vocabulum ducebant, quamquam *munire* facit pro *oe*; sed antiquitus iam *ae* in *oe* transire potuit, sicut in pomoerium a: moerus = murus, cuius recta forma est pomerium, graece πωμήριον, sic caelum et coelum. Menia habet M aliquoties, vulgo moenia. Clusus aliquot locis iuxta clausus.

Nulla in re tam sanae rationi illudunt codices quam in propriis, in quibus comparatio cum Graecis facta arguit errantes. Sic in M (et aliis) perpetuum est Lybia pro: Libya (Λιβύη), frequens Affrica Babilon Tygris Thybris Thesalia, et aspiratio susque deque habetur ut Pharrasio Calchedon Aethna Athlas Phtholomaeus, quo magis miror contra usum auctorum Graecorum Ptolomaeus et Athlas nonnullis placere. Sic manifesto falsa in M: hostium pro ostium ab os et hammodytes ab ἄμμος, harena (area areo), dubia: proh coherceo (ἕρκος herctum an arceo?).

Denique ad cognoscendum M (et A, nam hic plerumque conspirat) addo p epentheticam scribi in demptus peremptus comptus (X. 83) promptus sumpsit, quae e vastiore pronuntiatione nata, tamen a grammaticis veteribus et inscriptionibus (vel lege Thoria) agnoscuntur (Corssen I. 57). Sed impetrare a me non potui ut dampnum dampnare a M oblata reciperem (idque ne Hosius quidem). Ab eodem cod. me emancipare volui scribens tentare pro: temptare; quae forma adulterina est, nam tento est frequentativum a tendo: *p* autem post *m* non post *n*, littera est loquelaris. Veruntamen quid prava consuetudo pronuntiandi iam antiquitus effecerit, difficile est dicere.

Male litus scribit M; duplicata *t* corroborata est prior syllaba, quae ceteroquin brevis esset, a lino, lĭtum, ducta, ut littera duplici *t* scribitur et concinnus a concĭno.

Cur non scribam Pompei, sed Pompeii, ratio in promptu est, etsi a nullo hodie aut perspecta aut probata. Nominativus habet j consonam ante exitum *us*: Pompejus, inde genetivus est Pompeji, Pompeii, *us* in genitivo in *i* transit, non *ius*. In Pompei *i* simul esset et consona et vocalis, et staret pro duabus litteris, quod secundum nostrum alphabetum absonum, veteribus placebat quoniam I longam usurpabant pro *ii*, illum si adsciscimus censeo scribendum PompeI. Quod si quis, ut mihi constem, me iubeat scribere adiicio, abiicio, coniicio, obiicio, iniicio, respondebo primum neminem in orthographia sibi plane constare, porro in his verbis primam syllabam saepe correptam, saepius productam documento esse *i* consonam in iis potuisse extrudi, et inde tralaticiam in codd. orthographiam per simplex *i* rationem habere, unde deiciat eiciet trisyllaba probanda. In genetivis nominum propriorum in ius *i* est pro duplici *vocali*. Lucanus post Propertium in his paene semper *ii* disyllabum dixit.

Litteram *e* alteram perspicuitatis causa retinui in deesse disyllabo, semianimis tetrasyllabo. Quemadmodum elisae vocales in contiguis vocibus non omittuntur, sic in mediis vocabulis *e* et *i* elisas non puto omittendas.

Sepulchrum male scribi in M et pulchrum (IX. 391) ne verbo quidem indiget.

Nullus codex unus potest in orthographia perpetuus dux esse,

ne M quidem, nec fuit in Lucani crisi decessori meo. Nolui varietatem lectionis onerare quibuscunque orthographicis; propterea uno loco de M exponere utile videbatur. Constantiae neglectum in quibusdam in vol. I mihi obici video in nonnullis, quae lectores multi tanquam ἀδιάφορα parum morabuntur; quod etsi doleo, non tamen magni refert, nam non agitur de codicum lectione. Scilicet quam orthographiam *singulis* locis codd. praebeant ex mea et aliis editionibus, (nisi forte uno codice nituntur) non potest effici. Morem librariorum enim noviciam orthographiam inducentium tuto licet in Var. Lect. neglegere; sed quae in hanc partem momentum habent indicia veteris consuetudinis non neglexi memorare. Palimpsesti normae rectae *in universum* rationem indicant (vid. Praef. vol. I), quorum vestigiis insistentem oportet in vocabulis ibi desideratis, quod conveniat sequi; neque enim licet in verbis quae ibi forte fortuna non inveniuntur aliam normam repraesentare [1]), unde mira confusio nasceretur. Ceterum in annotatione et alibi non usurpo dissimilationem praepositionum (venia sit vocabulo) neque alia, in quibus veteres importuna ostentatione doctrinae etymologicae offendunt. Sed vix opus est dicere maiorem libertatem concedi, cum tuo Marte scribas, quam si antiquum auctorem edas, quantum fieri potest correctum; repraesentanda enim tunc est ratio, quam ille cum aequalibus sequebatur; quemadmodum in statuis antiquis robiginem desideramus, sic illa vetus orthographia non dedecet auctores antiquos.

In corrigendis speciminibus iidem mihi benevole operam praestiterunt, qui vol. I, pro quo gratum iis testor animum.

Scr. Traiecti ad Rhenum,
Nonis April. a. MDCCCXCVII.

C. M. FRANCKEN.

---

[1]) Si quis curat in nonnullis dubiis vocabulis quid voluerim, sciat me probare in Lucano: *agnosco*, *accerso*, *bracchia*, *circuire*, *coherceo*, *conpello*, *conprimo* (rell.) *conexus*, *conubium*, *exerere*, *exilium*, *Hiberus*, *Hister*, *inpello*, *inpactus* (rell.), *inritus*, *moenia*, *monimentum*, *quidquid*, *revolsum* (rell.: vo) *secuntur*, *suffixit*, *Sylla*, *supplex*, *transcendere*, *tune*, *urguere*.

POTIORA OPUSCULA QUAE PASSIM IN VOL. II LAUDANTUR.

P. H. Damsté, Pharsalica, Mnemosyne, N. S. XVIII (1890) p. 342—352 et XIX p. 378—386.

H. Diels, Seneca und Lucan, Abhandl. der Berl. Akad., 1886. 4°.

C. M. Francken, Mnemosyne N. S. XVI (1888) p. 391—395 Miscella (ad Luc. et scholia).

——— Mnemosyne XVII (1889) p. 56—62 Miscella (de codice Daventriensi).

——— „ XVIII (1890) p. 5—22 (des versibus propter Vossianum 2 (U) et Montepeseulanum suspectis).

——— „ XIX (1891) p. 16—40 Selecta de Montepessulano et Ashburnhamensi.

——— „ XXI (1893) Parerga p. 46—54 (de Luc. rescripto Romano, cum tabula photogr.).

——— Berliner Wochenschr. 1890 S. 331 sqq. die älteste vollständige HS. des Lucan.

H. Genthe, de M. A. Lucani vita et scriptis diss. Berol. 1859.

——— Ueber die in den Commenta Bernensia angegebenen Varianten des Pharsalia-textes, Hermes VI. 214.

——— Scholia vetera in Lucanum. E cod. Montepessulano edidit H. G. Berol. 1868 (progr.).

Fr. Guyetus, Excerpta ex notulis a Fr. G. margini ed. Grot. adscriptis. Editio Oudend. p. 886—910. (De Guyeto cf. I. Uri Fr. Guyet d' après des documents inédits. Paris 1888).

W. E. Heitland, introduction (to Lucan) in Haskinsii editione, London 1887, p. I—XXXI.

——— Classical Review 1895 p. 190 sqq., 1897 p. 35, 206 et passim.

C. Hosius, Seneca und Lucan, Jahn's Jahrb. 1892 S. 345, sqq.

——— zu den HSS. des Lucan, Jahn's Jahrb. 1893, S. 337—355.

A. Kindler, de Lucani versibus, qui desunt in codd. Montepessulano et Vossiano altero. Diss. Monasteriensis 1882.

Manitius, Beiträge zur Gesch. Römischer Dichter im Mittelalter bis z. Anfang des 12ᵉⁿ Jahrh. Philologus N. F. V (1892) p. 704 sqq.

J. E. Millard, Lucani sententia de diis et fato. Dissert. Traiect. 1891.

J. Obermeier, der Sprachgebrauch des M. A. Lucan, I. München 1886 (progr. des Maxim. Gymn.).

J. P. Postgate, M. Annaei Lucani de bello Civ. lib. VII, with introduction, notes and Critical Appendix, Cantabr. 1896.

G. Steinhart, de emendatione Lucani, diss. Bonn. 1855.

——— de Lucani schedis rescriptis Vindobonensibus, Magdeburg 1860 (progr. gymn. Salzwedel) 4°.

——— de Lucani cod. Montepessulano in: Symbola Philologorum Bonn. Lips. 1864—1867 p. 287—300.

Joa. Schmidt, de usu infinitivi ap. Lucanum, Val. Flaccum, Sil. Italicum, diss. Hallensis 1881.

O. E. Schmidt, der Ausbruch des Bürgerkriegs im Jahre 49 v. C., Rhein. Mus. XLVI. (1892) S. 240 fgg.

A. Schaefer, Obss. crit. in M. A. Lucani Pharsaliam et P. Papinii Statii Silvas diss. Monast. 1886.

Io. Schrader, vid. P. V. Sormani.

N. J. Singels, de Lucani fontibus et fide, diss. LB. 1884.

P. V. Sormani, de Io. Schraderi vita et scriptis, diss. Groning. 1886, p. 46—92 Io. Schraderi emendationes autographae in Lucanum.

NOTAE CODICUM.

Vossianus primus.

U „ secundus.

M Montepessulanus.

A Ashburnhamensis.

G Bruxellensis, olim Gemblacensis.

v, u, m, a g varia lectio in iisdem codicibus a manu secunda.

M_1 primitivâ lectio correcta in vulgatam, et sic A_1, U_1, rell.

O omnes supra memorati.

E Erlangensis.

B Bernensis.

K Cassellanus.

D Daventriensis.

R Regius primus, Parisiensis Oudendorpii.

T Taurinensis d'Orvillii.

H Heinsianus, vid. vol. I pag. XXVI.

L Lipsiensis.

C Commentum Useneri.

c lemmata eius per interpretationem non firmata.

P^v palimpsesti prioris folia Vindobonensia.

P^n eiusdem folia Neapolitana.

P^R palimpsestus Romanus.

F^m fragmentum Monasteriense.

Prov. vel P de libro Lucani proverbia (Rhein. Mus. 1891).

Litterae cursivae in var. lect. significant *in rasura posita.*

ɔ: antisigma et . *στιγμή* praeposita sunt versibus eiusdem sententiae, antisigma dubiis propter repetitionem, *στιγμή* genuinis, cf. Sueton. Reliqu. Reifferscheid. p. 140 et 142; ɔ: sine *στιγμῇ* significat versus a poeta reiectos sed forte servatos.

[ ] versus subditicius.

( ) inclusa in var. lect. pertinent tantum ad unum codicem.

mallem = melius esset me iudice (non: corrigo).

CGl. Corpus glossariorum latinorum, ed. Goetz.

Prisc. H = Prisc. II K, Prisc. II H = Prisc. III K.

Stht. Hos. Steinhart, Hosius.

Heins. Heinsii emendatio.

In lacunis designandis tot puncta posita, quot litterae omissae.

M. ANNAEI LUCANI

PHARSALIA.

LIBER SEXTUS.

Postquam castra duces, pugnae iam mente, propinquis
Inposuere iugis, admotaque comminus arma,
Parque suum videre dei, capere obvia Caesar
Maenia Graiorum spernit, Martemque secundum
Iam nisi de genero fatis debere recusat.
Funestam mundo votis petit omnibus horam,
In casum quae cuncta ferat. Placet alea fati
Alterutrum mersura caput. Ter collibus omnis
Explicuit turmas et signa minantia pugnam,

VARIA LECTIO. **1** propinquos A_1, propinquis B_1, propinqui O vulgo, **2** cominus U, **3** parque — dei l. Schol. ad V. 468, dehinc v, omnia O vulgo, **6** ratis R_1, ·oram T, **7** incassum gA, (quae *om. add.* a) in cassum BCTsR, placet — caput. (8) l. Prisc. 226.6 H, al*ea* fa.t.i M, **8** tunc coll. v.

ANNOTATIO EDITORIS. 1 „Pugnae iam mente, *propinquis*" consensu Heins. l. l. p. 143 Bentl. et Burm., laudantes I. 37, IX. 226 „aperta | mente fugae". Vulgo *propinqui* (*propinquis* 3 dett. ap. Burm.). Sed insolitum „propincus mente"; et non erant *mente* sed reapse pugnae propinqui. „Propinquis iugis" scil. inter se. cf. III. 37.

3 „Rapere obvia" Heinsius pro vulg. „capere omnia", prius (cf. v. 14, II. 654) non opus, alterum necessarium et propterea a me receptum; agitur de unius urbis moenibus; deinde aliqua moenia cupit is, qui non *omnia* cupit; Caesar autem nulla cupiebat. Non magis sententia satisfacit, si *omnia* pro *quaecunque* accipias. *Omnia* non est aptum. *Obvius* dicitur de rebus i. q. obstans, in promtu, supra I 6; „montes obvii itineri" Nep. Eum. 9. 3. „Par suum" tanquam gladiatorum in arena, cf. VI. 191, VII. 695, quocum cf. Seneca, dial. I. 2. 9: „ecce par deo dignum, vir fortis cum fortuna mala compositus." Florus IV. 2. 35, manifesto ex hoc loco, „iam debitum par Fortuna flagitante."

4 „Secundum." Non vult iam victoriam de aliis, ne fortuna credere possit se iam defunctam erga Caesarem et in supremo contra Pompeium certamine eum deficiat. Homo partem fortunae sibi debitam in vilibus rebus potest effundere, ut in magnis ab ea post destituatur. Cf. militum cum Caesare expostulantium sermo V. 695, sqq.

7 *In casus* commendat Hosius coll. V. 693, VII. 239; non his demonstratur perpetua Luc. consuetudo (M: casum).

Testatus numquam Latiae se deesse ruinae.
Ut videt ad nullos exciri posse tumultus
In pugnam generum, sed clauso fidere vallo,
Signa movet, tectusque via dumosa per arva
Dyrrhachii praeceps rapiendas tendit ad arces.
Hoc iter aequoreo praecepit limite Magnus,
Quemque vocat collem Taulantius incola Petram,
Insedit castris, Ephyraeaque maenia servat,
Defendens tutam vel solis rupibus urbem.
Non opus hanc veterum nec moles structa tuetur
Humanusque labor, facilis, licet ardua tollat,
Cedere vel bellis, vel cuncta moventibus annis;
Sed munimen habet, nullo quassabile ferro,
Naturam sedemque loci. Nam clausa profundo
Undique et inlisum scopulis revomentibus aequor,

10 sede . ee . ruinae M, sedesse A_1, desse C, **11** *videt ad nullos* (at m. 2) M, **12** clauso sed R, **13** parva R, **14** arcis A, **15** litore V, limite v c. rell., **16** l. schol. Voss. ad VI. 70, petrem v, taulanti M (us *s. s. m.* 2), **17** pirrheaque R, pyrrea g, **18** orbem M_1, turribus O vulgo, **19** modes M_1, **20** facilis s s. s. M *sed cf. ad* 21, tollet M_1, **21–61** *adsunt in* Pr, 21–41 (*omisso* 29) *in fol. recto*, 42–61 *in verso*, **21** cedere *sine corr.* M, (*corr.* Stht), *tantum supra secundam e scripta est figura* s, *quae* (*ornatus causa?*) passim *supra scribitur ut v.* 20 facilis, *hoc v.* uel annis,
s s s
22 habent a, *pro* ferro *compendium* in C: L. (ligno *susp. Us*.), **23** naturamque sedem (nat. sedemque m. 2) M, **24** l. Aldhelmus p. 529 M. 240. 36 G; *post undique inserit:* neicum Pr; *huius versus* (24) *duae conformationes sunt, prior:* „undique praecipiti scopulisque vomentibus" *in* UMAGT *cum hac varietate*: precipiti . copulis (*s supra scr. m.* 2) M, praecipitis T, (copulis) . . . vomentibus (sic) M, scopulisque Prm, vo(mentibus) Pr, scopulis removentibus U, *altera in* VgR undique et illisum scopulis remov., *cum hac var.* [et] R, illisu V, inlisum R, scopulis – aequor in ras. V. *Utramque recensionem coniungit* Pr UNDIQ . . NEICUM PRAECIPITI SCOPULISQ. VOM. *quae manifesto exstitit ex*: UNDIQ. INLISUM PRAECIPITI SCOPULISQ. UOM . . *ex* inlisum *natum*: . NEICUM.

13 Versus suspectus Heinsio. *Rectusque viae* Bentl. Uterque imperator castris procul Dyrrhachio tenetur. Caesare pugnam offerente castris se tenet Pompeius (12). Caesar tunc clam hostibus per viam *tectam*, Dyrrhachium subita incursione Pompeio eripere studet, quae res frustra fuit, Pompeio per mare (navibus cf. II. 218) in urbem redeunte, sed eandem secundum Lucanum rursus relinquit, per se satis tutam, et Petram occupat. Caesar in comm. de b. civ. III. 42 Pompeium interclusum ab urbe (Pompeio fida) narrat.

18 *Rupibus* debetur Burmanno, unde transpositione litterarum vulgata nata est, quae adversis frontibus pugnat cum proximis. Contra non video, cur *veterum* v. 19 mutetur, pro quo Heins. *laterum*, Bentl. *superum*. V. 20 „ardua *surgat*" Bentl. h. l. non „facilis" ad intellegendum. Tollat ardua, moenia sc.

24 Ordo: clausa undique profundo et scopulis revomentibus aequor inlisum debet, rell. Dubium emendato Pr esse non potest, quin *praecipiti* sit glossa antiqua ad *profundo* adscripta, quae, ne metrum rueret, *inlisum* expulit, cf. 691. *Revomentibus* et non *vomentibus* verum esse ipsa varietas *removentibus* documento est. *Revomere* accommodate littoris confragosi naturae dicuntur scopuli, qui aquam marinam in aestu repellunt spuma alte eiecta. Post *undique* necessarium est *et*. Vulgata erat: „clausa profundo undique praecipiti scopulisque vomentibus aequor." Cortio verum reponenti in ed. 1727 non obsecutus est Burmannus. Rectum Heins. defendit Advv. 143.

Exiguo debet, quod non est insula, colli.
Terribiles ratibus sustentant maenia cautes,
Ioniumque furens rabido cum tollitur Austro,
Templa domosque quatit, spumatque in culmina pontus.
  Hic avidam belli rapuit spes inproba mentem
Caesaris, ut vastis diffusum collibus hostem
Cingeret ignarum, ducto procul aggere valli.
Metatur terras oculis, nec cespite tantum
Contentus fragili subitos adtollere muros,
Ingentis cautis, avolsaque saxa metallis,
Graiorumque domos, direptaque maenia transfert.
Extruitur, quod non aries inpellere saevus,
Quod non ulla queat violenti machina belli.
Franguntur montes, planumque per ardua Caesar
Ducit opus; pandit fossas, turritaque summis
Disponit castella iugis, magnoque recessu
Amplexus fines, saltus, nemorosaque tesqua,
Et silvas, vastaque feras indagine claudit.
Non desunt campi, non desunt pabula Magno,
Castraque Caesareo circumdatus aggere mutat.
. . . .
Flumina tot cursus illic exorta fatigant,

26 sustentat supra scr. *n* M, **27** Yonium A, ionium, priore i in ras. 3 litterarum, fuit fortasse hionium M, fures, supra scr. *n* M, rabido MAT, reliqui (cum PR) rapido (sic M Stht), **28** culnem[a pontus] PR, domusque V, **29** om. in PR; huc UVAB, hic MbG, (*in quo*: al. hinc et huc), **32** cespite Pv cum rell., metatur PRCARTGE, metitur UVM, var. lect. in C (cf. H Genthe, Hermes VI. 215 sq.), **33** comtentus PR, fragilis corr. in vulg. M, attollere PRAUVG, **34** ingentes PR, ingentis CAM (corr. in -tes), avolsaque PRR. post saxa 2 litterae erasae M, **35** domus VB, domos PR c. rell., **36** extruitur PRAUVM, inpellere PRA, **37** quead PR, quaeat M, machia PR, bello V (*ex* belli *corr.*) g, **39** fund(is) PR, pandunt g, **40** recessu OPR, magnos . que, *corr. in* magnoque M (recursu *aliquot editiones*), **41** fines nemorosaque pascua saltu . PR, finis G, tescua A (tesqua m 2) testa (tesqua em. m. 2) M, tescita B_1, **42–61** *In* PR *desunt ab initio* (*scil. pag. versae cf. ad* 21) *aliquot syllabae*, **42** vastasq. PRg, **43** campis PR.

25 *Collo* coniectura placet Oudendorpio; non sane rationi adversatur, sed usui, quantum scio. In schol. Voss. (U) *collum* manifesto vitium librarii est: „nisi haberet collum, qui (sic)" rell.

28 *Pontum* (cf. Cic. Divin. I 7, 13) non audeo propter usum poetae, cui *spumare* est intransitivum. Itaque ad *que* cf. VIII. 400, IV. 115, 519; laxior iunctura, quae subinde nexu accipit adversativam vim.

29 *Hic* „Ita semper poetae, ubi raptam occasionem notant. Verg. XII. 411 „Hic Venus indigno nati concussa dolore", et 554, „hic mentem Aeneae genetrix pulcerrima misit" Bentley. Vulgo *huc*.

41 *Rivos* pro *fines* coni. Schrader, recte, opinor, nam *amplexus* non est *dilatans*; praeterea zeugma esset admodum durum.

45 sqq. Haec, male vincta inter se et sine

Illic mersa suos, operumque ut summa revisat,
Defessus Caesar mediis intermanet agris.
Nunc vetus Iliacos adtollat fabula muros,
Adscribatque deis; fragili circumdata testa
Maenia mirentur refugi Babylonia Parthi:
En, quantum Tigris, quantum celer ambit Orontes,
Assyriis quantum populis telluris Eoae
Sufficit in regnum, subitum bellique tumultu
Raptum clausit opus. Tanti periere labores,
Tot potuere manus aut iungere Seston Abydo,
Ingestoque solo Phrixeum elidere pontum,
Aut Pelopis latis Ephyren abrumpere regnis
Et ratibus longae flexus donare Maleae,
Aut aliquem mundi, quamvis natura negasset,
In melius mutare locum. Coit alea belli;

46 et supra scr. ut M, **47** interminet (in terminet?) P^R, **48** attollat P^RUVMaG (cf. 33), attollit AB_1, fabula f. in ras. M, **49** asscribatq U, ascribatque G, [que] T, dis P^R, circundata v, **50** refugit T, babil. UR, **51** et qu. AUV, in qu. CGRav, en qu. suprascr. tantum telluris M, versus deest in P^R, **52** assiriis AMR, **53** subito T, tumultū U, **55** l. Lact. ad Stat. Theb. VI. 547, **55** autrigere P^R, aut iungere UVEG, aut iugere M (n *suprascr. m.* 2), adiungere AB, coniungere Lact., seton P^R, secton (suprascr. x) M. adibo P^R, abido UV, **56** phrixeum AU, phrixaeum P^RR, phyxeum (suprascr. *r*) M, **57** (aut pel)opil. ephyren (*post l spatium tantum unius litterae notatum*) P^R, epyren V, ephiren U, ephirenem T, latis *in hoc voc.* is *in ras.* 3 *litt.* M, latus A (latis a) B_1, **58** flexum PRg, flexus UVAMG, **59** versum om. P^R, **60** alea P^RB, area UVAM et vulgo.

dubio imperfecta, illustrari debent ex Caesare Civ. III. 49. 4. Reticetur quod Pompeius summa aquae inopia laborabat; ita non apparet, quid „flumina tot" 45 sqq., sibi velint, potissimum illud *mersa*. Caesar l. l.: „angustias vallium praesaepserat terramque adgesserat, ut aquam contineret." Voluit, ut videtur, poeta: „non minus obsaepiendo fontes Caesar laborabat, quam Pompeius carendo." Tentarem, si in opere perfecto versarer: „flumina *quod* cursus illic *exorsa* fatigant, illic mersa suos, operumque ut summa revisat defessus Caesar". Suos = Caesarianos.

47 Intermanet de pernoctando intellegas, ambitus maior est, quam qui uno die lustrari possit.] „Manet sub Iove frigido venator" Hor. Od. I, Sen. de Benef. III. 16, sed admodum inscita est compositio: agris intermanere; locus sic interpretandus ut *mediis agris* sit ablativus loci et *intermanet* sit absolute positum = inter opera pernoctat. In sequentibus per temporis momentum obliviscitur L., suum non esse Caesarem laudare.

56 „Elidere Hellespontum" est ingesto solo in utramque partem exprimere, pellere aquam et ita fretum exsiccare. Sic dicitur lapis aliquem elidere, aliquis elidi inter duos contendentes (Cortius ad II. 206); proprie pondere aut robore ita urgere ut animam, sucum aut vires exprimas. H. l. tamen mirus usus est, quod vocabulum adhibetur aquae fluxae et facile cedenti. „Phryxeum elidere" elisio pugnans cum Lachmanni lege, cf. I. 197 „gentis Iuleae et", VI. 589 „Pompeii ignava propago." De elisione ante *et* in 3ª arsi omnino cf. Trampe p. 46. Num: *Phr. cludere pontum* i. e. Hellespontum explere et claudere Pontum?

60 *Alea belli* i. q. bellum aleae plenum ut „alea fati" VI. 603. Contrahi locum pugnae („area belli" vulgo) ab hoc loco alienum, nec *angusta* v. 63 contrarium probat, oppositum tantummodo illis: „terras in *omnis*" v. 61. — *Clades*: milites qui postea ad Pharsalum et in Africa erant perituri hic coniuncti sunt.

Hic alitur sanguis terras fluxurus in omnis,
Hic et Thessalicae clades, Libycaeque tenentur.
Aestuat angusta rabies civilis arena.
  Prima quidem surgens operum structura fefellit
Pompeium, veluti mediae qui tutus in arvis
Sicaniae rabidum nescit latrare Pelorum,
Aut vaga cum Tethys Rutupinaque littora fervent,
Unda Caledonios fallit turbata Britannos.
Ut primum vasto saeptas videt aggere terras,
Ipse quoque a tuta deducens agmina Petra
Diversis spargit tumulis, ut Caesaris arma
Laxet, et effuso claudentem milite tendat;
Ac tantum saepti vallo sibi vindicat agri,
Parva Mycenaeae quantum sacrata Dianae
Distat ab excelsa Nemoralis Aricia Roma,
Quoque modo Romae praelapsus maenia Tibris
In mare descendat, si nusquam torqueat amnem.
Classica nulla sonant, iniussaque tela vagantur,
Et fit saepe nefas, iaculum tentante lacerto.
Maior cura duces miscendis abstrahit armis:

61 terras sanguis P^R, omnis ARTM (mutatum in: omnes). *Desinit* P^R cf. 228, **62** illic th. MTB (*ex* hic *corr.*), thessaliae M_1, **63** rabi. es M, **65** mediis V, medi*ae* M, medio AB, medie a, pulsus in G, **66** rapidum UAB, sicanie.. M, **67** thetis U, ritupinaque U_1, ferent A_1, **68** un*da* M, unde AB, **69** saeptas M, **70** atuta M, **72** effusos M_1, **73** vendicat V (*corr.*) M (*corr.*), at M_1, **75** roma om. V addit m. 2, exelsa U, distet M, distat m (2 m), **76** *prae*lapsus M, terrae AR, **77** descendat VUM_1. descendit u c. rell., **78** invisaque VT. iniussaque v, *va*gantur M, dúces UMVAGE ducis mTR.

64 Hoc loco narratio recedit, nimirum haec anteriora sunt iis, quae v. 54 et 60 exposita sunt, quasi summaria plenae, quae h. l. excipit, narrationis. Sic v. 70 non convenit cum 44, quo loco *castra* iam insedit Pompeius, dum v. 70 de Petra descendit. Cf. Caesar III. 44, sqq.

72 *Limite* Heins. pro *milite*, quae saepius confunduntur. ut notum. Sed *milite* modum *distendendi* copias Caesaris (*tendat*) indicat, *limite* sive cum *claudentem* sive cum *tendat* iungatur, supervacaneum, nam ex reliquis iam magnus ambitus sponte consequitur. *Effuso milite* cum *tendat* iungendum.

74 Dianae Tauricae signum, inclytum historia Iphigeniae et Orestis Mycenaeorum, dicebatur deportatum esse Ariciam, cultu Dianae nobilem, cf III. 86. „Nemoralis Aricia" sollemnis iunctura, cf. Zingerle zu späteren Lateinischen Dichtern, Innsbrück, 1879 II. p. 21

76 „Eo modulo agrum, quo Tibris" e. q. s. Schol. Voss. 1 „a Roma usque quo Tiberis influat in mari recto itinere XVI milium spatia sunt sive X leugae" (leuga = $1\frac{1}{2}$ mil.) A Roma ad Ostiam intersunt 15 milia passuum, ad Ariciam $16\frac{1}{2}$. Caes. III. 44: „XV milia passuum *in circuitu*." Lucanus errat, ut videtur, spatium rectum et ambitum confundens. Heinsius: „quoque aeterna modo" (p. 144). „Descendit" vulgo. *Terrae* patrocinium suscipit Cortius. (Intervalla locorum sunt ex charta militari regni Italici ed. Kiepert.)

80 *Ducem* Burm. quod iuxta *Pompeium* superfluum; *duces*: Pompeium v. 81, Caesarem 106, de quo quae erant dicenda di.

Pompeium exhaustae praebenda ad pabula terrae,
Quae currens obtrivit equus, gradibusque citatis
Ungula frondentem discussit cornea campum.
Belliger adtonsis sonipes defessus in arvis,
Advectos cum plena ferant praesepia culmos,
Ore novas poscens moribundus labitur herbas,
Et tremulo medios abrumpit poplite gyros.
Corpora dum solvit tabes et derigat artus,
Traxit iners caelum fluvidae contagia pestis
Obscuram in nubem. Tali spiramine Nesis
Emittit Stygium nebulosis aera saxis,
Antraque letiferi rabiem Typhonis anhelant.

81 gramina VUaRG *pabule* MAB, **82** quas AB^3, adtrivit RV, eques O vulgo, **83** diffudit Rg, **84** diffuso u, at tonsis M, **86** pascitur T, **87** medias M_1, abrupit T, giros VMT, **88** tum V (corr. m. 2), degerit Rg, *reliqui*: digerit, *vulgo*, **89** fiu.idae U, fluuidae MRT, **90** nessus V, nessis UvRCG, spiramine M, **92** l. Prisc. 74. 2 H.

ata eoque forma mutata sunt. „Exhaustae terrae" nominativum puto: Pompeium abstrahunt a proelio ineundo.

82 *Attrivit* Cortius laudans Verg. G. IV. 13, sed vulg. ungulis equorum aptior. Ceterum cf. 43, ubi sine dubio superiora tempora respiciuntur. *Equus* scripsi; *eques* post *currens obtrivit* non ferendum. Ceterum cf. ad VIII. 400.

83 *Decussit* Cort. „*Discussit* campum" durum est et minus aptum si de gramine cogitetur; obterit equus, non spargit gramina; sed frondes et virgulta aeque pabulum erant. Nihilo melius est „decussit gramina" quam „discussit". Aptius non succurrit, et acquieverunt reliqui omnes.

84 „Sensus videtur esse culmorum aridorum satis fuisse in praesepibus, sed ab equis desideratas herbas virides." GROTIUS; qui in 1ª ed. *dum* dederat idque Burm. recepit, sed externa ad Pompeium mari perpetuo advehebantur. Pestem equorum haec subindicant, recusant alimenta et primum, ut credere par est, foenum. Cf. Verg. G. III. 498, Ovid. Met. VII. 538, Sen. Oed. 142. Facta haec sunt vere, cf. Caes. III. 25.

87 Sen. Oed. 242 „segnior cursu sonipes in ipso | concidit gyro." Sil. XIV. 606, Ov. Met. VII. 542, Verg. Georg III. 497. Gyri equi Paneg. Messallae v. 94.

88 „Tabes digerit artus" a nullo interpretum est explicatum. Hoc loco et fortasse IX. 675 latet verbum a *rigeo* ductum; *derigare* i. q. „rigidum facere"; paulo post „iam riget atra cutis." Ex *derigat* notum verbum *derigit* factum videtur et inde perpetua confusione verbi *regere* et *gerere* (det. unus *dirigit*, cf. VIII. 341) *degerit* s. *digerit*. Heinsius *deterit*, minus aptum de breviore morbo. Ridiculum est quod „cibi digesti in corpore" ad illustrandum locum advocantur. Vid. Burmannus, qui ipse „diluit" aliquando cogitavit. Cf. Mnem. XIX. p. 40.

89 *Fluvidae*: huius orthographiae vestigia sunt apud Vergilium, et recepta est apud Lucretium II. 452. 464. 466. cf. Ribb. in Ind. Gramm. sub litt. *v.* Ut *fluvius* sic *fluvidus* recte se habet et h. l. ab optimis libris propagatum.

90 *Nubem* vaporem pestiferum, Varro RR. contagium per exigua corpuscula aere propagari dicit. Sil. XIV. 594 „nubibus atris". Stat Theb. I. 664, „mala nubila" sunt pestifera. Cf. Caesar III. 49.

91 Schol. Voss.: „alii: *egerit elysium.*" *Nesis* insula in sinu Puteolano prope Pausilypum quod *Nessis* scribitur, explicatur e confusione cum Nesso centauro, vid schol. Berol. Manifesto vocabulum Graecum: *νησίς -ῖδος* cf. Stat. Silv. III. 1. 148 „quae fixam pelago Nesīda coronat." Distinguenda ab Inarime (Aenaria), cum qua eo facilius confunditur (Sch. Voss.) quod haec quoque Typhoei cubile dicitur. Verg. Aen. IX. 713. — *Elysium* manifesto ex *elisum* depravatum, quod e Guelferb. recepit Cortius scribens *erigit elisum*. debebat certe „*egerit* elisum" cf. IV. 644. Sed *aera* epitheton descriptivum fere postulat; certe non praeferenda est scholiastae lectio.

Inde labant populi, caeloque paratior unda
Omne pati virus duravit viscera caeno.
Iam riget arta cutis, distentaque lumina rumpit,
Igneaque in voltus et sacro fervida morbo
Pestis abit, fessumque caput se ferre recusat.
Iam magis atque magis praeceps agit omnia fatum,
Nec medii dirimunt morbi vitamque necemque,
Sed languor cum morte venit, turbaque cadentum
Aucta lues, dum mixta iacent incondita vivis
Corpora. Nam miseros ultra tentoria cives
Spargere funus erat. Tamen hos minuere labores
A tergo pelagus, pulsusque aquilonibus aer,
Littoraque, et plenae peregrina messe carinae.
At liber terrae, spatiosis collibus hostis
Aere non pigro nec inertibus angitur undis,
Sed patitur saevam, veluti circumdatus arta
Obsidione, famem; nondum turgentibus altam
In segetem culmis, cernit miserabile volgus
In pecudum cecidisse cibos et carpere dumos
Et foliis spoliare nemus, letumque minantis
Vellere ab ignotis dubias radicibus herbas.

94 pati...virus M, pat.ens A, (pati a), patens B, **95** dirigit T, atra O vulgo, detentaque M_1, **97** fessumque — recusat l. Serv. Georg, III. 524, habet (corr. habit) R. **99** morbo R_1, **100** sed — venit l. Lact. ad Stat. Theb. I. 632, cadendum M perempta m (rec.) AEB, **101** manent AB, alta g, **102** iam G nam g c. rell., **104** [que] T, aquilonibus *s. s.* eus G, **109** obsidione...famem M, surgentibus Vu, **111** cecidisse *cibos et* M, **112** foliis VUG, *foliis*... spoliare M (morsus Stht.) morsu AgB, minantis Ma.

94 *Caeno,* limosa fiebat aqua, nulla nova affluente. Dedi v. 95 *arta* cum Heinsio p. 144 et Gronovio, Diatr. Statiana c. 25 p. 146, quamvis Statianum „riget arta cutis" Theb. VI. 871 non plane conveniat. Efficit venenum ut contrahatur cutis IX. 793, IV. 288, Sen. Oed. 186 „(vapor flammeus veneni) multoque genas sanguine tendit | oculique rigent et sacer ignis | pascitur artus." Eadem tria morbi phaenomena ac v. 95—97. De postremo Lucr. VI. 1166: „omne rubere | corpus, ut est per membra sacer dum diditur ignis."

100 „Turbaque *perempta*" perversa haec interpolatio: altera *alta* (prox. versu) non necessaria. *Perempta* propter praesens tempus *cadentum* (=cadaverum; praesens perpetuam actionem designat) inventum videtur, quasi de solis interfectis agatur. *Altus* part. non insolitum cf. Georges Lex. der Lat. Wortformen i. v *alo.*

103 *Funus erat* „pro sepultura erat" Schol.

106 Non distinguit post *terrae*, quod cum *collibus* iungit, Gron. Diatr. Stat. p. 39 Hand, admodum dure.

107 Aerem *pigrum* dicit gravem contagii nube (90), nam vento movebatur v. 104.

109 *Nondum*: nempe frumenta maturescere incipiebant, mense Maio. Caesar III. 49. *Cernit,* subiectum est *hostis* v. 106. *Turgentibus* cf. Heins. ad Claud. Nupt. Hon. 94.

112 *Morsu* legebatur ante Oudend. In v. 111 *in-cecidisse* tmesis dura.

Quae mollire queunt flamma, quae frangere morsu,
Quaeque per abrasas utero demittere fauces,
Plurimaque humanis ante hoc incognita mensis
Diripiens miles, saturum tamen obsidet hostem.
 Ut primum libuit ruptis evadere claustris
Pompeio cunctasque sibi permittere terras,
Non obscura petit latebrosae tempora noctis,
Et raptum furto, soceri cessantibus armis
Dedignatur iter: latis exire ruinis
Quaerit et inpulso turris confringere vallo,
Perque omnis gladios et qua via caede paranda est.
Opportuna tamen valli pars visa propinqui,
Quam Minuci castella vocant et confraga densis
Arboribus dumeta tegunt. Huc pulvere nullo
Proditus agmen agit, subitusque ad maenia venit.
Tot simul e campis Latiae fulsere volucres,
Tot cecinere tubae. Ne quid victoria ferro

115 ute (ro s. s.) U, dimittere U, demittere u, cautes vR, **116** ante hac A, **117** saturum — hostem l. Prisc. 237. 24 H. **118** licuit corr. in placuit M, castris ATB, **122** dedignantur a, **123** impulsi V, impulso UMA, impulsu RTG. valli VRTG, vallo UMA, **124** gladius A, omnis MAR, **125** l. Anecd. Helvet. 205. 15, visa est T, **126** quam Ugb qua rell. vulgo, minici OTC (ad 263), numici u, minuci C, vacant O, vocant mag, **127** hic VUMAb, hinc B, tenent Rb, **128** in moenia UMaG, cis (?) moenia m, **130** *in ima pag. adscr.* A.

114 *Queat* Bentl. quod subiectum *miles* singulare est, at est collectivum.

115 *Arrosas—cautes* Heins l. l. p. 145.

122 „Latis exire ruinis" i. q. late spargens Caesaris castella. *Laxis* c. deterr. aliquot Cortius. Bentleius post *ruinis* (122) collocat 124 „perque — est" quo nihil lucramur; idem *inpulsi — valli* commendat, quod turres sint pars valli. Sed *inpulso vallo* cum sit optimorum, *inpulsu valli* interpretamentum videtur, ex quo facile *inpulsi* in V nasci potuit. „Inpellere" verbum Annaeanum pro *diruere, excidere,* diruto vallo procidunt turres. *Per omnis gladios* i. q. per solos gl., per omnia hostilia, sicut dicitur per pacata omnia proficisci, fausta omnia apprecari. *Impulsu valli* Oudend. Burm. Cort., *impulso vallo* Weise.

126 Iungendum: „dumeta densis arboribus confraga" (= concreta), cf. Stat. Theb. IV. 494 „ad confraga silvae venator — expectat." Val. Fl. III. 582 „emicuit — taurus per confraga — obvia quaeque ruens." Obiectum verbi *tegunt* requiritur, quare non *qua* sed *quam* legendum, ex quo vocabulo *m*, eadem littera sequente, neglegentia omissam esse, etiam per se probabilius quam additam. Quod cum ita sit, sequitur ut *vocant* non *vacant* verum sit. Nec castellum vacuum erat. *Φρούραρχος* eius erat teste Appiano II. 60 (qui hunc a Scaeva distinguit) *Μινούκιος*, de quo castellum postea dictum, cum haec scribebantur. De altera brevi in *Minucius* nemo dubitabit, cf. e. g. „Brundisium melius Minuci via ducat", Hor. Ep. I. 18. 20. Fallitur qui Scaevam *Minutium Scaevam* vocat; eius nomen *Cassius* aut *Caesius Scaeva*. Cf. Usener ad Comm. p. 195. 22.

129 *Simul ut* Heins., *simulac* Bentl. post *tubae* tamen interpungens. *Πάθος* in his ad anaphoram non sufficit. Nihil est quo *tot* definiatur et exclamatio, quae placet Burmanno et aliis, parum apta. Suspicor cum Guyeto pro priore *tot* (129) legendum esse *quot* i. e. quot simul legiones conspectae, simul totiens signum pugnae (*tubae*) datum est. Minus probabile esset, si *ne* superioribus iunctum consecutiva particula haberetur, cuius usus non aliud succurrit tam durum exemplum.

Deberet, pavor adtonitos confecerat hostis.
Quod solum valuit virtus, iacuere perempti,
Debuerant quo stare loco; qui volnera ferrent
Iam deerant et nimbus agens tot tela peribat.
Tunc piceos volvunt inmissae lampades ignes,
Tunc quassae nutant turres lapsumque minantur;
Roboris inpacti crebros gemit agger ad ictus.
Iam Pompeianae celsi super ardua valli
Exierant aquilae, iam mundi iura petebant.
Quem non mille simul turmis nec Caesare toto
Auferret Fortuna locum, victoribus unus
Eripuit vetuitque capi; seque arma tenente
Ac nondum strato Magnum vicisse negavit.
Scaeva viro nomen; castrorum in plebe merebat
Ante feras Rhodani gentes; ibi sanguine multo
Promotus Latiam longo gerit ordine vitem,
Pronus ad omne nefas, et qui nesciret, in armis

131 hostis UA, **132** perempti UM, **133** *post hunc v. inseritur in R*: imposuere caput neq. erant qui vulnera tanta, **134** nimbis M_1, peribant (n s. s.) AB_1, nimbusque ferens AB, **135** emissae Ug, immensae m T, lampadis MAG, **136** quase AB, quasae M, **137** vomit V (gemit m. 2) MAR (gemit s. s.) T, impactu A, **139** patebant s. s. ter, *ut videtur,* U tenebant g, petebant A_1 schol. Voss., patebant rell. vulgo. **141** aut ferret AB, **143** magno M_1, **144** castrorum — merebant (sic) Lact. ad Stat. Theb. IV. 237, scaeva — merebat l. Prisc. 396, 1 H, seva R ap. Prisc., implere BA (*s. s.*) impellere metam m. 26, implebe R, **146** promotu in marg m. 2 A, **146** *versus inter lineas additus,* 1 *m.* U, **147** *in omn*e A in gB.

134 „Et nimbus agens" primus Oudend., rursus *nimbusque ferens* Weise, Haskins. Non admodum scite dictum; tela densa cum nube comparantur; ipsae sunt nubes, non nubes est extra tela, ferens ea. *Peribat* i. q. frustra erat; cf. IX. 561.

135 E lectione mT *immensae* Heins.: *incensae.*

137 *Vomit* frustra defendit Cortius; e glossa *movet* natum puto.

139 Schol. Voss.: „patebant (l. petebant) h. e. pristinum imperium *receperunt,* ut regnarent in orbe toto, quod perdiderant nuper inclusi (f. -*sae*)". Burm. *patebant* explicat „usus communis omnibus erat apertus", quod antea clausus esset Pompeius. Similia Cortius. Aliter Grotius („iam aditus erat ad libertatem") et cum Hortensio Oudend. („iam stetisse mundum, sub utrius imperio esset futurus"). Haskins fere cum Burmanno. Ex hoc dissensu *patebant* non tantum turgere sed etiam obscurum esse apparet. Per unius castelli expugnationem confici potuisse idem, quod acie Pharsalica, ne Lucanus quidem dicere potuit. *Petebant* illae aquilae, ut quae olim Romulo apparuerant, imperium mundi, nondum erant consecutae. Pro *petebant* facit alia lectio *tenebant* cf. Ub. Schol. *iura* pro accus. habet.

144 *Σκευᾶς* appellatur ab Appiano II 60 i. e. *Sceva* cf. Plut. Caes. 16. De corruptione „impellere metam" cf. Mnem. XIX. 28.

145 Sine causa Waddelius „*feras* Rhodani *in* gentes" et Schraderus *ferus* Rh. *in* gentes". Cf. Stat. Silv. III. 2. 73 „ante rates" i. e. ante navigationem inventam. Val. Fl. VII. 424 „aut Scythiae tanta inde manus", i. e. certamen cum Scythis. Luc. VII. 164 „usque ad Thessaliam". Vs. 146 temere Bentl. „*primo* — ordine". *Longo ord.* est longa militia, Plin. XIV. 19„ tardor ordinis ad lentas perducit aquilas", Stat. Silv. IV. 1. 32 „manet insuper ordo longior (honorum)".

147. In bello civili virtus militaris est

Quam magnum virtus crimen civilibus esset.
Hic ubi quaerentes socios iam Marte relicto
Tuta fugae cernit, „Quo vos pavor, inquit, abegit
Impius et cunctis ignotus Caesaris armis?
[O famuli turpes, servum pecus, absque cruore]
Terga datis morti? Cumulo vos deesse virorum
Non pudet et bustis interque cadavera quaeri?
Non ira saltem iuvenes, pietate remota,
Stabitis? E cunctis, per quos erumperet hostis,
Nos sumus electi. Non parvo sanguine Magno
Ista dies steterit. Peterem felicior umbras
Caesaris in voltu; testem hunc Fortuna negavit:
Pompeio laudante cadam. Confringite tela
Pectoris inpulsu, iugulisque retundite ferrum.

150 auegit M_1 adegit bg. **152** *Om.* VUMAKRFG, *habet* M *in marg. a. m.* 2 *ac coaeva*; *in* P^n *non fuisse suspicatur Detlefsen, eo quod a v.* 153 *novum folium incipiebat cum ab initio libri, i. e. ab initio paginae alicuius*, 150 (5 × 30) *versus esse necesse sit, itaque* (*nostros*) 152 *versus convenisse cum* 150 *librarii, ut duo ex nostris in palimpsesto desiderati sint. Sed ultima quae mansit pagina quinti libri desinit* V. 660, *insecuta folia igitur incipiebant*: 661, 691, 721, 751, 781, 811, *extrema igitur pagina continebat* V. 811—815 (*incl.*) *i. e. quinque versus cum subscriptione, locum praeterea sufficientem habebat inscriptioni et aliquot versibus libri VI. Cf. Praefatio* vol. I *p. XXVIII sq.* **153—178** adsunt in P^n, cf. V. 660, **153—160** initio versuum in P^n una vel duae syllabae desunt **153** virum P^n suprascr. ro, **154** in bustis VU, et bustis P^nMAB, **155** iuvenis M, **156** hostes ex corr. m. 3 A, **157** non sumus (in marg. m. 2: nos) AB, magni O vulgo, **158** iste M, ierit O, prima littera in ras. M, .eter.. M (lacuna 3 litt. pro: peterem), **159** voltu P^n, negabit A, negavit M vit in ras., negavit P_n cum rell., **161** recondite (u suprascr.) V, retundite suprascr m. 2, impulsu MT(U Stht.) incursu m 2 m. cum rell.

crimen, quod qui fortis est, *cives* interficit; hoc nesciebat Scaeva, nullo pudore retinebatur.

152 Versum in nullo bono cod. lectum Cortius iam a. 1727 et insecuti Oud. damnarunt, conflatum ex IX. 274 a recentiore interpolatore, qui supplendum putabat sequentem versum sic: sine cruore fugitis mortem? non intellegens, ipsum illud mortem fugere h. l. opprobrium esse.

153 Cumulus virorum est moles, turba belli, pugnae. Non pudet abesse a pugna et ita ignavos esse et segnes et pro nihilo, ut vos (in pugna non conspectos) inter cadavera quaerant? Vulgaris interpretatio est (coll. IX. 965): non pudet cumulo deesse mortuorum et frustra corpora vestra quaesitum iri inter mortuos? Nimis exaggerata sententia, quasi vivere turpe sit. Increpat fugientes, qui fortes viros relinquant, itaque cumulus, stipata pugnantium turba, significationem suam accipit per opportunitatem satis claram, cum praesertim *virorum* (= fortium) accedat. Tamen facile ignosco Guyeto 153 et 154 proscribenti. V 155 damnat Heins. p. 145 pro *stabitis* coni. *civibus.*

158 *Steterit* dedi secundum vestigia Montepessulani, cuius lectio exstitisse videtur ex hac male intellecta correctione DIESTERIT (ETER suprascr.) PETEREM. *Sterit* erat corrigendum *steterit*; sed librarius correctionem ad sequens vocabulum *peterem* retulit. pro quo substituit *eter* (v. s.). Ex *terit* permutatione litterarum T et I fecerunt *ierit.* Ex duabus S (*diesst*) una omissa et vocabula duo proxima ex parte similia corruptionis causa fuerunt. Recepi igitur illud, quod Heinsius iam coniecerat. Nam quod ad *ierit* defendendum provocatur ad Claud. Eutr. I. 203 „tot Galatae, tot Pontus eat, tot Lydia nummis", minus recte fit; ibi formula est venditionis (gaan voor). Consequens est his ut v. 157 *Magno* legatur cum Cortio. Iungunt: Magni dies et comparant: dies Syllanus, d. meus, simm., sed dies, quo Pompeius dubio cum eventu pugnavit, non recte sic dicitur.

161 Cf. Stat. Theb. VII. 529: „tela viros-

Iam longinqua petit pulvis sonitusque ruinae,
Securasque fragor concussit Caesaris aures.
Vicimus, o socii; veniet, qui vindicet arces,
Dum morimur". Movit tantum vox illa furorem,
Quantum non primo succendunt classica cantu,
Mirantesque virum atque avidi spectare secuntur
Scituri iuvenes, numero deprensa locoque
An plus quam mortem virtus daret. Ille ruenti
Aggere consistit, primumque cadavera plenis
Turribus evolvit, subeuntisque obruit hostis
Corporibus totaeque viro dant tela ruinae,
Roboraque et moles hosti seque ipse minatur.
Nunc sude, nunc duro contraria pectora conto
Detrudit muris et valli summa tenentis
Amputat ense manus; caput obterit ossaque saxo
Ac male defensum fragili compage cerebrum
Dissipat, alterius flamma crinesque genasque
Succendit; stridunt oculis ardentibus ignes.
Ut primum cumulo crescente cadavera murum

162 sonituque P^n, **164—167** *om* P^n. *Scilicet abscisa est superior pars folii VIII, quae continebat in recto latere* 149—152 *et in verso* 164—167, **164** vicimus MTG, vincimus g cum rell., **166** $\overset{\text{ant}}{\text{cornu}}$ V, **167** secuntur UMR, **168—178** *in fine versuum aliquot syllabae amissae in* P^n, **168** iuvenis A, depressa *legit Sidonius* 5. 250: *„si forte premantur seu numero seu sorte loci," Bentleio iudice,* 169 an peius P^n, morte B, **171** subeuntesq. P^nVU, -tisque *corr. in* -esque M, subueuntesq. A, **172** totaeque — ruinae l. Lact. ad Stat. Theb. II. 605, **175** detrusit T, **177** sa[rebrum] P^n, **178** crinemque AB_1g, dissecat V (dissipat supra scr. m. rec.). Desinit P^v cf. P^v 215, **179** stridunt A, striduntque Rg, strident rell.

que pectoris inpulsu rapidi stravere leones". Vulgo *incursu. Inpulsu* rec. Hosius vid. J J. 1893 p. 345. *Retundite* cf. Hor. C. I. 35. 39 „retusum in | Massagetas Arabesque ferrum."

164 *Vicimus* melius convenit gloriabundo, nec futuro *veniet* postulatur *vincimus* (Cortius). Similia Weissenborn ad Liv. XXI. 43.

168 Bentl. *depressa* e Sidonio. Sed cf. IV. 469 „quantum deprensa valebat | effecit virtus." Omnino translata significatione non usurpat *depressus* Lucanus; aptum esset *pressus* ut Sidonius habet, non *depressus*, quod de animo humili et despondente fere dicitur. Proxima „an plus quam mortem" explicanda e mortis contemtu; nihil nisi mortem, quae fortibus non est acerba, passuri erant. Cf. 153. Experturi num virtus praeter mortem aliud acerbius, metum mortis et horrorem daret. *Peius* vs. 169 in P interpretamentum est.

172 *Totae* mire pro omnes, an tota aedificia strata, muri qui proruerunt tela sunt? Vix puto vocabulum sanum; conieci *stratae*. Finalis *s* superioris vocabuli corruptelam peperit.

173 Bentl.: *vastas* pro *hosti* propter repetitionem. „Se ipsi" proprii corporis pondus intendit.

176 Speciose Heins. *capita.*

179 *Stridunt* formam rariorem sed testatam recepi ex A, cf. IX. 916. Kühn. Gr. I. p. 586. Stridĕre apud Verg. et alios metro tutum et a Phoca diserte Lucano adscribitur, cf. Neue II. p. 424.

Admovere solo, non segnior extulit illum
Saltus, et in medias iecit super arma catervas,
Quam per summa rapit celerem venabula pardum.
Tunc densos inter cuneos conpressus et omni
Vallatus bello vincit, quem respicit hostem.
Iamque hebes et crasso non asper sanguine mucro
[Percussum Scaevae frangit, non volnerat, hostem.]
Perdidit ensis opus, frangit sine volnere membra.
Illum tota premit moles, illum omnia tela,
Nulla fuit non certa manus, non lancea felix,
Parque novum Fortuna videt concurrere, bellum
Atque virum fortem. Crebris sonat ictibus umbo,
Et galeae fragmenta cavae conpressa perurunt
Tempora, nec quidquam nudis vitalibus obstat
Iam praeter stantis in summis ossibus hastas.
  Quid nunc, vesani, iaculis levibusque sagittis
Perditis haesuros numquam vitalibus ictus?

181 ....ere U, aequavere vab, admovere AVMG, **184** comprensus U, **186** volnere R, **187** hostem om. R *Versum om. San-Germ. ap. Heins. p.* 146, **188** *in* P^n *defuisse hinc probabile est, quod folium unum* (179—214 *inclusive*) *continebat* 34 *versus pro* 36, *omittebat igitur duos, unum hoc loco, alterum v.* 207, **186—188** om. Voss. Y et Colb. ap. Hos., **188** om. UMABEK, in marg. u m a, adest in RG fregit a, **189** petit U (premit tanq. glossa add.) MG, premit mAV, **190** incerta V_1, **192** fortis O *vulgo* **193** et — tempora (194) l. Lact. ad Stat. Theb. VIII. 706, suae compr. u, **196** levibusve UMT, **197** editis U, nusquam U, nunquam VAM.

184 Pressus ab hoste *undique* (*omni* bello) vincit etiam posticum. *Respicit* i. q. a tergo videt ut VII. 301, re = retro. *Comprensus* Bentl. fortius est alterum et magis h. l. Lucaneum.

186 Non asper i. q. non durus, sed quasi crusta sanguinis concreti obvolutus.

187 „Scaevae gladius obtusus pulsum hostem debilitat, non vulnus infert". Haec sententia plane convenit cum proximo versu et eo superfluus versus; praeterea ordo verborum pravus est, *Scaevae* enim non potest illum locum tenere. Quare non mirum est priorem versum suspectum esse Oudendorpio, Cortio aliis, etsi non ille, sed alter („perdidit —") in bonis libris deest. Et recte statuisse videntur; nam praeter verborum ordinem etiam pravum est „frangit hostem", quod cum dicitur *frangit* figurate sumitur, cum propriam significationem oppositio et v. 184 requirant. Contra in v. 188 nihil est a Lucani ratione alienum. V. 187 ex glossis consutus expulit verum. Utique a Lucano numquam potest esse profectus. Non est dittographia sed ex interpretamentis. Vs. 188 fortasse in antiquissimis aliquot libris est omissus, quod in exemplari poetae in margine scriptus esset. Minus recte Mnem. XVIII. 14.

191 Ex Seneca cf. supra ad v. 3. V. 192 *fortem* Bentl., Schrad.; Heins.: *tortis creber* (p. 146).

193 *Ramenta* vel *segmenta* Heins., *tegmenta* Guyetus. — Stat. Theb. VIII. 702: „tela — summis ossibus haerent." Ib. 108: „inusta temporibus nuda aera sonant." His v. 193—195, quos spurios iudicat Guyetus, satis defenduntur, quamvis inepti. Non significantur bucculae, quae urant, ut *tempora* ostendit, sed superior pars galeae erat fissa ictibus, et rimas egerat aes introrsum distentum. *Fragmenta* sunt fragmina.

194 *Nudis*, per vulnera (quae tamen teguntur ipsis telis). Confert Heitland Ennium Ann. VIII. 200: „pila retunduntur venientibus obvia pilis." *Vitalia* partes quarum laesio mortalis (*καίριος*). *Obstat* i. q. tegit, vitalibus quasi praetextum est.

Hunc aut tortilibus vibrata phalarica nervis
Obruat, aut vasti muralia pondera saxi,
Hunc aries vallo ballistaque limine portae
Promoveat, stat non fragilis pro Caesare murus,
Pompeiumque tenet. Iam pectora non tegit armis,
Ac veritus credi clupeo laevaque vacasse,
Aut culpa vixisse sua, tot volnera belli
Solus obit, densamque ferens in pectore silvam,
Iam gradibus fessis, in quem cadat, eligit hostem.
[Par pelagi monstris Libycae sic belua terrae]
Sic Libycus densis elephas obpressus ab armis
Omne repercussum squalenti missile tergo
Frangit, et haerentis mota cute discutit hastas;
Viscera tuta latent penitus, citraque cruorem
Confixae stant tela ferae, tot facta sagittis,
Tot iaculis unam non explent volnera mortem.
Dictaea procul ecce manu Cortinis arundo
Tenditur in Scaevam, quae voto certior omni
In caput atque oculi laevum descendit in orbem.
Ille moras ferri, nervorum et vincula rumpit,
Adfixam vellens oculo pendente sagittam

198 nunc vibr. ph. n., l. Isidorus XVIII. 7.8, hunc — obruat (199) l. Servius Aen. IX. 702, nunc Isid., falarica VM, **200** ferro O vulgo, balistaque VUAG, torta VmAB portae vUGM, aries bello b *var. l. Schol. in U,* **201** summoveat K, **202** tetigit c, **203** clepeo A,

206 ilicit M, eligit m, cadit T, **207** om. VUMR, add. umAGBE, **208** [sic] getulus A_1 elefas V, elephans MA, obpressus A, **209** scalenti U (q *m. rec.*) missili M, **210** cute, *t* a m. rec. U, distulit G, **211** extraque V, citra v, dolores Rg, **212** confix*ae st*ant M, fixa agcUVTbE, fa*cta* M iacta g fracta c, **213** iac. venit V_1, [non] R, **214** Cortynia — scaevam (215) l. Lact. ad Stat. Theb. III. 587, cortynia Lact., cortynis G, cortinis RTVU (cortynus M *Steinht*, gortynis *ego*), cortinis dedi cf. III. 186, harundo U, **215—274** *adsunt in* P_v, *cf.* P_n 178, **216** laevom P^v, discendit M_1, **217** *defuisse in* P^v *probabile est, cf. ad* 188, rupit RT, rumpit P^v c. rell.

200 „Aries *sternat*" Burm. melius quam *turri* Heins. (Burm. auctore). Nam cur a turri potissimum? aries tundit humilia. Nihil aptum nisi *vallo,* sic recte Schrader. Oppositum sqq. „limine portae." Hosius: *limite torta* ut Scaeva sit ipse limes, quod non intellego. De correctione in VmA *torta* vid. Mnem. XIX p. 29.

203 *Veritus,* rell. ne crederetur per clypeum (eius administrationem) et laeva manu vacasse. *Que* iungit duos ablativos generis diversi: instrumenti et relationis. In vulgari explicatione et interpunctione (post *clupeo*) non attenditur ad passivam inf. formam.

204 „Tot *munia* belli" Bentl.

208 *Getulus* ante Grotium post Ascens. legebatur, qui recepit *sic libycus. Getulus* correctio est ut superior versus, qui manifesto spurius est, retineri possit. Frustra Burm., et ipse reiiciens 207, ut *Getulus* posset stare coniecit: „Getulus densis elephas sic pressus ab armis."

210 „Mota cute" quasi muscas abigens.

215 *Quae* rell. i. e. certa ultra quam quisquam exspectaret, ut „melius spe" et simm.

218 *Evellens* Heins. cf. Stat. Theb. IX. 751 „ille trahens oculo plenam labente sagittam."

Intrepidus, telumque suo cum lumine calcat.
Pannonis haud aliter post ictum saevior ursa,
Cui iaculum parva Libys ammentavit habena,
Se rotat in volnus, telumque irata receptum
Inpetit, et secum fugientem circuit hastam.
Perdiderat voltum rabies; stetit imbre cruento
Informis facies, laetus fragor aethera pulsat
Victorum; maiora viris e sanguine parvo
Gaudia non faceret conspectum in Caesare volnus.
Ille, tegens alta subpressum mente furorem,
Mitis et a voltu penitus virtute remota,
„Parcite, ait, cives, procul hinc avertite ferrum
Conlatura meae nil sunt iam volnera morti:
Non eget ingestis, sed volsis pectore telis.
Tollite et in Magni viventem ponite castris;
Hoc vestro praestate duci; sit Scaeva relicti
Caesaris exemplum potius, quam mortis honestae."
Credidit infelix simulatis vocibus Aulus,
Nec videt erecto gladium mucrone prementem:

218 adfixam P^vMRA, affixam VG, afixam U, **219** telumque P^vMAG, ferrumque VU, **220** haud P^v, **221** cum iac. O, libyasammentavit P^v, admentavit a, lybis UM, libis R, **222** volnus P^v, **223** impedithoc P^v, circumit P^vMA, circuit VUG, **224** perd. v. rab. l. Lact. ad Theb. II. 672, *p*rodiderat, *i. e.* prod. *corr. in* perd. V, **225** facie P^v, **226** et sanguine A (s. s. *t*) B_1, virisesanguine P^v, **227** volnus P^v, **228—267** adsunt in P^R (et P^v, vid. ad 215) cf. VI. 61 v. 228—247 in P^R *aliquot litterae desunt in fine versuum,* **228** furorem, *f partim erasa* P^v, furor.. P^R, frorem V (*u* supra scr.), furorem AUTG, dolorem ab, **230—252** plurima in P^v evanida, **230** hunc A (hinc a), ...rum P^v, fer... P^R, ferrum UVATG, bellum Rg, **231** conlatura P^RMR, sunt iam P^RG (*corr.*: iam sunt). volnus P^RR, **232** l. Serv. A. X. 744, vulsis P^R, egeo V, man. rec. corr. in: eget, **234** p*raest*ate U, **237** necvideter(ecto) P^v, glaudio T, tremente̅ P^vEVMRg, prementem U, tenentem G, retenentem T.

220 Furor ex dolore vulneris natus significatur, tanquam novos dolores afferens, sed ut fit in comparatione elaborata quaedam sunt dissimilia. Scaeva evellit telum, ursa magis magisque recipit, dum tanquam canis in caudam, quam frustra vult mordere, se circumagit in telum, se rotat in volnus. *Cui* pro *cum* debetur Bentleio post Barthium. Sil. XIV. 422: amentanto noto (flammam missilium) = urgente. Claudianus XVII. 321: amentatus in arcem, loro raptus vid. Jeep.; Libys adegit iaculum per amentum. *Parva* dubito an sit corruptum ex *torta*, nihil enim exiguitas confert ad comparationem nec ad descriptionis vigorem. *Ammentavit* recepi ex P^v, idem Ribbeck Verg. A. IX. 665, Thilo, Serv. ad l. l. Cum 223 *circuit* cf. ad VIII. 200. Se convertit ad hastam, quae ipsa cum lumbis, quibus infixa est, se vertit et appetentem frustratur. *Impedit* minus recte Steinhart, de schedis p. 19. Cf. 394, Stat. Theb. 523, Sil. It. V. 273 (non, qui laudatur Varro RR. III. 16. 8).

228 „Furorem" et 230 „bellum" commendantur tam auctoritate quam sententia; non petit a Pompeianis ut omnes alio bellum transferant, sed ne adstantes amplius tela in se (Scaevam) convertant.

237 „Nec vidit recto" vulgo; „nec *videt erecto*" recepi e P^v, ratus vulgatam exstitisse e studio adaequandi tempora: „credidit—vidit—excepit." Sed ea nulla esse debebat mutandi causa. Cf. supra 128:

Membraque captivi pariter laturus et arma
Fulmineum mediis excepit faucibus ensem.
Incaluit virtus, atque una caede refectus
„Solvat, ait, poenas, Scaevam quicumque subactum
Speravit; pacem gladio si quaerit ab isto
Magnus, adorato submittat Caesare signa.
An similem vestri, segnemque ad fata putatis?
Pompeii vobis minor est causaeque senatus,
Quam mihi mortis amor". Simul haec effatur, et altus
Caesareas pulvis testatur adesse cohortis.
Dedecus hic belli Magno crimenque remisit,
Ne solum totae fugerent te, Scaeva, catervae,
Subducto qui Marte ruis; nam sanguine fuso
Vires pugna dabat. Labentem turba suorum
Excipit atque humeris defectum inponere gaudet;
Ac velut inclusum perfosso in pectore numen
Et vivam magnae speciem virtutis adorant,
Telaque confixis certant evellere membris,
Exornantque deos ac nudum pectore Martem
Armis, Scaeva, tuis, felix hoc nomine famae,

239 facibus P^R, **243** summittat P^RO, summitat M, deest in P^v, **244** putati. P^R. ..asti P^v. putatis VUM (*s* add. m. 2) G, putastis Ab, **245** pompei P^R, ...ovobisminore.. P^v, minor est vobis G, [est] T, **246** effatus P^R, afatus T. **247** cohortes P^v c. reliquis, *deest in* P^R, **248–267** *in* P^R *ab initio versuum aliquot litterae desunt*, **249** nec solum R, **250** *qui marte ruis* A, non sanguine b, **252** umeris P^vP^RM (*in hoc* h *add. m.* 2), imponere P^vP^R, audet P^R, defessum P^v, **253** ..lutinclusum P^R, velut incl. VUMG, veluti incl. BRTA (deest in P^v), perfuso P^R inponere P^R (pro: inpectore), nume P^v, **254** ...aemagnam P^RRg, **255** evellere m. 1 in ras. A, **256** deornant g, nudo U, nudum P^v c. rel. (deest in P^R).

„proditus agmen agit, subitusque ad maenia vēnit", 224: stetit — pulsat, 825: extruit, vēnit, linquit. V. 162: confugit ad tripodas, haesit, concepit. Adde III. 392, IV. 11, V. 18, VIII. 670, II. 724, VII. 34. *Prementem* sententia commendatur et parum abest a plerorumque lectione *trementem*. Erectum tenet S. gladium, sed simul occultat, ut illum in fauces se sublaturi Auli trudere possit. Steinhart idem probat, de schedis p. 19.

248 *Hic*, non pulvis, sed Caesar, quod si vel maxime historiae pugnaret, id quod ex Caesare III. 51 probari non potest, qui de sex proeliis uno die factis refert c. 53, tamen non erat in dubium vocandum. Decorum erat secundum poetam Pompeio, quod Caesar invitus eius famae inserviret. *Hoc* et *fortuna remisit* (in Guelferb. 6) pravae coniecturae sunt. V. 250 subducto marte = cum Pompeiani se recepissent Scaeva non moritur cf. X. 544.

256 „Pectora" Bentl. coni. Praeferrem cum U: *nudo pectore*, si quid mutandum esset. Ad nudum simulacrum Martis Haskins confert Iuven. XI. 106: „ac nudam effigiem (Martis) clipeo venientis et hasta." Id. III. 216 „nuda et candida signa" tanquam res pretiosa. *Armis tuis*, clypeo, qui centum et triginta erat foraminibus perfossus teste Caesare III. 53 et aliis. Suspendunt donarium sodales pro Scaeva, qui defecerat, in simulacro inermi, quod in praetorio erat. V. 257 *hoc nomine famae*, cf. infra 605 „vulgatae nomine famae."

Si tibi durus Hiber, aut si tibi terga dedisset
Cantaber exiguis, aut longis Teutonus armis.
Non tu bellorum spoliis ornare Tonantis
Templa potes, non tu laetis ululare triumphis.
Infelix, quanta dominum virtute parasti!
  Nec magis hac Magnus castrorum parte repulsus
Intra claustra piger, dilato Marte, quievit,
Quam mare lassatur, cum se tollentibus Euris
Frangentem fluctus scopulum ferit, aut latus alti
Montis adest, seramque sibi parat unda ruinam.
Hinc vicina petens placido castella profundo
Incursu gemini Martis rapit armaque late
Spargit et effuso laxat tentoria campo,
Mutandaeque iuvat permissa licentia terrae.
Sic pleno Padus ore tumens super aggere tutas
Excurrit ripas et totos concutit agros;
Succubuit si qua tellus, cumulumque furentem
Undarum non passa ruit, tunc flumine toto
Transit, et ignotos aperit sibi gurgite campos.
Illos terra fugit dominos, his rura colonis

258 si – Cant. (259) l. Acro C. II. 6.1, l. Prisc. 233.21 H., hiber ORPᵥPʀ, sit [tibi durus] T, dedisset O (non: dedissent), **260** conantis Pʙ, **261**, **262** *inv. ordine* ABM, *corr. praep.* B. A., **261** non – triumphis l. Serv. Aen. IV. 168, **262** tyrannum a (m. 2), dum̄ U, **263** non b (M Stht.), ac AT, repulsis Pʀ, **264** castra Mb, **266** fructus Pʀ, **267** *desinit* Pʀ, cf. VII. 458, saevam G (sevam g), **268** profudo Pᵛ, **269** geminaemartis (*sic*, *non*: mortis) Pᵛ, incursū U, **273** totos OPᵛR (*non*: tutos), **274** *desinit* Pᵥ cf v. 305, subcubuit U, frequentem G (furentem g), **275** cum ATB₁E.

261 Ululare Schol. Voss. „clamare sollemnibus vocibus in triumpho, bella civilia non habent triumphum." „Dominum" (262) Caesarem, repellendo Pompeium.

263 *Castrorum* corruptum; fieri non potest, ut poeta oblitus sit non agi h. l. de castrorum expugnatione, sed de circumvallatione perfringenda; Pompeius conatus erat impellere vallum et ruptis evadere claustris v. 118, 23, 25. Itaque nunc non aliam partem *castrorum* est invasurus. Fortasse „*claustrorum parte*" et proximo versu *castra*, hoc cum M, cf. var. lect. ad 118.

265 *Se* non mare significat, ut visum Cortio; se tollentibus = surgentibus (Haskins); mare subiectum est ante *ferit*, *fluctus* a *frangentem* pendet.

267 Unda tandem aliquando crebro allisu ruinam sibi parat, transitum invenit ut „latis exire ruinis" (v. 122) Pompeius studet. *Adest* = adedit (ἅπαξ εἰρημένον) sed non in dubium vocandum; Hauptius Opuscc. II. p. 345 *adit*, quoniam „longi et continui temporis notio" (*adedit*) aliena sit. Non ita; per *aut* vehemens brevisque impetus et diuturna, numquam cessans adrosio distinguuntur.

272 Spargit tentoria et saepe castris motis *ubique* minatur Pompeius, ut Padus *totos* concutit agros, si qua perrupit, omnia vastaturus. Subvertitur sententia coniectura Bentleii: „*intra* aggere tutas *decurrit* ripas, *nec* totos c. a."

276 *Transit* et *campos* pro *exit* – *rivos*, quod exspectari poterat, propter similitudinem rei comparatione illustratae ferendum: Pompeius transibat tanquam lineam munitiones, quibus cingebatur et novam terram intrabat.

Accedunt donante Pado. Vix proelia Caesar
Senserat, elatus specula quae prodidit ignis,
Invenit inpulsos presso iam pulvere muros,
Frigidaque, ut veteris, deprendit signa ruinae.
Accendit pax ipsa loci, movitque furorem
Pompeiana quies et victo Caesare somnus.
Ire vel in cladis properat, dum gaudia turbet.
Torquato ruit inde minax, qui Caesaris arma
Setius haud vidit, quam malo nauta tremente
Omnia Circeae subducit vela procellae,
Agminaque interius gyro breviore recepit,
Densius ut parva disponeret arma corona.
Transierat primi Caesar munimina valli,
Cum super e totis emisit collibus agmen
Effuditque acies obsaeptum Magnus in hostem.

279 qua U_1, **281** et veteris BUAR, *ut* M, **285** torquator ruit A, **286** haut VU segnius O vulg., *tremente* M, trementi AG, **287** *in U post additus* 1ª *m.*, subd. circaeae *hoc ord.* VARGT, circeae MVU, **288** gyro] muro O vulg., **289** deponeret A, **290** inprimi R_1, **291** superet A, superi a, immisit VU, arma VUMRG, **292** obsessum Va,

280 Non narratur, ubi et quomodo Pompeiani castellum Caesarianis eripuerint, quod Caesar nunc obsessum invenit. Torquatus, qui praesidet secundum Lucanum (cf. Oros. VI. 15. 19) a Caesare non memoratur in his proeliis (plura erant); mirum id, quoniam paulo ante a Caesare captus fuerat Orici et dimissus: si nunc ille acriter Caesari restitisset, sine dubio tantae perfidiae in commentariis suis Caesar mentionem fecisset. Cf. Caes. III. 11. Sed Lucanus ita credidit, nam cur Caesar Torquato potissimum *minetur* (285) ita intellegitur. — „*Spisso* pulvere" Heinsius. Sed sententia est: sedisse *iam* pulverem proiectis (*inpulsis* cf. IX. 40 al.) munimentis. Videtur igitur *presso* i. q. *depresso*, cf. V. 629 (86).

281 Non forte haec: *frigida* et *accendit* composita.

283 „Pompeiana quies *invito et* Caesare" Bentleius, parum apte; *Caesare* = Caesarianis.

285 „Inde" (propterea, ut gaudia turbet victoris perfidi?) „ruit minax Torquato" iungendum.

286 *Segnius* vulgatum adhuc, turbat comparationem, quae non est in celeritate, sed in contractione subsidiorum quo melius resistatur. *Setius*, satis notum ex Ovidio et Vergilio, et SECTIUS (apud Plautum) a *secus* significatione nihil differunt, et quam facile in SEGNIUS transire possint nemo non videt. Paucis de eo vocabulo exposui ad Plauti Aulul. pag. 48. Ceterum cf. Claud. XX. 6 „(navita) tumidae subducit vela procellae." Sil. I. 687.

Haut forma bis a V prodita VII. 777, IX. 672, dum UM omnino praeter hoc loco *haud* habent, reicienda, in Plauti Ambrosiano quoque dubia. Cf. Ind. Orth. in Studemundi reliquiis Ambr. 1889.

287 Nec a *Circe* magica (inde lectio *Circaeae*), nec a promontorio *Circeio*, sed a *Circio* vento turbido, in Mediterraneo furente, cuius meminit Lucanus I. 418, ducendum. Plerique *Circaeae* dederunt. *Subducit Circaeae*, hoc ord. Hos.

288 *Gyro* debetur Marklando ad Stat. Silv. V. 2. 121. Ceterum Lucanus poterat Pompeium in hac pugna luculentius laudare, quam factum est; cf. Orosius l. l. et Caesar III. 66 sqq.

291 Sententia est: *demisit* aut *immisit*; Heins. posterius memorat p. 145. *Toti* = omnes.

Non sic Hennaeis habitans in vallibus horret
Encelado spirante, notos, cum tota cavernas
Egerit et torrens in campos defluit Aetna,
Caesaris ut miles glomerato pulvere victus
Ante aciem, caeci trepidus sub nube timoris
Hostibus occurrit fugiens, inque ipsa pavendo
Fata ruit. Totus mitti civilibus armis,
Usque vel in pacem, potuit cruor; ipse furentis
Dux tenuit gladios. Felix ac libera, legum
Roma fores iurisque tui, vicisset in illo
Si tibi Sylla loco. Dolet heu semperque dolebit,
Quod scelerum, Caesar, prodest tibi summa tuorum,
Cum genero pugnasse pio. Pro tristia fata!
Non Uticae Libye clades, Hispania Mundae
Flesset et infando pollutus sanguine Nilus
Nobilius Phario gestasset rege cadaver,
Nec Iuba Marmaricas nudus pressisset arenas,

293 etheneis U, hennaeis A, Aetnaeis rell. et vulgo, **294** aencelados M_1, encelados A, encelado BE, enceladum rell. et vulgo, notos M (Stht. notho), notum BE, notho rell., **295** erigit V, egerit V, depluit b, aethna VA, haetna M, **297** cecidit U, **300** furentis M_1, **301** regum Uvm, legum V, rerum ag, **303** silla A, **305—334** *ads. in* P^v *cf.* 274, **306** lybiae A, libyae P^vM, libiae R, libie VU. **309** harenas P^vU, placasset ar. g *per confusionem cum proximo versu.*

293 Bentleius: „*Ennaeis — Encelado spirante notum* cum tota *ruinas*." *Hennaeis* iam Heinsius coniecit p. 147. Recepi ex Ashb. motus tam facilitate mutationis (scribunt librarii vulgo *Aethnaeus*, U h. l. *Etheneis*, cf. Koch, Praef. ad Claudianum p. LV) quam sententia; *notum* i. e. procellam omnino, cineris nubem ex monte advectam, qui remoti sunt, non ad ipsos montes habitant, horrent. „Egerere cavernas cinere" tam recte dicitur quam: „cinerem cavernis," ut multorum verborum analogia docet, sic: *purgare*, *vacuefacere aliquid aliqua re* et *aliquam rem*; sic „egerere alveum" i. q. vacuefacere Stat. Theb. IV. 817. *Torrens* est adiectivum. Oudend. et Hosius commendant *notum*. Cf. Claud. de Raptu Pros. I. 154, Ovid. Fast. I. 573 ab Oudend. comparati.

297 „Nubes timoris" est pulvis ipse glomeratus, de quo 296: „sub metu, quem inferebat pulveris adspectus". Adspecto pulvere e castris occupatis effugerunt, sed evadere non potuerunt. (Non redire poterant Torquato iam insequente, cf. Orosius).

300 Caesar fertur dixisse: penes hostes hodie fuisset victoria, si ducem vincere scientem habuissent (cf. Schrevelius). Caes. III. 70. „Mittere sanguinem" est formula medica. Cic. Att. I. 16. 11, *armis* = pugnantibus, *usque* i. q. in perpetuum.

301 „Legum fores iurisque tui" iungit et explicat Gronovius Diatr. Stat. p. 45 H, ut in rep. imperia sunt legum multaque similia Gronovius. Libera legum (a legibus aut ratione legum) pugnat cum sententia vetusta de libertate civili. *Libera regum* Cortius mavult. — 304 *scelerum summa* = summum omnium scelus, quod pugnasti.

309 Iubae corpus nudum in deserto proiectum solus Lucanus memorat, cf. Florus II. 13. 69 Rossb. „Iuba cum se recepisset in regiam, magnifice epulatus est postero die cum Petreio fugae comite superque mensis et pocula interficiendum se ei praebuit". In singulis reliqui rerum scriptores diversa habent, in summa consentiunt. Sic etiam de Pompeii socero Scipione, de quo Florus l. l.

Poenorumque umbras placasset sanguine fuso
Scipio, nec sancto caruisset vita Catone.
Ultimus esse dies potuit tibi, Roma, malorum,
Excidi e mediis potuit Pharsalia fastis.
  Deserit averso possessam numine sedem
Caesar et Emathias lacero petit agmine terras.
Arma secuturum soceri, quocumque fugasset,
Tentavere suo comites devertere Magnum
Hortatu: patris sedes atque hoste carentem
Ausoniam peteret. „Numquam me Caesaris, inquit,
Exemplo reddam patriae, numquamque videbit
Me nisi dimisso redeuntem milite Roma.
Hesperiam potui, motu surgente, tenere,
Si vellem patriis aciem committere templis
Ac medio pugnare foro. Dum bella relegem,
Extremum Scythici transcendam frigoris axem
Ardentisque plagas. Victor tibi, Roma, quietem
Eripiam, qui ne premerent te proelia, fugi?

310 calcasset sang. R, pressisset sang. G, **311** sancto in ras. U, caruiset M_1, catonae R, **312** laborum MU, malorum c. rell. P_v. **313** exire e mediis vulgo et O praeterquam exciri VRg, exsire v, medius R, i. e. medius *corr.*: mediis, u *pro* ii *posito*, fatis O vulgo, **314** averso P^vMAVUR, aduerso B, **315** tematias M, aemathias VU, hematias A, **316** quacunque O vulg. V, **317** temptavere P_vUMA, suo P_vVART$_1$M *in hoc corr. in* sui, *quod habent* UG sch. Voss., devertere P^vUVMR, regnum T, **318** adque P_v, patriae P_vG (— as g), hortati GM (corr. ex: — tu) U, hortatu P_v c. rell., **319** et **320** nunquam V, **320** [que] T, **321** demisso AM, reddeuntem A, **322** esperiem c, **323** patris *cum accentu s. apice i. e. patriis cf. Detlefsen* el
Phil. XIII. p. 339, P^v, **324, 325** l. verba: dum — orbem Eutyches V. 475.11 K, **324** regem M (sic). **325** scythii VU, scithus R, axem Eut., vulgo: orbem O, **326** ardentisque RG, **327** eriperem u.

313 „Excidere et" Burm., cf. Stat. Silv. V. 2. 88, „excidat ille dies aevo"; idque probat Schrader, praeterea scribens: *fastis*. Propius accedit ad lectionem VRb: *excidi*; propter facilem permutationem litterarum R et D in capitali scriptione *exciri* et *excidi* paene similia; consequens est ut *fastis* scribatur. Aliquid memorabile lapidi *inciditur*; contrarium est: *excidere*, quod fiebat, ut notum est, in monumentis, si nomen aliquod SC. publica infamia notatum esset. Bellum Pharsalicum (cf. VII. 410) e publicis fastis eximi potuisset. In his cum nominibus magistratuum notantur bella (vid. fasti Capit.). In *mediis* iniuria haeret Burm., idem hoc *mediis fastis* atque: media a fastis. Vulgata insolens et nondum a quoquam satis explicata. — Pharsalia, regio circa Pharsalum, III. 297, VII. 535, VII. 781, VII. 407, VIII. 277 (dub.), deinde bellum ibi gestum ut Ἰλιάς, cf. VII. 61, 632, IX. 232, VII. 204. — Ad elisionem „excidi e" cf. I. 593. Trampe de Luc. arte metr. p. 16. *Exciri* non improbat Heins. p. 147.

317 „Sui comites devertere Magnum | Hortati" Grotius, Burm., alter tamen coniciens *diu* pro *sui*. „Suo — Hortatu" vulgo. Pronum erat librariis scribere *hortati*, tamen non P^v. Stant plerique libri a lectione *hortatu*, ex quo consequitur *suo*. Post *sui* abundat *comites*. Imperativus *pete* in relatione facti ordine in *peteret* transit.

325 Heinsius malebat *sideris*. *Axem* Bentleius quoque praefert; aptius ad *transcendam*.

A! potius, bello ne quid patiaris in isto,
Te Caesar putet esse suam". Sic fatus in ortus
Phoebeos indixit iter, terraeque secutus
Devia, qua vastos aperit Candavia saltus
Contigit Emathiam, bello quam fata parabant.
  Thessaliam, qua parte diem brumalibus horis
Attollit Titan, rupes Ossaea cohercet.
Cum per summa poli Phoebum trahit altior aestas,
Pelion obponit radiis nascentibus umbras,
At medios ignis caeli, rapidique leonis
Solstitiale caput nemorosus submovet Othrys.
Excipit adversos zephyros et iapyga Pindus
Et maturato praecidit vespere lucem.
Nec metuens imi borean habitator Olympi
Lucentem totis ignorat noctibus arcton.
Hos inter montes, media qui valle premuntur,
Perpetuis quondam latuere paludibus agri,
Flumina dum campi retinent, nec pervia Tempe
Dant aditus pelagi, stagnumque inplentibus undis
Crescere cursus erat. Postquam discessit Olympo

328 ne quid bello P^vAGUM, ac VRG, ullo V (isto v m. 1), **329** putat ABG, factus AB, fatur T, **330** condixit P^vAB, conduxit UMT, convertit VGu (*in U enim supra scr. est:* „praecepit al. vertit", *ex quibus prius, sine nota varietatis, glossa est,* **333** oris P^vT, viam (pro: diem) R, **334** attollit P^vO, osea AM, ossea UR, cohercet VA, Desinit P^v cf. P^n 395, **335** summ*a poli phoebum* UV_1, phoebeum T, **337** rapidiquo MGUAV (rab. v, m Stht.), leones U_1, *ad* A, ad G, **338** othris UA, otrys M, **339** aversus U, aversos A, iaphica A, **341** boream VU_1, [imi] A_1, **344** pallidibus U, perpetui R, **346** pelagi UVARG, pelago a M, undis b, unum rell. vulgo.

330 *Conduxit* defendit Steinhart, *iter* de euntibus interpretatus, de schedis p. 20. Bentl.: *contendit* ex cod. novitio, manifesta coniectura aeque ac *convertit. Indixit* dedi secundum Verg. Aen. VII. 467: „ergo iter — indicit primis iuvenum et iubet arma parari." Heins. *condixit*.

333 *Dies* vel *iubar* Heinsius.

337 *Rapidi* cf. exempla apud Oud. Sed eadem confusio supra 64.

339 *Aversos* Bentl. sine causa. Pindus conversus est in occidentem, sive *spectat* occidentem, manifesto *adversum*. Proximo versu (340) Pindus oppositus soli occidenti per umbram suam breviorem facit (*praecidit*) diem, nempe accolis orientalibus i. e. Thessalis

341 *Metator* Heinsius, cur malit, non apparet. Thessali (quibus a septentrione iacet Olympus), qui quidem in radicibus montis habitant, prohibentur septentriones videre. *Nec* ad *metuens* solum pertinet.

346 *Pelagi* Grotius, Bentleius, *pelago* Oudend., quod, utique ambiguum, Bentleius a sententia alienum pronuntiat. Oscitantes librarii, quod frequens est „aditum dare alicui", alia sententia, *pelago* dederunt. — *Undis* Grotius, Burm., *unum* Bentl. rell. cum *stagnum* scil. iungendum sed ad *inplentibus* dure *fluminibus* suppletur et *unum* ambiguum est cum possit cum *crescere* iungi. Supra 103: „spargere funus erat." Undis inplentibus vallem crescere erat solus motus (*cursus*). Claud. de raptu Pros. II. 180.

Herculea gravis Ossa manu, subitaeque ruinam
Sensit aquae Nereus, melius mansura sub undis
Emathis aequorei regnum Pharsalos Achillis
Eminet et, prima Rhoeteia littora pinu
Quae tetigit, Phylace, Pteleosque, et Dorion ira
Flebile Pieridum; Trachin, pretioque nefandae
Lampados Herculeis fortis Meliboea pharetris,
Atque olim Larissa potens, ubi nobile quondam
Nunc super Argos arant, veteres ubi fabula Thebas
Monstrat Echionias, ubi quondam Pentheos exul
Colla caputque ferens supremo tradidit igni,
Questa quod hoc solum nato rapuisset Agave.
Ergo absumpta palus multos discessit in amnis.
Purus in occasus, parvi sed gurgitis, Aeas

350 achilles M_1, emathiis A, aequorcis a, **351** rcteia V, **352** philaceq. R, teleosque mTG, phtelosque R, **358** tr. pier., hoc ord. T, tracin R, **354** sagittis Rg, **355** ubi — arat (356) l. Serv. Aen. VII. 286, larisa MAC, **356** arat aut erat codd. Serv. (arant Hagen) erant T, **357** hechionias M, *penteos* M, penthes (s. s. u) A, **359** quaesta A, **360** annos T, abruta T, abrupta rell., vulgo, **361** occasu V_1 *sed* M, curgitis m, eas A.

348 Cf. 267 *ruinam*, Stat. Theb. V. 80, VIII. 460 (Burman) affluentiam subitam s. impetum aquae palustris in mare.

351 Protesilaus, qui primus de classe Troiam appulit, rex erat Phylaces.

352 *Dotion* emendavit I. Vossius p. 706 (editionis Melae Gronov.) secundum Hesiodum ap. Steph. Byz. *Ἡσίοδος Δωτίῳ ἐν πεδίῳ φάσκει αὐτὸν (Θάμυριν) τετυφλῶσθαι* coll. Strabone IX. 442, alibi quoque illa planities Thessaliae memoratur. Putat igitur Homerum (catalogi auctorem) errasse Il. II. 594 in *Δωρίῳ* Thamyrin caecatum narrantem. Sed Lucanus cum Catalogo erravit, testimonio Statii Theb. IV. 179 „quos Helos et Pteleon, Getico quos flebile vati | Dorion; hic fretus doctas anteire canendo | Aonidas — Thamyris damnatur" ubi Lucani locum ob oculos habet.

354 *Sagittis* praefert Bentl., sed cf. III 185 „Gnosos agitare pharetras docta", VIII. 302 „experti pharetras". — Meliboea patria Philoctetis armigeri Herculis, qui ei sagittas donaverat propter opem supremam.

355—359 Bentleius spurios existimat, quia *Echioniae* Thebae dicantur Phthioticae (quarum in descriptione Thessaliae tantum mentio esse potest), quod exilii Agaves nusquam memoria exstet, denique quod Argos in hac regione ignotum sit. Haskins haec refutavit, novam et peculiarem formam fabulae statuens, qua Agave e Boeoticis Thebis Phthioticas exul petivisset. In *olim* v. 355 iniuria B. haeret (i. q. dudum). Admodum dura tmesis „super-arant", *monstrat* pro *memorat* cum situs locorum h. l. indicetur vix ferendum; Argos Amphilochicum procul abest a Thebis Thessalicis et Argos Pelasgicum (Haskins) fabulosum et *regio*; tota conformatio periodi intricata. Negari haec me iudice non possunt; sed falsarius non ita scribit. V. 355 „atque *soli* L. potens" Heins. p. 147, Syll. Ep. III. 461.

360 De amnibus Thessaliae cf. Ovidius Metam. I. 568—580. *Abrupta* palus, unde tandem? Abrumpuntur solida; defluentem fluvium e monte (ut hoc utar) nemo dicet abrumpi a monte. Paulo melius foret *abrepta* (quod de citato fluvio dici potest, Cf. infra 372), melius *absumpta*; *absorpta* si maiorem haberet auctoritatem quam unius Prisciani, recepissem.

361 *In occasus.* In recensione fluviorum ab occasu proficiscitur et per meridiem ad orientem Peneum et Tempe pervenit.

Ionio fluit inde mari; nec fortior undis
Labitur avectae pater Isidis, et tuus, Oeneu,
Paene gener crassis oblimat Echinadas undis,
Et Meleagream maculatus sanguine Nessi
Euenos Calydona secat. Ferit amne citato
Maliacas Sperchios aquas, et flumine puro
Inrigat Amphrysos famulantis pascua Phoebi;
Quique nec humentis nebulas, nec rore madentem
Aera nec tenuis ventos suspirat, Anauros;
Et quisquis pelago per se non cognitus amnis
Peneo donavit aquas; it gurgite rapto
Apidanos, numquamque celer, nisi mixtus, Enipeus.
Accipit Asopos cursus, Phoenixque, Melasque:
Solus in alterius nomen cum venerit undae
Defendit Titaressos aquas, lapsusque superne

363 oenei R, oenu T, **364** oblimet ech. und. l. Lact. ad Stat. Theb. II. 727, ethinadas G **365** l. Lact. ad Stat. Theb. IV. 838, **366** ferit – aquas (367) l. Prisc. 346. 1, euneos UvG, euhenus V, eu^n^venos M, chuvenos a, **367** sperchios VUMA Prisc., malliacas VU, purus m, puros B, **368** inrigat UM, amphrisos VUR, amphysos a, **369** nec *u*mentes M. **370** a*n*auros M, **372** et gurgite VUG, **373** enipheus V, [que] mD, **374** asopos aquas l. Lact. ad Theb. VII. 315, phoeni*xque* M, melaxque VMR, phenis a, malasque CAR_1, **376** tetaresus V. titaressus (sos) MRg, tetares suas A, defendat U_1.

363 *Pater Isidis* quae creditur esse Ἰώ. Pater eius est Inachus sed Argivus fluvius. Cf. Aesch. Prom. 677, eo procliviore errore, quod duae sunt urbes cognomines, altera in Peloponneso, altera Argos Amphilochicum.

364 *Paene gener* per Deianiram Oenei filiam. Rivales fuerant Achelous et Hercules.

368 Admeti Pheraei Apollo armenta pavit, cf. Alcestis Eur. init. Amphrysos in sinum Pagasaeum effluit; verba *ferit Maliacas aquas* 366 huc non pertinent, nec ad proxima (369) *quique*, sq.; ex superioribus in hoc universo recensu suppletur: „palus siccata discessit in amnes", qui partim per relativum annectuntur, partim absolutis sententiis. Eadem libertas est in recensu populorum Galliae libro I. — In eadem vicinia est *Anaurus* v. 370, notus ex historia Iasonis dum Pheras petit, discalceati; is describitur accommodato ad nomen, ab αὔρα ductum. Vib. Sequ. 146 R. *Suspirat* i. q. exhalat, cf. Sil. IV. 777, XII. 136, XIII. 426.

371 Sequitur fluvius Peneus cum affluentibus Apidano et Enipeo („irrequieto" Ovid. l. l.). Inde a 374 Spercheus significatur, in quem Asopus, Phoenix, Melas influunt; post quos placide submissos per oppositionem obsequi recusantis Titaresi ad Peneum redit poeta 375; in Titareso, maxime memorabili, colophonem descriptioni imponit. Vib. Seq. 147 rem turbat.

374 Herod. VII. 200 Phoenicem in Asopum, Asopum in mare effluere dicit, Lucanus Asopum „accipere cursus" refert, nim. praescriptos, imperio maioris fluvii (Sperchei) se submittit (contra quam Titaresus 376). Cum Herodoto facit Strabo IX. 428. Sed hodie res se habet ut Lucanus testatur: Asopus in fluvium Spercheum, non in mare incidit, cf. Bursian Geogr. v. Griech. I. 91. Strabo sua ex Herodoto habet.

376 „Titaresius": Hom. B. 751 *Τιταρήσιον — ὅς ῥ' ἐς Πηνειὸν προΐει καλλίρροον ὕδωρ, οὐδ' ὅ γε Πηνειῷ συμμίσγεται ἀργυροδίνῃ, ἀλλά τέ μιν καθύπερθεν ἐπιρρέει ἠύτ' ἔλαιον· ὅρκου* (Ὅρκος?) *γὰρ δϜεινοῦ, Στυγὸς ὕδατός ἐστιν ἀπορρώξ*, Titaressos Sen. Troad. 847, Plinio NH IV. 31 Detl. Horcos dicitur, cum quo cf. Strabo l. l. Vib. Sequ. 152 R.

Gurgite Penei pro siccis utitur arvis.
Hunc fama est Stygiis manare paludibus amnem,
Et capitis memorem fluvii contagia vilis
Nolle pati, superumque sibi servare timorem.
   Ut primum emissis patuerunt amnibus arva,
Pinguis Bebricio discessit vomere sulcus;
Mox Lelegum dextra pressum descendit aratrum —
Aeolidae Dolopesque solum rupere coloni —
Et Magnetes equis, Minyae gens cognita remis.
Illic semiferos Ixionidas Centauros
Feta Pelethroniis nubes effudit in antris:
Aspera te Pholoes frangentem, Monyche, saxa,
Teque sub Oetaeo torquentem vertice volsas,
Rhoete ferox, quas vix Boreas everteret, ornos,
Hospes et Alcidae magni, Phole, teque per amnem
Inprobe Lernaeas vector passure sagittas,
Teque, senex Chiron, gelido qui sidere fulgens
Inpetis Haemonio maiorem Scorpion arcu.
   Hac tellure feri micuerunt semina Martis.
Primus ab aequorea percussis cuspide saxis

377 poenei **U**, pene g, **378** fame [est] M, fama [est] mB, e stigiis AB, **379** fluvii memorem A, **382** bebrycio VB, brebricio T, sulcos M_1. **384** rupere VUM, fregere u (?) mG, herere g, **385** at magnetes g, miniae A, **386** se miseros R, **386 387** versus hos l. Aldhelmus p. 309. 5 G (Hosius), **387** foeta VU, pelechroniis A, **388** foloes A, monice VAC, monyches M, **389** post 390 U. eteo MG, oeta AB_1, silvas R, **390** rhoethe V, roetae A, everteret M (*e* in ras.) g, inverteret rell., vulg., ornus A, vis T_1, **391** hospes — phole l. Serv. Aen. VIII. 294, hostes A_1, alcide A, pole C, **393** tuque AB_1, tiron A, silide A, gemino qui g, **394** emonio M, etmonio A, **395—424** adsunt in P^n, cf. VI. 334.

380 *Superum servat* timorem: quem tanquam inferorum fluvius habebat (i. e. *infernumque*), sed expressit Vergilianum: „*di* cuius iurare timent et fallere nomen." Aen. VI. 323.

382 *Bebricio* pro *Bebicio*, quod a palude „Bebeïde" (sic) ducebant, ex codd. restituit Grotius. Weise *Boebicio* revocavit a *Boebe* urbe ductum. Videbatur Bebricia (2ª brevi Latini, Verg. & Val. Flaccus, contra Graecos) Amyci patria in Bithynia ab hoc loco aliena. Iniuria, *Leleges* quoque vulgo alibi.

384 *Rupere* cf. Ov. Am. III. 10, 32.

385 Interpunctionem emendavi: inde a *mox* 383 usque ad *remis* oratio continuatur, abrupta tantum secundaria sententia, quam tanquam parenthesin notavi; V. 383: mox Lelegum dextra — aratrum et Magnetes innotuerunt equis, Minyae remis.

389 *Vosque — torquentes*, Bentl., ne desit quod Pholum introducat omisso altero *teque*. Quamvis concinnius, non necesse videtur.

390 *Inverterit* Heins. *Inverteret* vulgo exaggeratione non apta; non enim librarii assecuti sunt, quo *minus* Boreas possit, eo plus per comparationem super eum efferri Centaurum. *Roece* dederat Grotius sine causa secundum Gr. *Ῥοῖκος*.

394 *Inpetere* verbum primus usurpat Lucanus, nam apud Varronem sustulit Keilius, qui cf. ad RR comm. III. 7. 7. *Haemonio arcu* iung. cum *maiorem* tanquam ablativus comparationis; maiorem quam qui Thessalico arcu configi possit (ut *maior spe* simm.).

Thessalicus sonipes bellis feralibus omen
Exiluit, primus chalybem frenosque momordit,
Spumavitque novis Lapithae domitoris habenis,
Prima fretum scindens Pagasaeo littore pinus
Terrenum ignotas hominem proiecit in undas,
Primus Thessalicae rector telluris Ionos
In formam calidae percussit pondera massae,
Fudit et argentum flammis, aurumque moneta
Fregit et inmensis coxit fornacibus aera.
Illic, quod populos scelerata inpegit in arma,
Divitias numerare datum est. Hinc maxima serpens
Descendit Python Cirrhaeaque fluxit in arva,
[Unde et Thessalicae veniunt ad Pythia laurus.]
Inpius hinc prolem superis inmisit Aloeus,
Inseruit celsis prope se cum Pelion astris,
Sideribusque vias incurrens abstulit Ossa.
Hac ubi damnata fatis tellure locarunt
Castra duces, cunctos belli praesaga futuri

397 omnem AB$_{1}$, **398** versus in P^n erasus, exiluit VMAB, calibem AV, frenosque mom. laudat Phocas V. 426. 28 K, **399** abhenis A, domatoris T, **400** fr. secuit pag. P^n, Pegasaeo m, **401** terrenumque P^nATb, novas P^nb, navas A, udas P^n, deleta *n*, **402** thessaloae U, tellurisque R, ionos P^nGARUM, ionos V, ionus T, **403** pecussit, *r* supra scr. P^n, **404** fundit, 1 m. corr. fudit M, fudit [et] T, **405** inmensis P^nR, immensis VUA, **406** inpegit P^n, impigit, corr. in vulg. M, **407** et **408** laudat: hinc m. s. P (Phython R) Priscianus 165. 20 H, **408** discendit A, Piton A, Phiton R, Phyton VM, [que] A, arva P^nA m (3^a m) BR, antra VU(anthra) M, **409** picia, h suprascr Phytia M, **410** inmisit P^nU, admisit R, hic Ub, hinc P^nAVM, Alaeus B, **411** tuncU, tunc Rb, **412** incumbens m (3^a m) b, **413** haec c. locaverunt AB, **414** cesecundos P^n.

401 Lectio *terrenumque* in ATb documento est *secuit* (400) in aliis olim praeter ^{n} exstitisse, ut hic versus superiori accommodaretur. Inde *novas* pro *ignotas*. *Navas* in A calami lapsus est, ut apparet ex P^n.

402 *Ionos* confirmant scholia Bern. et Voss. Ex aliis *yonas* et *venas*, manifestas corruptelas, affert Weber ad Schol. p. 460, qui Papiae laudat testimonium: „Ionos rex in Thessalia, qui primus fecit monetam." *Itonis* ex coni. Grotius, sed dubia est quantitas, "Ἴτων certe urbs de eius nomine appellata, *ι* habet productam Iliad. II. 695, praeterea nusquam hic Deucalionis filius dicitur flaturam auri invenisse. Cassiodorum Epist. III. 31: „aes enim Ionas Thessaliae rex, plumbum Midas — repererunt" secundum suam coniecturam emendat Grotius, commendans temere *Itonus*. Minus etiam probabilia alii. qui contra prosodiam Ianum et Inachum immiscent.

406 *Illinc* Bentl. sine causa.

408 *Fluxit* nove dictum; non similia sunt Claud. XXIV. 266: „malum circumflua vestit pampinus" de Bacchi nave; sed cf. supra III. 421. „Circumfluxisse dracones" et *labi* de serpente. In proximis *unde* est: quapropter; additamentum autem „unde — laurus" totum mirifice languet; eo abrumpitur poetica enumeratio et anaphora, et inseritur frigidum scholion sententia obscura. Propterea versum circumscripsi.

412 *Incumbens* (= impositus) ante Oudend. vulgatum erat, quod tenuit Cortius, recte spretum a Burmanno. Hyperbolice nec minus tamen poetice Ossa siderum vias (banen) obstruxisse, praepedivisse dicitur. *Insurgens* Cornelissen.

Mens agitat, summique gravem discriminis horam
Adventare palam est. Propius iam fata moveri
Degeneres trepidant animi peioraque versant.
Ad dubios pauci praesumpto robore casus
Spemque metumque ferunt. Turbae sed mixtus inerti
Sextus erat, Magno proles indigna parente,
Qui mox, Scyllaeis exul grassatus in undis,
Polluit aequoreos Siculus pirata triumphos.
Qui stimulante metu fati praenoscere cursus
Inpatiensque morae venturisque omnibus aeger
Non tripodas Phoebi, non Pythia consulit antra,
Nec quaesisse libet, primis quid frugibus altrix
Aere Iovis Dodona sonet, quis noscere fibris
Fata queat, quid prodat avis, quis fulgura caeli
Servet et Assyria scrutetur sidera cura,
Aut si quid tacitum, sed fas erat. Ille supernis
Detestanda deis saevorum arcana magorum
Noverat, et tristis sacris feralibus aras,
Umbrarum Ditisque fidem; miseroque liquebat,
Scire parum superos. Vanum saevumque furorem
Adiuvat ipse locus, vicinaque maenia castris

416 propitius A, facta U, moneri T, **417** degentes corr. in vulg. A, **418** laudat C ad VII. 101. **418** at dubios AVU, **419** sed turbae T, **420** non digna P^n, **421** l. liber gloss. cod. S. Gall. 905 p. 872, **421** mors P^n, Scilleis A, exul P^nUAVG. exsul M, **422** parata A, pyrata V, **423** cursu P^n, qui *suprascripto*: hic V, *ante* cursus *lacun.* 4 *litt.* M, **424** inpatiesq. P^nR. Desinit P^n, cf. VI. 545, **425**. **426**, **427** — sonet l. Lact. ad Stat. Theb. IV, 409, **425** phebi Lact., defili B, delphi g, deli rell., cynthia AUEV, *pythia* M, aera AT, **426** alta v, qui RT, **427** quis — cura (429) l. Isidorus VIII. 9. 2, alta Iovis v, fibris V, **428** facta Is. fati T, prodet A, quis — aves O, vulgo, **430** quis B_1, **431** archana VUA, detestata T, **432** moverat U, voverat V (noverat v) areas A_1, **434** slire A_1.

418 Multi non ferunt spem ét metum, in dubiis casibus, sunt aut praefidentes aut ignavi.

421 *Cui — polluet* Heinsius, p. 148, *cui* nempe patri; sed usus futuri simplicis in tali narratione parum Latinus.

425 *Deli* qui retinuerunt, plurimis libris proditum, cogitarunt fortasse de genetivo contracto, quo Lucanus tamen rarissime utitur; *tripodas* autem memorans L. non de insula Delo sed Delphis cogitat. *Phebi* autem et *Deli* parum diversa. Cf. Verg. Aen. III. 359: „qui numina Phoebi, qui tripodas — sentis."

427 Ante Oudendorpium edebatur *ore* pro *aere* (lebetibus aeneis) nulla librorum Mss. auctoritate. Proxima 426—428 corrupta; legitur vulgo: „quis noscere fibra fata queat" quasi ageretur de homine probando, non de re noscitanda, cum tamen praecedat: „*quid* sonet Dodone"; porro „quis prodat aves" sed „prodere aves" pro augurium nuntiare, credo, sine exemplo est, nec quaeritur num quis sit augur, sed *quid* augurium prodat. Quod recepi *fibris* (= fibras, quibus, quîs) est e Voss. primo; *queat* sc. Sextus; *avis* in *aves* corruptum traxit *quid*. Variandi causa sequitur: „*quis* fulgura" rell.

Haemonidum, ficti quas nulla licentia monstri
Transierit, quarum, quidquid non creditur, ars est.
Thessala quin etiam tellus herbasque nocentis
Rupibus ingenuit, sensuraque saxa canentis
Arcanum ferale Magos. Ibi plurima surgunt
Vim factura deis, et terris hospita Colchis
Legit in Haemoniis, quas non advexerat, herbas.
Inpia tot populis tot surdas gentibus auris
Caelicolum dirae convertunt carmina gentis.
Una per aetherios exit vox illa recessus,
Verbaque ad invitum perfert cogentia numen,
Quod non cura poli caelique volubilis unquam
Avocat. Infandum tetigit cum sidera murmur,
Tunc, Babylon Persea licet secretaque Memphis
Omne vetustorum solvat penetrale Magorum,
Abducit superos alienis Thessalis aris.
  Carmine Thessalidum dura in praecordia fluxit

442^{a-c} Gens invisa deis maculandi pallida caeli
Numinibus magicis arcanae conscia linguae
Quam genuit natura parens ut foedera mundi
Iuraque fixarum temptarent vertere rerum
Legibus adstricto ne quid non posset in orbe.

i
436 *quas* M, **437** transierat M_1B_1AgVU, **438** eciam A, **441** colcis A, **442** hemoniis V, emoniis M, **444** gentes M_1B_1, **445** vana per v, aethereos A, recursus G, **448** advocat U, **449** memphys G, **450** *in marg. add. m.* 2 A *om.* B, *add.* b, **451** abducit corr. in: abducet M, obducit AB, alienus B_1, tessalus AB_1, arvis g. **452** thessalididum A.

436 „Ficti monstri" = figmenti, Grotius: „nihil tam licenter excogitatur, quod non illae superent." Insolens (sed non dubium) quod non „*aliae sagae* fictis monstris", sed *ipsa monstra* transire dicuntur.

437 Commentum: „quarum ars est incredibilia facere."

442 Versus spurii quinque in fine paginae additi manu saec. XI scripti inveniuntur in M in fine folii 58^r, de quibus cf. Weber editionis vol. II. p. 407. *Pallida* ex *callida* corruptum; supra „non posset" legitur „sc. natura."

443 „Tot populis tot surdas *regibus* aures" Oudend, probante Schradero, docens oppositos reges et populos V. 22, 49, 751, VII. 56, 300, VIII. 140; sed idem confert gentes populosque iunctos I. 511, VII. 207. *Populi* subinde i. q. magna multitudo (nos: de scharen) omissa communis originis notione.

447 *Usquam* e cod. Pulmanni Bentl. *Cura poli* deos ad se vocat non in alium locum (*usquam*). Numen est defixum in sacris Thessalis adeo, ut curam poli neglegat et numquam aurem avertat.

449 „Babylon *praesaga*" Bentl., *Persaeus* ratus dictum a nescio qua urbe Asiatica *Persa*, *Perseus* autem pro *Persicus* non ferens. Sed Perseus, Graecus heros, qui etiam *Perses*, cum originibus gentis Persicae a poetis iungitur, a *Perses*: *Perseus*.

451 *Alienas oras* Bentl. laudans Verg. A. III. 601 „tollite me Teucri, quascunque abducite terras."

Non fatis adductus amor, flammisque severi
Inlicitis arsere senes. Non noxia tantum
Pocula proficiunt aut cum turgentia suco
Frontis amaturae subducunt pignora fetae:
Mens hausti nulla sanie polluta veneni
Excantata perit. Quos non concordia mixti
Adligat ulla tori, blandaeque potentia formae,
Traxerunt torti magica vertigine fili.
Cessavere vices rerum dilataque longa
Haesit nocte dies. Legi non paruit aether
Torpuit et praeceps audito carmine mundus,
Axibus et rapidis inpulsos Iuppiter urgens
Miratur non ire polos. Tunc omnia conplent
Imbribus, et calido praeducunt nubila Phoebo,
Et tonat ignaro caelum Iove, vocibus isdem

453 addictus V (m Steinht), **454** non noxia A, ne (c 2 m ss.) M, nec rell. vulgo, inlicitis Mc. **455** suco VU, succo M, surgentia A, nec cum g, **457** mens — perit (458) l. Isidorus VIII. 9. 10, lib. gl. cod. Monac. lat. 14429 = Ratisb. S. Emmeran. 429 fol. 108r, hauste G ap. Is., austi A, **458** incantata Is., **459** atligat (s. s. ·/. in) M, **460** l. Phocas V. 426. 30 K, fila C (p. 207, aliud schol. v. 23 fili), **462** legit R_1, **464** impulsus V_1, **465** tunc AB_1g, nunc rell., vulgo, **466** nubibus G, producunt UABm, praeducunt GMuV, **467** eisdem V_1 hisdem TG.

453 *Addictus* probabat Heins. recepit Cortius, Hosius, nimis obscure.

454 *Non* ex A vulgatae (*nec*) praetuli sequente *tantum*. *Nec tantum* solet in oppositione usurpari = *sed non*.

455 *Perficiunt* Grotius; *proficiunt* omnes mei. Variata oratio pro: „aut pignora, quae subducunt." Verba cohaerent: „aut cum pignora frontis, turgentia suco, subducunt fetae amaturae", intellegenda de hippomane, pignore amoris equae in pullum, ex cuius capite praereptum devorat equa feta „aut partum ad ubera non admittit (et) in rabiem agitur" Plin. NH VIII. 165. Verg. A. IV. 516. Durum est quod *amaturae* non cum substantivo, quod praecedit, sed cum adiectivo substantive posito *fetae* iungitur. Vis carminum praedicatur similiter Verg. Ecl. VIII 69, sqq. Ov. Am. I. 8. 8 „scit bene quid valeat virus amantis equae."

460 Pro *fili* Heins. et Bentl. *rombi* heterogenesi offensi, quae praeter h. l. invenitur apud Arnobium et cum *caeli* simm. tolerari debet. — Haec quoque pertinent ad carmina, de quibus totus hic locus inde a 452, nam rombi inter canendum torquebantur, Ov. Fast. II. 575, „tum cantata ligat cum fusco licia rombo." Prop. II. 21. 35 „magico torti sub carmine rhombi."

462 „Haesit" quievit, non apparuit dies, impedita (dilata aurora), protractis tenebris (longa nocte), cf. infra 830, Manil. I. 94 „in noctemque dies in lucem vertere noctes (didicere)." Sen. Med. 768.

464 Iupiter cogitatur cardinem mundi (non: fictam lineam, sed solidi quid) fortius urgere, quod resistunt *poli*; poterat dicere „quod resistit *mundus*", sed qui ad cardinem sedet primum polos observat. *Axes* pluralis hoc et similibus locis poeticus est, hîc quidem perversus.

465 *Nunc* vulgatum nemo moratur praeter Cortium, alterum *nunc* suppressum iniuria putans. *Tunc* dedi, i. e. porro, rursus. *Tum* non usurpat Lucanus.

466 *Praeducunt*, i. e. praepandunt, praetexunt, probavit Heinsius p. 148 et ad Sil. X. 411, cum aliis. Rem conficit Stat. Silv. V. 3. 13 „quis Apolline maesto (sic Baehrens.) frigida damnatae praeduxit nubila menti." Cf. supra IV. 45.

Humentis late nebulas nimbosque solutis
Excussere comis. Ventis cessantibus aequor
Intumuit; rursus vetitum sentire procellas
Conticuit, turbante Noto, puppimque ferentes
In ventum tumuere sinus. De rupe pependit
Abscisa fixus torrens amnisque cucurrit
Non qua pronus erat. Nilum non extulit aestas,
Maeander direxit aquas Rhodanumque morantem
Praecipitavit Arar; submisso vertice montes
Explicuere iugum. Nubes suspexit Olympus,
Solibus et nullis Scythicae, cum bruma rigeret,
Dimaduere nives. Inpulsam sidere Tethyn
Reppulit Haemonidum, defenso littore, carmen.
Terra quoque inmoti concussit ponderis axem,
Et medium vergens titubavit nisus in orbem.

480a–d nec secus obseptos quam si spiramina clausa
ventorum rabies vastum tremefacta per orbem
oceani tenuere fugam solitasque reliquit
unda vices vento turris adfixa relapsus

468 humentis UMG, umentes R, **471** puppemque VG, **473** abscissa V, **474** expulit ABTg, **475** rodanumque – arar (476) l. Prisc. 150 1 et 327 19 H, Anecd. Helv. 113. 30, schol. Bern. Buc. I. 63 adnot., menander U, moratum T, **476** Arar l. Prisc. 234. 3 H, montis M_1 G_1, **479** dimaduere (*re* in rasura 5 litt.) M thaeyn A, **480** hemonium M_1 (d 2 m) RVG, **481** axes M e corr. ABGC, axem VU, **482** urgens T.

468 „Excutere comis solutis" est: „*ex comis*", ut magae per motos crines provocent imbres. Nam quod Cortius „solutis comis" ad vulgarem habitum magarum refert, perperam facit (cf. Med. 752), non enim erat cur hoc nostro potissimum loco memoraretur. Cum autem nusquam haec vis capillis adscribatur et oppositio suadeat ut *remotos* non *inductos* nimbos poeta dicat, probabilis est coni. Oudendorpii: *polis* pro *comis*. *Excutere* Lucano est „per vim removere", et *solutis* i. q. liberatis, nempe a nebulis. Bentleius: *umbris*.

473 Non erat quod quereretur Marklandus (cf. Burm.), *abscissus* paene ubique locum cedere formae *abscisus*. Codd. nihil in hac re. Qui sciet quid intersit inter *scindo* et *caedo*, *abs-cisus* et *ab-scissus* et quare „excīdium" (= *ec-scidium*) habeat secundam brevem, poterit ubique iudicare. „Abs-cisa rupes" valet praerupta, ut *praecisa*, pro quo nemo *praescissa*.

474 *Extulit*, pro: auxit supra ripas, defensum a Cortio allatis Plin. Paneg. 30 (cunctanter se extulerat Nilus) et Epist. VIII. 17. 3 (Anio „se evexit atque extulit"). Nilus post solstitium aestivum in ripas egreditur. — V. 475 *Maeandros* Bentl. non necessarium propter III. 208. — De leniter fluente Arare (nunc tumente) et Rhodano vehementi omnia e Caesare nota.

477 Solet despicere, „nubes excedit Olympus" II. 271.

480 Haemonium Bentl. cf. 436, 590.

480 a—d In R versus spurii 480 a—d, sic scripti, ut dedi, leguntur inter 480 et 481 „linea circumclusi", de quibus, si tanti, consulatur Weber de vers. sp. p. 634, Cortius ad 460.

482 Gronovius Obss. p. 205 „et medium vergens nisus titubavit in orbem" ut *nisus* sit acc. pendens a *vergens*, „e MS. Pircheimeri." *Nisu titubavit* e Sulpicio Grotius, Burmannus contra MSS. — Bentleius: „*terra concussit axem*, hoc est de centro mundi recessit, *et nisu suo vergens in medium orbem titubavit* sive ultro citroque centrum praetervecta est et fluctuavit priusquam in medio quiesceret." *In medium*

Tantae molis onus percussum voce recessit,
Prospectumque dedit circumlabentis Olympi.
Omne potens animal leti genitumque nocere
Et pavet Haemonias, et mortibus instruit artes.
Has avidae tigres et nobilis ira leonum
Ore fovet blando; gelidos his explicat orbis
Inque pruinoso coluber distenditur arvo.
Viperei coeunt abrupto corpore nodi,
Humanoque cadit serpens adflata veneno.
   Quis labor hic superis cantus herbasque sequendi
Spernendique timor? cuius commercia pacti
Obstrictos habuere deos? Parere necesse est,
An iuvat? Ignota tantum pietate merentur,
An tacitis valuere minis? Hoc iuris in omnis
Est illis superos, an habent haec carmina certum
Imperiosa deum, qui mundum cogere, quidquid
Cogitur ipse, potest? Illis et sidera primum
Praecipiti deducta polo, Phoebeque serena
Non aliter, diris verborum obsessa venenis,
Palluit et nigris terrenisque ignibus arsit,
Quam si fraterna prohiberet imagine tellus,

483 *per*cussum M, **484** persectumque, *p* s. s. V, perspectumque O, **486** hemonios M_1, **488** oro M_1. fovent MVUG, fovet AM (corr. 1 m.) B, **490** l. Isidorus XII. 4. 10, Serv. Georg. III. 416, **492** pavor VU, labor vAGB, quis *l*abor M, hic est T, sequen*di* M, **494** obstrictos..... M, **496** potuere VU, *pot*uere M, valuere m, **497** ha*bent* M, super hos A, **499** illic O, **500** diducta M (s. s.: sc. e) AB, phoebaeque M, **503** proiberet U.

orbem i. q. in mediam partem orbis, sive centrum mundi. Mirabile h. l. commentum. Eiusdem haec sunt ingenii, cuius I. 56, sqq. „Inmoti" i. q. antea non moti, bruti (*log*). Vertente globo axis consistit.

481 *Prospectum* iam ante Oudendorpium, qui *perspectum* recepit, novam vocem et minus aptam quam *prospectus*. Significat poeta etiam quae infra terram sint potuisse adspici. *Per pro prae* per compendia scripta facile confunduntur.

486 Instruit artifices modis mortis inferendae. V. 487 *rabidae* Heins.

488 *Fovet* probat Bentleius ex usu poetae.

490 Num *abrupti*? Partes complicatae viperarum, a corpore abscisae, coniunguntur rursus.

Ib. Serv. l. l. „corrosis (viperae) lateribus exeunt pulli cum matris interitu. Lucanus" rell. Proximo versu in Richeliano teste Burmanno *cadis,* quod merito elegans dicit et a sequente S aliquam habet commendationem.

492 Utrumque vocabulum tam *pavor*, quam *labor*, cum pro obsequio deorum, de quo nihil supra, satis vehemens sit, non miror Bentleium *amor* coniecisse, sed non apparet, quomodo hinc lectiones traditae natae sint. *Favor* Schaefer l. l. p. 24.

499 *Illic* reposuit Oudend. libros secutus; *illis* cum de magis, non de Thessalia agatur, verum est.

501 *Obsessa* ad incitas redacta, laborans.

503 I. q. sole, qui imaginem eius ostendit; nempe tellus per eclipsin privaret Phoeben luce Phoebi. Ad *fraterna* cf. Verg. Georg. I. 396.

Insereretque suas flammis caelestibus umbras,
Et patitur tantos cantu depressa labores,
Donec subpositas propior despumet in herbas.
Hos scelerum ritus, haec dirae carmina gentis
Effera damnarat nimiae pietatis Erichtho,
Inque novos ritus pollutam duxerat artem.
Illi namque nefas urbis submittere tecto
Aut laribus ferale caput desertaque busta
Incolit, et tumulos expulsis obtinet umbris,
Grata deis erebi. Coetus audire silentum,
Nosse domos Stygias arcanaque Ditis operti,
Non superi, non vita vetat. Tenet ora profanae
Foeda situ macies, caeloque ignota sereno
Terribilis Stygio facies pallore gravatur,
Inpexis umbrata comis. Si nimbus et atrae
Sidera subducunt nubes, tunc Thessala nudis

504 inferretquo V, inseretque T, **505** tantos caelo U, (cantu u) *cantu* M, *cantu* V, depressa ORT, **506** l. Serv. Aen. IV. 513, August. Civ. D. X. 16, propius Serv., **507** *crimina* V, d*irae crimi*na M, **508** l. Prisc. II. 332.13 H, minimao V, erecto R, ericto VU, erectho MAB, erichto G, **509** pollutas artes V, **513** herebi VAG, **514** ditis *oper*ti M, domus RG, **515** non fata c, **518** onerata comis vulgo O, atra B.

505 *Depressa* i. e. caolo deducta, Bersmannus et Grotius ed. 2. Sulpitius fluctuat. Omnes libri *depressa*; vocabulo *propior* satis probatur verum *depressa* esse. „*Haec* patitur" Guyetus.

507 *Crimina* miror patronum invenisse Bentleium. Supra enim de carminibus sermo fuerat, haec iam nimis pia visa esse, non *crimina* omnino, Erichthoni dic t poeta. Varietas in nomine *Erichtho* supra memorata eadem fere est V. 640, 725, 826.

509 „Novos *actus*" aut *usus* Bentleius, quod *ritus* v. 507 praecessit. Rursus ut varietur idem v. 511 *furiale*, per se tamen rectius; *ferale* caput enim est ex vulgari vocabuli usu: inferis devotum, *furiale* furiis agitatum. Novo dictum i. q. induxerat novos ritus in artem. Quasi in novas vias duxerat artem.

512 Manes incolunt sepulcra consecrata litteris D. M. Umbrae = manes Lucanus saepius.

513 *Audire* num *ambire*?

515 *Vita* Schol. Voss. et Comm. accipiunt de viventibus, melius: quod vivebat; prius illud (vita = societas humana) saepius Plinius et supra 311.

517 *Squalore* Heinsius. Bentleius: *tetro* facies *squalore* gravatur | impexis *umbrata* comis." Ex his *umbrata* commendabile, nam „*onerari* faciem comis" pro *tegi* non ferendum; *oneratur* aliquid re extrinsecus imposita, non cohaerente, porro comam, levem et mobilem, *onus* premens et gravans quid non facile quis dicet; nec mutatio magna: inter *m* et *t* enim *b* (*p*) pro lubitu addita aut omissa (*tempto, numerus, nombre*), sic ex *umbrata*, pronuntiatione iuvante *umrata*, et porro, exstitit.

519 „Nuda" appellantur quae vulgari tegumento sunt destituta, non recedit ab hoc usu Lucanus, de terra, littore, de regno Iugurthae (II. 90) spoliato vocabulum usurpans, cf. ad 550, sed per *vacuus* non recte explicatur; nudum non est in quo nihil inest, sed supra aut circa quod nihil est, quare non recte ad *deserta busta* provocatur v. 511; ex illis remota erant cadavera. Fortasse pro NUDIS scribendum CRUDIS. Busta sunt locus sepulturae, veluti VII. 862 „terram—Romani bustum populi", hic saepe conscius est diris incantationibus et necromantiae sagae. Bentleius et Burm. „nudis — *pedibus*."

Egreditur bustis, nocturnaque fulgura captat.
ɔ: Semina fecundae segetis calcata perussit
ɔ: Et non letiferas spirando perdidit auras.
Nec superos orat, nec cantu subplice numen
Auxiliare vocat, nec fibras illa litantis
Novit: funereas aris inponere flammas
Gaudet, et accenso rapuit quae tura sepulcro.
Omne nefas superi prima iam voce precantis
Concedunt carmenque timent audire secundum.
Viventis animas et adhuc sua membra regentis
Infodit busto, fatis debentibus annos
Mors invita subit; perversa funera pompa
Rettulit a tumulis; fugere cadavera lectum.
Fumantis iuvenum cineres, ardentiaque ossa
E mediis rapit illa rogis, ipsamque, parentes
Quam tenuere, facem; nigro fumantia fumo
Feralis fragmenta tori, vestisque fluentis
Colligit in cineres et olentis membra favillas.

520 *bustis — auras* (522) U, noturnaqae T, fulmina VUMG, fulgura AgB, flamina u, carptat A, **521** messis U (segetis u), segetes M_1, **522** et nec (nec non?) R, aures M (auras m. 2) A (auras m. 2) B_1, **523** nec — vocat (524) l. Prisc. 340.18 H, subplice U, **524** litantis UMARTG, **529** viventis U, regentes M, regentis U, **530** infudit M_1, fatis
o ū
... debentibus M, **532** letum VAGB, le . to *i. e. lecto corr. in loeto et lectum aut loetum* M, **534** illa VUR, ipsa MABT, **535** nigro[que] UV, fumantia VU, que volantia uMAG, **536** ardentis fragmenta G, **537** cineris M_1, olentia v.

521 et 522 non apte superioribus adiunguntur; post praemissa illa *si — tunc* factum aliquod desideratur ipsa nocte commissum, sed 521 sq. mos et consuetudo magae significatur (nempe per praeteritum). Dubito an versus non sint huius loci. — V. 522 Damsté Mnem. XIX p. 380 et Guyetus consensu *herbas*. Bentl.: „*reddidit* auras" i. e. non letiferas illa tales reddidit." Specimina haec sunt mortiferae potentiae, qua saga etiam nolens, quidquid tangit, corrumpit. Perussit = arefecit. Sterilitatem agri sagae ingressui adscribebant, mortem afflatui.

531 Removit cadaver iam elatum aut e capulo, antequam ad rogum efferretur. Ita pompa funebris rediit inanis. *Perversa* corruptum est, siquidem *conversa* vel *inversa* significatur a tumulo domum contra quam vulgo, sed *subît* cum sit perfectum, ultima longa, *inversa* verum esse potest et *conversa* et *diversa*. *Lectum* pro *letum* Bersmannus, Oudend., Burm., Cortius scil. lectum funebrem.

533 *Arentia* Heins. teste Burm., sed non in Advv.

535 „Nigroque *Undantia* fumo" cum Heinsio (cf. Advv. p. 149) Oudend., quod aptissimum, si eodem auctore (l. l.) proximo versu *stramenta* legatur, ferendum, si *fragmenta* retineatur (Val. Flacc. II. 196), tamen utique non necessarium est. Fumantia frusta lecti funebris, qui cum cadavere comburebatur (Tibull. I. 1, 75), significantur. *Volantia* pessime Burmannus et Weise; *nigra fumantia flamma* coni. Hos.

536 Vestes (suas) fluentes colligit in nodum ad cineres recipiendos. *Vestem fluentem* Heins., Burmann., et sic sine dubio scripsisset poeta, si lectores parum acutos praevidisset. Mira vulgaris interpretatio. V. 538 „Saxis quibus", rell. nempe σαρκοφάγοις, quae humorem tabificum ex-

Ast ubi servantur saxis, quibus intimus humor
Ducitur, et tracta durescunt tabe medullae
Corpora, tunc omnis avide desaevit in artus,
Inmergitque manus oculis, gaudetque gelatos
Effodisse orbis et siccae pallida rodit
Excrementa manus. Laqueum nodosque nocentis
Ore suo rupit, pendentia corpora carpsit,
Abrasitque cruces percussaque viscera nimbis
Volsit et incoctas admisso sole medullas.
Insertum manibus chalybem, nigramque per artus
Stillantis tabi saniem, virusque coactum
Sustulit, et nervo morsus retinente pependit.
Et quacumque iacet nuda tellure cadaver,
Ante feras volucresque sedet; nec carpere membra
Volt ferro manibusque suis, morsusque luporum
Expectat, siccis raptura e faucibus artus.

539 tractae U, **540** omnis M_1, **541** immersitque AB, **542** *orbes et* M, **543** iacentis M_1, nocentis T, **544** rumpit M_1, cupit R_1, **545–576** adsunt in P^n, cf. VI. 424, **545** perc.—vulsit (546) laudat Prisc. 526. 28 H, **545** viscera membris P^nG (Sangall. Prisciani), **547** calybem P^n, calibem V, chalibem UR, **548** st. t. s. laudat Prisc. 310. 12 H, **548, 549** alteruter omissus in P^n, Detlefsen p. 181, **549** morsu, *s* suprascr. man. 2 V, morsu c, **550** quocunque P^nm, quodcunque VUMR vulgo, nulla P^n, nuda VUT, ruda R, (ex dura?), **551** mebra P^n, **552** ferarum P^na (m. 2 in marg.), **553** expectata P^n, expectat

trahunt („trahitur tabes"). *Sugitur* Guyet., quo non opus, cf. Heins. ad Ov. Fast. II. 419.

543 A *laqueum* nova enumeratio incipit, ut perfecta in sequentibus indicant, usque ad *medullas* v. 546 de strangulatis, dein de cruce fixis. *Nocentis* est accusativus; schol. Bern.: eorum qui se suspendunt. Malim omnino propter culpam innexos. Bentl.: *recentes*, non melius Peerlkamp ad Aen. vol. II. p. 439 *pudendos*.

545 Percussa nimbis = imbre flagellata. *Membris* in P^n mala correctio est, qua assumta non intellegitur, quid sibi velit absolutum *percussa*. *Incoctas* est penitus coctas, percoctas, arefactas (non: eingekocht). Cf. Georges. Hor. Epod. 5. 37 „exucta medulla" dura humo arefacta.

549 *Retinente*, nempe nervi cadaveris, qui mordenti resistunt, retinent dentes, quibus mordicus premuntur, et venefica sic toto pondere corporis sui ex eius nervis pendet.

548, 549 Alter ex his evanidus, alter omissus in P^n. Scilicet singulae paginae habent 15 versus, in fol. autem XIVr sunt: 545–547, versus evanidus unus, 550–555 [556] 557-561, i. e. $3 + 1 + 6 + 5 = 15$, sin post 547 duo versus evanuisse putarentur, contra constantem usum essent 16 versus in pagina.

550 „Quacunque iacet nudum tellure cadaver", Grotius. Nuda tellus similiter dicitur ac nudum littus (kaal) vid. IV. 605, VIII. 263, IX. 882, II. 90. Cf. Ovid. Her. XIV. 100, Heins. Syll. Epist. 308 et ad Ov. l. l. *Quodcunque* contra Grotium defendit Gronovius. Longa disputatione Cortius laxiorem structuram periodi tueri conatur, quasi sequeretur *insidet*; sed nihil ex iis, quae ex Lucano affert, convenit, ne VIII. 365 quidem, quod aliquam speciem habet (vide ad i. l.), reliqua plane sunt aliena. Heitland defendit Cl. Rev. '95 p. 196 *quodcumque*, sed non persuadet; de „qualitate" cadaveris non agitur. Nec *latet* pro *iacet* probabile est. Bentl. ex nescio quo cod. regio legit *videt* pro *sedet*.

552 *Morsusque* = sed morsus expectat, cf. IV. 519, V. 688, VII. 844. De re Hor. Epod. 5. 23: ossa ab ore rapta ieiunae canis. Apul. Metam. III 17 fin.: extorta dentibus ferarum trunca calvaria.

. Nec cessant a caede manus, si sanguine vivo
. Est opus, erumpat iugulo qui primus aperto,
ɔ: Nec refugit caedes, vivum si sacra cruorem
ɔ: Extaque funereae poscunt trepidantia mensae,
Volnere seu ventris, non, qua natura vocabat,
Extrahitur partus, calidis ponendus in aris.
Et quotiens saevis opus est ac fortibus umbris,
Ipsa facit manes: hominum mors omnis in usu est.
Illa genae florem primaevo corpore volsit,
Illa comam laeva morienti abscidit ephebo;
Saepe etiam caris cognato in funere dira
Thessalis incubuit membris, atque oscula fingens
Truncavitque caput, conpressaque dentibus ora
Laxavit, siccoque haerentem gutture linguam
Praemordens, gelidis infudit murmura labris,
Arcanumque nefas Stygias mandavit ad umbras.
Hanc ut fama loci Pompeio prodidit, alta
Nocte poli, Titan medium quo tempore ducit

VUN, rapturę corr.: raptura est (ē) A_1 e facibus M, corr.: [e] faucibus, rapture R, raptura e P^n c. rel. **555** erumpant a. v., **556** *omissus in* P^n Q XIX b^r cf. ad 548, post *vivum* lac. 4 litt. M, fusum Hosii FL, **557** funereoasposcunt P^n, funere TB, **558** volnera sin P^n -re si *reliqui et vulgo*, *correxi*; vocaret b, vacabat P^n, **559** gelidis VRg, pondendus U, **560** quotiens VU, **562** laudat Prisc. 527.2, e corp. TuGA (una littera ante *e* deleta), [e] Prisc. cum rell., **563** ephoebo MR, **564** fun.rad. P^n, **565** fi.gens U, fingens GE, figens VMARB, **566** capud P^n, conpressaq. P^nM, o.e P^n, **567** lassavit P^n, gutturae U, **568** infundit P^nABM (corr. in: infudit) T, gelidis in ras. U, **570** hanc *n* e corr. addita M, **571** medium titan P^n.

554 et 555 spurios putat Cortius, Schraderus et alii; Grotius in editione tertia 556 et 557 („nec refugit — extaque — mensae): „Hic versus (556), inquit, cum se„quente deest in Ms. P. Forte et hoc ex „emendatione Lucani aut Argentariae Pol„lae." Puteaneum Grotii esse Regium secundum, a quo perpetuo distinguitur ab Oudendorpio, qui utrumque usurpabat librum, non recte suspicatur Weber III. p. XVII, nec debet cum Regio 1 confundi. Grotius tamen librum *veterem* appellat praef. ad ed. 2. a. 1625. Eius libri testimonium iam confirmatur palimpsesto Neapolitano. Cuius auctoritati cedens versus 556 et 557, non vero 554 et 555, qui ab omnibus libris agnoscuntur, poetam deletos voluisse puto. Duo enim haec paria 554 sq. et 556 sq. iuxta stare non possunt. Cohaeret v. 558 sq. cum 554: „nec cessant a caede manus nec partu (i. e. infante), si quis extrahitur volnere ventris". Post illud *partus partu* omissum. Bentl.: *sed ventris*.

561 In usu est = usui est, cedit ei in usum; quae sit „mors omnis" sequentia docent. „In usu esse" vulgo de consuetudine dictum h. l. non admodum scite delectum. Ceterum haec verba: „hominum — est" tam sunt corollarium superiorum, quam argumentum sequentium indicant.

566 *Tractavit* coni. Bentl. quia truncari caput adstantibus cognatis non per fraudem possit. Potest sane in exsequiis, corpore iam in rogo posito, et quid non potest in his? *Fingens* i. q. fingens se oscula dare. *Figens* Cort., Weis. Vs. 567 *Laxavit*, aperuit.

571 *Medium*, sqq. Nempe terra consistit; sol circa terram volvitur; nobis cum media nox est, sol antichthoni altissimus.

Sub nostra tellure diem, deserta per arva
Carpit iter. Fidi scelerum suetique ministri,
Effractos circum tumulos ac busta vagati,
Conspexere procul praerupta in caute sedentem,
Qua iuga devexus Pharsalica porrigit Haemus.
Illa magis magicisque deis incognita verba
Tentabat, carmenque novos fingebat in usus.
Namque timens, alium ne Mars vagus iret in orbem,
Emathis et tellus tam multa caede careret,
Pollutos cantu dirisque venefica sucis
Conspersos vetuit transmittere bella Philippos,
Tot mortes habitura suas, usuraque mundi
Sanguine; caesorum truncare cadavera regum
Sperat et Hesperiae cineres averrere gentis,
Ossaque nobilium tantosque adquirere manes.
Hic ardor solusque labor, quid corpore Magni
Proiecto rapiat, quos Caesaris involet artus.
  Quam prior adfatur Pompeii ignava propago:
„O decus Haemonidum, populis quae pandere fata,
Quaeque suo ventura potes devertere cursu,
Te precor, ut certum liceat mihi noscere finem,

574 effractum P^n, et fractos ABM_1T, effractos M (e corr.) c. rel., vaganti a, **576** farsalia V, pharsalia R, pharsalica UAP^nMG, desinit P^n cf. VI. 667, **579** urbem a, ne mars alium AV, **580** iam V, **581** polluto. A, polluto Vu (m Stht.), **582** compressos A (conspersos a) T, compressus B, metuit c, tramittere M_1, **584** caesorum — regum l. Eutyches V. 469.30 K, **585** avellere A (avertere a *m.* 2) B, avertere MVT, averrere U (averre^{re}), evertere R, **589** pompei A, **590** *haemonidum populis quae* U_1, **591** potest A_1B, devertere AMVUGC, divertere v.

576 I. q. qua Haemus se demittit in planitiem Pharsalicam. *Iuga* dixit convallem leniter declivem, iugem.

580 „*Cumulata* caede" Heins. — Per *cantu* et *sucis*, respicitur ad superiores νεκρομαντείας, quibus Thessalia semper famosa fuerat. Ad *polluere cantu* cf. Ov. Met. II. 793 ubi Invidia adflatu suo urbes *polluit* (Hos).

582 Philippi transmitterent bella, ut mare naves, simm. Philippi et Pharsalus a poeta in Thessalia collocantur, cf. VII. 853 sqq., unde frequens confusio utriusque loci, et Haemus prope Pharsalum v. 576.

585 *Avertere* ex M diserte enotavi, *averrere* Stht. *Everrere* frequentis usus apud Columellam et Varronem, *averrere* semel tantum laudatur (ex Licinio Macro), tamen *everrere* Regio non satis stabilitur, reliqui enim libri praepositionem *a* monstrant, ut optio tantum esse debeat inter *avertere* et *averrere*, ex quibus si quaeritur utrum male intellectum et obscuratum sit, responsum non potest esse dubium. *Averrere* aptum est pulveri, arenae et simm. et *cineribus*. *Everrere* et *evellere* alibi confusa sunt, sic *avellere* in A ex *averrere* factum. Cf. Forcellini i. v. *everrere*. Probavit *averrere* Heins. Advv. p. 150, recepit Hos. Cf. IX. 329 *averto* et *averro* confusa.

591 *Devertere* mihi cum Grotio necessarium videtur; *devertere* dicitur de proposito, de cursu instituto, cf. ad II. 470.

Quem belli fortuna paret. Non ultima turbae
Pars ego Romanae, Magni clarissima proles,
Vel dominus rerum, vel tanti funeris heres.
Mens dubiis perculsa labat, rursusque parata est
Certos ferre metus. Hoc casibus eripe iuris,
Ne subiti caecique ruant; vel numina torque,
Vel tu parce deis et manibus exprime verum.
Elysias resera sedes, ipsamque vocatam,
Quos petat e nobis, Mortem tibi coge fateri;
Non humilis labor est; dignum, quod quaerere cures,
Vel tibi, quo tanti praeponderet alea fati".
Inpia vulgatae laetatur nomine famae
Thessalis, et contra: „Si fata minora moveres,
Pronum erat, o iuvenis, quos velles, inquit, in actus
Invitos praebere deos. Conceditur arti,
Unam cum radiis presserunt sidera mortem,

593 *quem* M, **596** dub*iis* M, dubius R_1, perculsa U, percussa rell. vulgo, labat u, pavet rell. vulgo, **597** cer*tos* U, *iuris* M, *iuris* U, **598** nec R, nomina M_1, **600** ipsamque — fateri (601) l. Serv. A. XI. 197, **601** quem Serv. C, a nobis Serv. (?ASF), **601** *tibi* M, tibi ABGE Serv. sibi a. mihi VUe, **602** dignum est VR, **603** quod m, praeponde*ret alea* U, **604** laetatur vulgatae (*hoc ord.*) MAVUG, vulgato UG (-tae g), **607** invito M, inultos R, preuere M_1.

596 Generalis sententia (*rursus* i. q. contra), in qua mirifice friget vulgatum *pavet*, immo perdit acumen dicti: opposita esse debent: metuere (*ferre metus*, 597) et non metuere; sed *pavere* et *metuere* non sunt opposita, at optime respondent inter se „*labare*" et „*certos* ferre metus." Mutatio est exigua B et U, ut centies, confusis, et L et P (LaUat, PaUet). *Percussus* et *perculsus* paene promiscue a librariis cum scribantur, non dubitavi recipere *perculsus*, aptius figuratae dictioni (*labat*). *Labat* Cortius quoque. V. 597 *duris* Rottend. secundus Burmanni et Cortianus.

599 *Manibus*, apud Lucanum demum tritum de umbris mortuorum, etiam ex inferis emissis.

601 *Quem* habuisse commentum efficio ex interpretatione: „Pompeium an Caesarem."

602 „Labor *et* dignum quod", Heins. Advv. p. 150. Membra non sunt adaequata, longius, quod extenditur usque ad fati (603), illustrat superiora. Cf. asyndeta v. 598 (ante *vel*), 597. *Dignum tibi* ut *ἄξιόν σοι*, labor viribus tuis *conveniens*. Bentleius propter *quo* postulat *propendeat*; *praeponderare aliquo* est inclinare in aliquid, ut Sen. Clem. I. 2. 2: „in partem humaniorem praeponderet" et alii. Confusae sunt duae metaphorae: aleae et staterae.

604 „Nomina famae" cf. supra 267 „felix hoc nomine famae." *Famae* est genet. subi.

606 *Erat* cf. ad II. 617. Versu 609 Heins. voluisse *manus* (Burm.) falsum est, cf. Advv. l. l. V. 608. U in marg. „*CYNACTPIAN* d̄t" Nempe vult *constellationem*. Doctrina philosophica est, quae h. l. tangitur, et sapiunt haec „ordinem (harmoniam) praestabilitum." Continua series causarum, quae ab origine mundi sive fato sive dei voluntate constituta est, non potest convelli; at quaedam sunt exclusa, unius hominis mors et vita. Voluit utique hominem obscurum. Vel sic tamen tota haec doctrina laborat; at magnificum quid et arcana sapientia mixtum erat praefandum. — „Unam mortem presserunt", i. q. unum hominem morte presserunt. — „Quamvis" (609) sqq.: quamvis omnis stella fecerit *quempiam* senem, tamen *mediae aetatis* annos abrumpimus, sc. ei.

Inseruisse moras et, quamvis fecerit omnis
Stella senem, medios herbis abrumpimus annos.
At simul a prima descendit origine mundi
Causarum series, atque omnia fata laborant,
Si quidquam mutare velis, unoque sub ictu
Stat genus humanum, tunc, Thessala turba, fatemur,
Plus fortuna potest. Sed si praenoscere casus
Contentus', facilesque aditus multique patebunt
Ad verum: tellus nobis, aetherque, chaosque,
Aequoraque, et campi Rhodopeaque saxa loquentur.
Sed pronum, cum tanta novae sit copia mortis,
Emathiis unum campis adtollere corpus,
Ut modo defuncti tepidique cadaveris ora
Plena voce sonent, nec membris sole perustis
Auribus incertum feralis strideat umbra".
Dixerat, et noctis geminatis arte tenebris,
Maestum tecta caput squalenti nube pererrat
Corpora caesorum, tumulis proiecta negatis.
Continuo fugere lupi, fugere revolsis
Unguibus inpastae volucres, dum Thessala vatem

609 feceret U_1, **610** praerumpimus M, abrupimus A, **613** uno*que sub ictu* U, **614** nunc thessala T, **617** at MRGB, *aetherque chaosque* U, **618** *rodopeaque saxa loquentur* U, **622** ne MVGb, sola M_1B_1, **623** l. Prisc. 443.25 H, id. 479.23 H, id. 481.19 H, id. 521.8 H, Eutyches V. 464.22 K, ferali Eut., strideat Phocas V. 438,5 K, **627** [fugere — volucres (628), Lact. ad Stat. Theb. II. 520 errore tanquam Lucanea laudat „impastae fugistis aves" quae sunt Statii Theb. I. 625.]

614 Comm.: „tum *inexplicabile* esse omnes confitemur" leg. *inextricabile* sc. unum fatum ex serie fatorum.

616 *Contentus*' i. q. contentus es. Cf. IX. 604 deum's.

618 Markl. ad Stat. S. V. 3. 209 et Bentleius: „aequoraque et *Tempe et Rhodopeïa*" probat Schrader, futtili de causa. Bis terna sunt: tellus aether chaos, aequora campi saxa.

619 Memoria dignum haec pugnare cum v. 582 „vetuit transmittere bella Philippos, tot mortes *habitura* suas *usuraque* mundi sanguine", v. 619 et 627 iacent strata cadavera, quasi post pugnam, contra seriem narrationis, ex qua proelium libro VII sequitur; nec de tumultuariis quibusdam proeliis agitur, nam ex his velitationibus non manent cumuli cadaverum. Non potuit sic, ut hoc loco factum, scribere nisi qui pugnam iam factam cogitaret. Colligitur hinc, episodium de Erichthone destinatum fuisse alii loco et ante reliqua a poeta confectum; mente mutata alium locum ei assignavit, sed vestigia prius constituti ordinis remanserunt. — *Mortis* = cadaverum. De Thessalis cf. Stat. Theb. III. 140—146, Apuleius Metam. passim et omnino auctores de Magia, Rein ap. Pauly IV. 1411. Cadaver in vitam revocatum habet Heliodorus Aeth. VI. 14 sq. (Hask.). Apud Senecam Oedip. 547, sqq. est *sciomantia* (evocatio), h. l. *necromantiae* (*necyomantiae*) descriptio.

625 *Obtecta* Heins. (Burm.) Nubes tenue et pellucidum velum ut *νεφέλη* de rete venatorio et ipsum *nubes* Quinct. Decl. I. 17. Haskins coll. Stat. Theb. VI. 564 „nec se lanugo fatetur | intonsae sub nube comae" intellegit de crine.

628 *Impactae* probat Heinsius (B). Vatem i. q. cadaver fatidicum.

Eligit, et gelidas leto scrutata medullas,
Pulmonis rigidi stantis sine volnere fibras
Invenit, et vocem defuncto in corpore quaerit.
Fata peremptorum pendent iam multa virorum,
Quem superis revocasse velit. Si tollere totas
Tentasset campis acies, et reddere bello,
Cessissent leges Erebi monstroque potenti
Extractus Stygio populus pugnasset Averno.
Electum tandem traiecto gutture corpus
Ducit, et inserto laqueis feralibus unco
Per scopolos miserum trahitur, per saxa cadaver
Victurum; montisque cavi, quem tristis Erichtho
Damnarat sacris, alta sub rupe locatur.
  Haud procul a Ditis caecis depressa cavernis
In praeceps subsedit humus, quam pallida pronis
Urget silva comis et nullo vertice caelum
Suspiciens Phoebo non pervia taxus opacat.
Marcentes intus tenebrae pallensque sub antris
Longa nocte situs; numquam, nisi carmine factum,
Lumen habet. Non Taenareis sic faucibus aer
Sedit iners, maestum mundi confine latentis

632 *iam multa* M, pendentia [iam] multa AB, pendentia *multa virorum* T, **635** herebi GR, **638** unco M, **640** victorum M_1, tristes R_1, erectho M_1ARC. **641** *locatur* U, **642** *ditis caecis* U, **643** *subsedit* U, **645** taxos R, **646** marcentis M_1, antros A (antris m 2) B_1, antro T, **647** facta U (factum u), **649** maestus R, latentes M.

630 *Stantis* = integras.

632 „*Tam* multa" Bentl. Nescio cur: superiora praeparant haec; *iam* momentum fatale adest. At alia res evadit si versus 632—636 in suspitionem vocaveris, quod nemini in mentem venisse miror. „Si tollere totas tentasset acies", — quis hoc postulabat? Longe repetitum documentum astutiae Erichthus. *Monstro potenti* dativum auctoris putant ad *extractus*; sed hoc nimis ambiguum, requirimus dativum supplentem illud *extractus* (de *Averno* post); et improprie Erichtho, quae nihil, nisi voce, ab humano habitu recedit, sic dicitur, hoc loco praesertim, ubi de inferorum monstris in propatulo erat cogitare. „Stygio Averno" si iungimus cum *extractus,* restat haec insipida sententia: „si omnes evocasset *pugnarent*". „Monstrum potens" potius Orcus est; huic si omnes caesi essent erepti, nasceretur exercitus (*populus*) qui Avernum oppugnaret. Sententia fortasse non optima, sed sententia est, in vulgari interpretatione nullam video aptam.

637 „Traiecto gutture" Grotius: „cuius ipsa guttur unco traiecerat", Burmannus: „*corpus traiecto gutture* est dictum ut *lato venabula ferro*". Prius ut est simplicius, ita magis loco convenit; horridum est, ut *uncus* ipse, quo ignominiose corpora trahuntur, velut gladiatorum et Seiani apud Iuvenalem. „Traiecto gutture" tamen vix per uncum, ut Grotius, sed quomodocunque cf. 638: „laquei ferales" funis gutturi circumiectus, accipiunt uncum.

643 *Squalida* Heins. (B).

646 *Squalensque* Bentl. quod *pallens* non apte dicatur, cf. Ov. Am. I. 8. 52: „*canescunt* turpi tecta relicta situ". Ex colore mucoris facile explicatur, et omnia inferorum sunt decolora.

Ac nostri, quo non metuant emittere manes
Tartarei reges. Nam quamvis Thessala vates
Vim faciat fatis, dubium est, quod traxerit illuc
Adspiciat Stygias, an quod descenderat, umbras.
Discolor et vario furialis cultus amictu
Induitur, voltusque aperitur crine remoto,
Et coma vipereis substringitur horrida sertis.
Ut pavidos iuvenis comites ipsumque trementem
Conspicit, exanimi defixum lumina voltu,
„Ponite, ait, trepida conceptos mente timores,
Iam nova, iam vera reddetur vita figura,
Ut quamvis pavidi possint audire loquentem.
Si vero Stygiosque lacus, ripamque sonantem
Ignibus ostendam, si me praebente videri
Eumenides possint, villosaque colla colubris
Cerberus excutiens, et vincti terga Gigantes,

650 metuunt R, metuant C cum reliquis, admittere MV, (emittere m c. rell.), **651** num B, **652** traxerat Cg, illic AB_1UT, **653** stigeas c, descendat ad A. descen*dit ad* V, descendit ad Rg, descenderat C (ad 652), descenderit GC (ad 653), **654** feralis C, **661** possent A, **663** praesente O vulgo, **664** poss*u*nt V, possunt U, possent AG, **665** victi Mg, vincti m.

650 *Emitttere* bene defendit Heitland Class. Rev. 1895, p. 196. Inferorum dii ex orco in illam specum *submittere* umbras non dubitant, quod earum condicio nihil eo mutatur (utrobique tenebris merguntur). Nam, inquit v. 651—653, non discernes („dubium est") utrum quod Thessalis demisit corpus, an quod ad inferos antea funditus descenderat, adspiciat illic mortis caliginem („stygias umbras istas"). Alii (Haskins, Schol.) *quod* causale putant (utroque versu 652 et 653), et subiectum ante *adspiciat* „Thessalis" putant nexu cum superioribus impedito. *Descenderat* recepi, sc. iam antea. Hinc factum, casu omissa syllaba *descendat*, quod suppletum *descendat ad* in A. *Traxerit* tamen recte se habet, aliam enim temporum relationem habet. Non una difficultate premitur lectio Bentleii: dubium est, quod traxerit illuc, | aspiciat, Stygias an quod *descendat ad* umbras" i. e. (ipsis Bentleii verbis) — „dubium est, an aspiciat animam [nempe Erichtho] quam e Styge exciverat, an aliam, quae recens mortua illac ad inferos descendat." Paulo diversa interpretatio Weisii. Nulla autem ex propositis omni difficultate vacat. Ipsius poetae studio locus impeditus est.

655 *Operitur* Grotius, commendatum Damsteïo. Sed „aperitur vultus crine remoto" est i. q. „revocat a fronte capillos" ut Heins. Advv. p. 412. „Vipereis sertis" viperis complicatis in sertum, quod crines circumdat et sustinet. Sen. Herc. 1003 de Eumenide: „torquens angue vipereo comam", in spiram colligens („conspirans"), ubi non cum Heinsio, quem omnino conferas, legerim *igne*.

658 „*Deflexum* lumine" ex codice Bersmanni Bentleius sine necessitate.

661 Suspectus Heinsio propter personam verbi: „ut possint" pro *possitis*. At „quamvis pavidi" non attributum efficiunt sed subiectum sunt; *pavidi* substantive positum i. q. ut vel pavidissimi possint. *Posse* i. q. a se impetrare.

662 „Si *vero*" i. e. *quamquam* quid opus figura vera (660), si ostendam inferos, et me opem ferente Eumenides et alii terrores possunt secure adspici? Languet vulgata „me praesente" et non respondet sententiae; Grotius: „me praestante". *Praebente* Madv. Adv. Critt. II. 131. *Possent* v. 664 non recte restituit Hosius; in obtestatione ad rem certam aut tritam respicimus pro documento, quae non „irreali" imperfecto subverti debet.

Quis timor, ignavi metuentis cernere manes?"
  Pectora tunc primum ferventi sanguine supplet
Volneribus laxata novis, taboque medullas
Abluit et virus large lunare ministrat.
Huc quidquid fetu genuit natura sinistro
Miscetur. Non spuma canum, quibus unda timori est,
Viscera non lyncis, non dirae nodus hyaenae
Defuit, et cervi pastae serpente medullae,
Non puppim retinens euro tendente rudentes
In mediis echeneis aquis, oculique draconum,
Quaeque sonant feta tepefacta sub alite saxa,
Non Arabum volucer serpens, innataque rubris
Aequoribus custos pretiosae vipera conchae,
Aut viventis adhuc Libyci membrana cerastae,
Aut cinis Eoa positi phoenicis in ara.
Quo postquam vilis, nec habentis nomina pestes
Contulit, infando saturatas carmine frondes,
. Et quibus os dirum nascentibus inspuit herbis,

667—698 adsunt in P^n cf. VI. 576, v. 667 l. Serv. A. VI, 149, tunc P^n, tum *solus* R, suplet P^nR, **668** volneribus P^nA, reliqui vuln., **670** quidquid G, *reliqui* quicquid, *versus in* P^n *legi non potuit nec v.* 671 *verba:* non — tim.est, **671** timori [est] M, **672** lincis VUAG, durae AMR_1, hiaenae VUR, **673** pastae P^nABCM (corr. in: -i), passae R, pasti reliqui, medullae OP^nR, medulla B, **674** puppem ABVR, retines T, rudentis UM corr. in -es, **675** medio P^n, echenais P^nR, echinn... A, echeniis M, ecinatis c, echenis U *corr. in*: echinus, *quod est in* VT, **676** sonant *fe*ta U, feta — saxa l. Serv. Aen. I. 394, **679** lybicae A, lybici V, libici MR, libycae Tg, **680** phenicis R, **681** vilis U, et habentes P^nO, habentis g, numina g, pestis A, **682—698** *plurima in* P^n *evanuerunt, ex relicuis notavi quae aliqua ex parte momentum habent*, **683** hos A, durum V, dirum *corr. in:* durum M, imbuit VRg, herbis P^nUEG (corr. ex -as), erbis R, herbas VMA.

666 *Metuentis* genetivus, hominis in vitam revocati Heins. (Bu). Sed bene manes pavidi dicuntur et instabiles, *ἀμενηνὰ κάρηνα.*

668 Perinde est utrum dicatur: „tabo medullas", an: „tabum medullis", quamquam alterum magis perspicuum; tabum utique a medullis (interioribus) removetur Schol. Voss.: „ne qua tabes in medullis interioribus permaneret, purgat has maga et abluit tabo". Laxare = aperire, supra 567. Ad *lunare* cf. 505.

672 Nodus hyaenae est spinae eius articulus primus, cui fabulosam vim adscribebant. Plin. XXVIII. 99 (Detl.): „hunc spinae (hyaenae) articulum sive nodum Atlantion vocant, est autem primus", de quo miracula in superioribus narraverat. R. Fritzsche Quaestt. Lucaneae p. 32: *durae* (*dirae* coniecturam putat, quod tamen est in VG) *hyaenae* de lapide hyaenia (sic) interpretatur.

673 Vulgo: „pasti serpente", Hos.: *pastae* cum libris; etsi insolens est „pascere (= nutrire) medullas" ferendum tamen in poeta.

676 Plin. X. 12: „(aquilis) inaedificatur nido lapis aetites — est autem lapis iste praegnans intus alio, cum quatias velut in utero *sonante*". Ib.: „aetites — nihil igne deperdens"; plenius Servius ad Aen. I. 394 (p. 132. 21 Thilo) et Schol. Web.

681 *Nec* coniectura est Farnabii necessaria. *Et* defendit Fritzsche l. l. p. 31 et Heitland Class. Rev. 1895 p. 153, nimis argute. Furiosi hominis est dicere quae omittat habere nomina; memorabile est si quid *non* habeat nomen. Et aemulatio contra Ov. Metam. VII. 266, sqq. facta frustra fingitur.

683 *Herbas* dederunt quibus attractio inversa (cf. Weber ad Cortianam IX. 465)

ɔ: Addidit et quidquid mundo dedit ipsa veneni.
Tunc vox, Lethaeos cunctis pollentior herbis
Excantare deos, confudit murmura primum
Dissona et humanae multum discordia linguae.
Latratus habet illa canum gemitusque luporum;
Quod trepidus bubo, quod strix nocturna queruntur,
Quod strident ululantque ferae, quod sibilat anguis,
Exprimit et planctus inlisae cautibus undae
Silvarumque sonum fractaeque tonitrua nubis,
Tot rerum vox una fuit. Mox cetera cantu
Explicat Haemonio penetratque in Tartara lingua:
„Eumenides, Stygiumque nefas, poenaeque nocentum,
Et Chaos innumeros avidum confundere mundos,
Et rector terrae, quem longa in saecula torquet

684 quicquid AVUM *munda d. i. veneni* M, **684**, **685** omissi in P^{n} et R *similitudine exitus* v. 683 et 685 (herbis), **686** confundit ABg (deest vocabulum in P^{n}) M *corr. ex*: confudit, **687** primum (pro: multum) V, multum M in ras. a man. 2, humanae M corr. in: humana man. 2, **688**—fuit (693) *laudat* Serv. ad Aen. VI. 247 (II. p. 44 Thilo) **688** gemitusque Serv. P^{n}UVMG, gemitumque ABgT, **689** laud. Acro ad Hor. Epod. 5.20 et Isidorus Orig. XII. 7.42, **690** strident O, stridunt R Serv. (deest in P^{n}), **691** plactus, n add. m. 2 M, cantus G (planctus g), inlisae R, illisae — sonum om. Serv., **692** fractaeque tonitrua nubis l. Lact. ad Stat. Theb. I. 257 (Lindenb. addit: „in fulmenque cogitur aes", quae a Lucano aliena sunt), Serv. Aen. V. 694, nubes Serv., **695** *-ides s* in ras. M, eumeni.de A, *s* add. man. 2, stigiumque R, nocentem P^{o}, **696** enumeros 1. man. A, confudere P^{u}, **697** longa in saecula torquent P^{n}, *quam longa in* U, in ras., minos m (m. 2) *pro*: rector.

ignota erat. Ad *herbis* versibus contiguis repetitum cf. IV. 19, 20 et alia. Attractio eadem III. 160.

684 insiticium esse statuit Oudendorpius. Turbat iustam structuram (vid. infra) et post 683 est superfluus. Alteruter ad constructionem recte se habet, nam *et* post *addidit* ponitur ut I. 209, sed posterioris vaga et futtilis sententia est; delevit hunc, opinor, poeta, nimis seduli Sosii in vitam revocarunt. Oudend. cum Grotio novam sententiam incohat a *tunc,* ut „postquam — *contulit*" protasis, „*addidit* — veneni" apodosis sit, non nimis apte; sed a *tunc*, ut saepe apud Lucanum, incipit apodosis. „Mundo dedit *ipsa*" positum est ad supplendum superiorem versum, in quo *os dirum* videbatur magae cuiuscunque, non simpliciter Erichthus; *ipsa* quoque incantaverat herbas; quod cum ita sit, versus hi 683 et 684, quorum alter alterum supplet non ita debent separari, ut prior ad protasin, alter ad apodosin pertineat. Porro si recte statuitur, *os dirum* esse ipsius Erichthus, alter versus nihil novi addit. Cur *durum* et *adiicit* pro *addidit* scribat Heins. p. 150, non assequor. — *Excantare* est *evocare* cf. 686, IX. 951.

690 *Strideo* Phocas Lucano adscribit de Nom. et Verbo 9. 2: „alii (strido) ut secundae proferunt, ac maxime Lucanus huiusmodi declinationem usurpavit", cf. strideat VI. 623. Imperfectum (stridērem IX. 827) dubium non est. Alibi vestigia formae *stridĕre* sunt in codd., ut supra 179, ad IX. 916. Videtur L. promiscue utraque forma usus esse.

695 „Stygium nefas" i. q. Styx nefasta, *mundos* (696) i. q. aetates.

697 „Rector terrae" cf. Stat. Theb. IV. 516: „et triplicis mundi summum, quem scire nefastum est; illum sed taceo" et infra 744, ubi mysticus deus Demogorgon s. Demiurgus secundum Haskinsium intellegitur. Bentleius ad h. l. ex Stoicorum, inquit, sententia in conflagratione mundi omnia pereunt, etiam ipsi, qui nunc dii; optat Pluto, sortem suam tertiam aegre ferens, ut conflagratio citius fiat, et in

Mors dilata deum, Styx, et quos nulla meretur
Thessalis Elysios, caelum matremque perosa
Persephone nostraeque Hecatae pars ultima, per quam
Manibus et mihi sunt tacitae commercia linguae,
Ianitor et sedis laxae, qui viscera saevo
Spargis nostra cani, repetitaque fila sorores
Tracturae, tuque o flagrantis portitor undae,
Iam lassate senex ad me redeuntibus umbris,
Exaudite preces, si vos satis ore nefando
Pollutoque voco, si numquam haec carmina fibris
Humanis ieiuna cano, si pectora plena
Saepe deo lavi calido prosecta cerebro,
Si quis, qui vestris caput extaque lancibus infans,

698 desinit P_n, **699** *in ras.* U, elisi T, **700** persiphone M, hecate pars ultima nostrae Serv. A. VI. 118, nostri u (Stht.), hecate AVTB, hecates aM, hecatae UR Serv., pras M, **701** comercia M, lin*guae* U, **702** qui – cani (703) l. Lact. ad Stat. Theb. II. 29, Serv. A. VI. 418, sedes T_1, laxa B_1, **703** spargas T_1 *r*epetitaque M, repertitaq T, **704** [o] R, flraglantis c, **707** [si] M *add.* m, **708** si – cerebro (709) l. Lact. ad Stat. Theb. V. 641, plena s. s. vita A, pleno Lact., **709** *vulgo* saepe dedi et lavi, [et] Lact. MUV, et vAE, dedi MABUV (ex corr.) G, deo (corr. in dedi) VR, davi B_1, **710** si quisquis MG, quis qui Ub, quisquū (*sic*) A, quis*quam* V, quisquam g, ex*taque* U.

mundi renovatione vel Maris vel etiam Caeli sibi sortem sperat". Utique maior reliquis diis et eorum sortis expers significatur; sperans mortem deorum (deum), iis superstes futurus est. Iunge: „longa in saecula dilata". – V. 699 *Elysii* Heins. Advv. p. 150 sine argumento, Bentl. quod *Elysios* iungendum putabat cum *perosa*, quod non opus. *Spes* pro *pars* non displicet Burmanno. Apud Servium (A VI. 118) legendum est *Hecatae*, non *Hecate*, ut vulgo; ratiocinatur enim sic: Vergilius iunxit *lucis* et *Avernis*, cum prius (*lucis*) Dianae, alterum (*Avernis*) sit Proserpinae; „lucis" et „Avernis" igitur non potuit uni ex tribus potestatibus: Luna, Diana, Proserpina adscribere, elegit propterea nomen generale, „elegit nomen, inquit, in quo utrumque [*lucis* et *Avernis*] constabat; unde Lucanus [nempe quod *Hecate* plures potestates coniungit] de Proserpina ait Hecatae [sic leg.] pars ultima nostrae". „Nostrique Hecate pars ultima" Hos., quo omnia perspicua dicit, nec tamen explicat (J. J. l. l. p. 316).

700 *Nostri* in u exstare dicit Stht, in v U Oudend. *Nostri* deteriores ap. Oud. Facilis confusio cum *nostre* scribatur; sic *Hecate* in U, *Hecate* in V, ut saepe. Omnino pro *Hecatae* non tantum Serv. stat sed codd. quoque; inde *hecate* explicatur palaeographice, et *hecates*. *Nostrae Hecatae pars ultima* est: forma extrema Dianae (Hecatae) ex tribus (caelesti, terrestri, inferna) ultima; attributum sunt τοῦ *Persephone*; „P. perosa matrem et nostrae Hecatae pars ultima".

702 Ianitor a Romanis inventus deus, a Cerbero (*cani* 703) diversus etiam in monumentis cf. O. Rossbach, Dämonen der Unterwelt, RM. 1893 p. 594. „Viscera nostra" a nobis oblata, ut animas ad nos transmittat. Apud Verg. A. VI 420 ei melle saporata (Güthling) offa obicitur. *Laxae*, spatiosae, „latae" Scholia.

703 „Repetita fila" nempe eorum, qui a me in vitam revocati novam incipiunt.

709 Vulgo *dedi et lavi*. *Et* tam propter auctoritatem quam propter metrum omittendum; *dedi* nullam offert probabilem sententiam. Weisius interpretatur uterum plenum, Cort. iungit pectora prosecta, quod nullo fit exemplo, semper enim prosecta absolute usurpatur, quare recepi *deo* ex RV_1. Dubitari potest, an *deis* sit praeferendum; quis deus significetur quamvis incertum sit, non tamen id satis est causae cur *deis* scribamus, minus etiam cur *dedi* (Hos.). *Plena* est femininum. *Pectora* de una persona, ut supra 202. Substantivum *prosecta* in re sacra sollemne.

710 „Si quis — victurus erat, parete". i. q. „si quis non erat moriturus, parete",

Inposuit, victurus erat: parete precanti.
Non in Tartareo latitantem poscimus antro,
Adsuetamque diu tenebris: modo luce fugata
Descendentem animam; primo pallentis hiatu
Haeret adhuc Orci. Licet has exaudiat herbas
Ad manes ventura semel. Ducis omina nato
Pompeiana canat nostri modo militis umbra,
Si bene de vobis civilia bella merentur."
  Haec ubi fata caput spumantiaque ora levavit,
Adspicit adstantem proiecti corporis umbram,
Exanimes artus invisaque claustra timentem
Carceris antiqui. Pavet ire in pectus apertum
Visceraque et ruptas letali volnere fibras.
Ah miser, extremum cui mortis munus inique
Eripitur; non posse mori! Miratur Erichtho
Has fatis licuisse moras, irataque morti
Verberat inmotum vivo serpente cadaver,

712 latitantem A (ss. m. 2 aiām = aliquam), **714** descentem M_1, descen*desse* U, palentis A, *pallentis hiatu* U, **715** exhaudiat (*sic*) M, erbas U (h s. s. m. 2), **716** omnia A, om*ina nato* U, **718** nobis U, **721** exanimis (corr.: — es) M, timentum B_1, **722** apertus M_1, **723** letale M_1, *et* ruptas U, **724** a M, ha A, iniquae MG, **725** erectho (erecto) O, *corr. in M altera e in i linea perpendiculari, quae speciem litterae l habet* (electho Stht).

aliis verbis: Si verum est infantem vobis olim oblatum certae morti destinatum esse vobisque cessisse, rell. Forma obtestationis solita. Non opus est coniectura Weisii „si quis *quum* (sic. A) — *imposui*". Damsté, „si *qui nunc*", difficultate (in „victurus *erat*") non satis expedita. „Si quisquis" in M (Bentl.) obscurat sententiam, non agitur de quocunque infante, sed de sacrificio, quod obtulerat antea Erichtho. Huic difficultati succurrit Bentl.: „si quisquis *nostris*" corrigens. Praestat vulgata. De re cf. Horat. Epod. 5.

715 „Exaudiat *herbas*" suspectum; mire composita verba; saepe *herbae* in his magicis memorantur (822, al.), sed nusquam pro incantatione ponuntur; „exaudire herbas" est absurda iunctura.

716 „Ad manes ventura semel". „Ut nunquam evocetur". Comm. — Schol. Voss.: „nihil ergo impedit, si ad me exeat evocata, cum semel sit transvehenda, quod nondum factum est, quia nuper defuncta descendit". Recentiores fere tacent. Hask. *semel* quo sit referendum dubitat, cum *ventura* (quasi *reditura* legeretur) an cum *exaudiat* (dura compositione verborum). Schrevelius haec („licet — semel") explicat e praegressis „haeret adhuc primo hiatu orci" (nondum Styga traiecit) sic „ut, licet carmine meo et veneficiis excitetur, non tamen nisi semel Styga traiciat". Id pro re nata optimum.

717 *Modo* i. q. tantummodo, non: paulo ante („nostri modo"); illud enim recte praegressis respondet.

721 „Invisa claustra — carceris antiqui" sunt ipsum cadaver. Corpus est carcer animi secundum philosophos, eaque sententia in popularem opinionem translata est, animus cum anima confusus. Anima redire debet in corpus a se relictum, ut respondere possit. Cf. 668.

725 „Mortis munus" mortis capessendae facultas. Non poterat anima mortem subire, mortua iam. *Non posse* est commiseratio, absolute posito infinitivo cf. V. 695 „permisisse mari tantum!" Exclamatio indignationis. Apparet infinitivum non cum *munus* posse coniungi, quod negatio sic abundaret. *Inique* pro *iniquae* Grotius, quem iniuria oppugnat Bentl.

Perque cavas terrae, quas egit carmine, rimas
Manibus inlatrat, regnique silentia rumpit:
„Tisiphone, vocisque meae secura Megaera,
Non agitis saevis Erebi per inane flagellis
Infelicem animam? Iam vos ego nomine vero
Eliciam, Stygiasque canes in luce superna
Destituam, per busta sequar, per funera, cunctis
Expellam tumulis, abigam vos omnibus urnis.
Teque deis, ad quos alio procedere voltu
Ficta soles, Hecate, pallenti tabida forma,
Ostendam, faciemque Erebi mutare vetabo.
Eloquar, inmenso terrae sub pondere quae te
Contineant, Hennaea, dapes, quo foedere maestum
Regem noctis ames, quae te contagia passam

729 rumpit OC, inlatrae U_1, **730** tisiphone — animam (732) l. Lact. ad Stat. Theb. IV. 502, tesiphone MV, thesiphone U, *post* secura *ras.* 4 *litt.* M, **731** saevas Lact., **732** animas B_1, ego vos iam VU, nomine duro c, **733** Stygiasque — destituam (734) l. Serv. A. III. 209, VI. 257, Mythogr. Vatic. II. 13, eli..ceam (corr.: ci) A, elici eam B, illiciam g, **734** custos vulg. cunctis U, **735** umbris M_1, **736** ad quos — Hecate (737) l. Lact. Theb. IV. 430, **737** hecatae Lact., haecate AE, pallente M_1, **739** quae — dapes (740) l. Serv. Georg. I. 39, te quae V, **740** detineant Serv., nehtnea A_1 (corr.: entnea), ethnei (*h* et *i* 2 m.) U, hethnea V, fodere A, **741** amas G_1, et quae contagia V.

728 „Egit carmine rimas" scil. *terra* ex praegresso *terrae*; fissa erat carmine, invocatione, Ov. Met. II. 211 — „tellus | fissaque agit rimas" et al. *Regnum* sunt inferi (719).

731 Haec non ad unguem conveniunt cum superioribus, quibus anima iam stare iuxta Erichthonem significatur v. 720.

732 „Nomine vero". Canum nomina tralaticia *Dirae, Erinyes, Furiae* non sunt magis apta quam: Canes. Cogitat *Eumenides. Κύων* Graece pro administro dicitur (sic aquila Iovis ap. Pind.), *κύνες* Furiae saepius ap. Aeschylum in Eumenidibus.

734 „Destituam" iung. cum „in luce superna". Lux superna invisa est inferis cf. 743. *Destituere*, ut saepe, est: solum aut inopem constituere.

Ib. *Custos* vulgo, Cortius solus *cunctis*, quod ex U ego recepi, non quo *custos* sit damnandum, sed multo magis aptum *cunctis* quam alterum illud satis mite vocabulum; U saepius solus verum servavit.

735 Furiae „attollunt bustis corpora" et „plenas antiquis ossibus urnas" egerunt et „exanguia ferro ora" sequuntur, Stat. Theb. IV. 507, sqq.

737 „Pallenti tabida forma" propter speciem Lunae, quae una erat ex tribus formis (Luna, Diana, Proserpina).

740 *Dapes* Servius Georg. I. 39 „(Iupiter Cereri) respondit posse eam (Proserpinam) reverti, si nihil apud inferos gustavisset; illa autem iam Punici mali in Elysio grana gustaverat — unde Proserpina ad superos remeare non potuit". Ov. Metam. V. 531.

Ib. *Detineant* Heins. quod unice rectum esset, si Proserpina dulcedine pomi retenta esset, sed remanere in Orco compulsa est. — *Hennaea* vocatur Proserpina, quod prope Hennam s. Ennam in Sicilia flores carpens a Plutone est abrepta, notum argumentum Claudianei *Raptus*, res in Verrinis quoque memorata, in Ov. Met. V. alibi. De perpetua fere confusione *Aetnae* et *Hennae* (Ennae) cf. Koch ad Claud. p. LV. — *Foedus* et *contagia* de amplexu Plutonis intellege; hoc contaminatam filiam dedignata est Ceres: „noluerit revocare parens". De *foedere*, quo alternis in caelo et in orco futura erat Proserpina non licet haec accipere; esset hoc *πρωθύστερον* non ferendum. Scholia quoque intellegunt de consuetudine cum Orco.

Noluerit revocare parens. Tibi, pessime mundi
Arbiter, inmittam ruptis Titana cavernis,
Et subito feriere die. Paretis? an ille
Conpellandus erit, quo numquam terra vocato
Non concussa tremit, qui Gorgona cernit apertam,
Verberibusque suis trepidam castigat Erinnyn,
Indespecta tenet vobis qui Tartara; cuius
Vos estis superi, Stygias qui peierat undas?"
Protinus adstrictus caluit cruor, atraque fovit
Volnera, et in venas extremaque membra cucurrit.
Percussae gelido trepidant sub pectore fibrae:
Et nova desuetis subrepens vita medullis
Miscetur morti. Tunc omnis palpitat artus;
Tenduntur nervi, nec se tellure cadaver
Paulatim per membra levat, terraque repulsum est
Erectumque semel. Distento lumina rictu
Nudantur. Nondum facies viventis in illo,
Iam morientis erat. Remanent pallorque rigorque,
Et stupet inlatus mundo. Sed murmure nullo
Ora adstricta sonant. Vox illi linguaque tantum

742 mundo M_1, revocare Ceres G, **744** et — die l. Serv. A. V. 739, VIII. 246, medio Serv. *priore*, subito *altero loco*, **745** vocata B, **746** excussa AEFG, nox excussa BM_1 (Stht), premit B, **747** erinin MVR, herynin A, erine B, **748** tenent AB_1M_1 (Stht), cuius — superi (749) l. Serv. A. VI. 135, **749** perierat MAB, *lacuna* 3 *litt. ante* undas M, **752** percusso gelidae B, **753** subrepsit R, **755** nec — semel (757) l. Serv. A. IV. 253, **756** terraque aV_1, **757** simul vulgo, semel Serv. mAGRT, semul M_1, distincto c, rectu a, **759** nam V (iam v).

743 *Titana*, solis radios (Plutoni invisos) inmittam in Orcum, „ruptis cavernis", ut per rimas aditus pateat iis.

744 *Ille, quo*, rell. mysticus deus, Demogorgon, ut videtur, in Orphicis, cui totus orcus paret; de hoc deo multam eruditionem effundit Triller ap. Cort. ad h. l. „Triplicis mundi summum, quem scire nefastum, | illum — sed taceo" Stat. Theb. IV. 516, sq.

746 „Cernit apertam" i. q. temnit apertam, eius adspectum non reformidans.

748 *Indespecta* a „despicio locum": „locus despectus" et „indespectus". Heins. corrigens *indispecta* aut *inperspecta* videtur locum non intellexisse. Agitur enim de *inferioris* loci conspectu. Tartarus est sub inferis, *τόσσον ἔνερθ' ἀίδεω ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ γαίης* Hom. Θ. 16. Stat. Theb. VIII. 15 „Elysii et si quos procul ulteriore barathro", rell. Huius Tartari incolae Orci *superi* sunt. „Qui peierat", qui peierare audet, qui nihili facit.

754 *Omnis artus* Oud. „quivis artus", malo pro accusativo accipere: per omnes artus.

757 *Semel* Bentl.: „uno impetu, non gradatim, non flexu membrorum surgens." *Semel* suppeditarunt Servius et altera codd. classis (φ). *Que* pro *sed* vulgari ut III. 567, IV. 519 al.; nempe vulgo negatio et affirmatio opponuntur; locis laudatis negatio cum priore verbo coalescit, et duo membra iuxta ponuntur. Non paulatim (subito) se levat et repulsum est.

758 *Nudantur* nempe palpebris, i. q. aperiuntur, cf. VIII. 683.

761 „Tantum" cum „responsura" iungitur pausa inter versus neglecta, uno vocabulo ad proximum tracto cf. supra 1.

Responsura datur. „Dic, inquit Thessala, magna
Quod iubeo mercede mihi, nam vera locutum
Inmunem toto mundi praestabimus aevo
Artibus Haemoniis, tali tua membra sepulcro,
Talibus exuram Stygio cum carmine silvis,
Ut nullos cantata magos exaudiat umbra.
Sit tanti, vixisse iterum; nec verba, nec herbae
Audebunt longae somnum tibi solvere Lethes
A me morte data. Tripodas vatesque deorum
Sors obscura decet, certus discedat ab umbris
Quisquis vera petit duraeque oracula mortis
Fortis adit. Ne parce, precor. Da nomina rebus,
Da loca, da vocem, qua mecum fata loquantur".
Addidit et carmen, quo quidquid consulit umbram,
Scire dedit. Maestum fletu manante cadaver,
„Tristia non equidem Parcarum stamina, dixit,
Adspexi, tacitae revocatus ab aggere ripae;
Quod tamen e cunctis mihi noscere contigit umbris:
Effera Romanos agitat discordia manes,

767 exaudiet B, **771** mors g, tenet A (decet m. 2) E (decet s. s. m. 1)vg, discendat M_1, **772** duraque A (duraeque m. 2), **773** nec UR, **775** quod M_1E, umbra E, **776** flatu A_1M_1B, manantia A, **777** stagia B, stagmina T, **778** tacite AM (aspexit actae Stht.) aspexit acithere voc. B, tactae U, ripa B, **779** nosceret..tigit M_1 (Stht), *itaque* con *in rasura, quod a me non notatum, umbris* U.

765 *Tali — talibus* — haec emphasin habent = „nam tale est sepulcrum, tales (*τοιαῦται*) silvae, ut", rell. Ad *silva* pro ramis vel fronde cf. Prop. I. 14. 5. Exequiis rite perfectis placata est anima nec redit, nec facile potest evocari (*cantata* = evocata 767); ad ritus autem pertinet, ut strues sepulcri s. rogi (765) sit ex felicibus lignis; quaedam erant male ominata ut ficus.

768 „Vixisse iterum" est calamitas mortuo (775); itaque post *est tanti* h. l., ut multis aliis non ponitur in infinitivo res desideranda, quapropter quis aliquid suscipiat, sed pretium, labor, periculum, quae quis solvat aut incurrat assequendi boni causa. Cf. de hac re copiosam disputationem Madvigii Opusc.² p. 553 (= II¹ p. 191). Nos: heb het er voor over (non: zooveel gelde u, ut alibi).

770 Insolitum *vates deorum*, etiam singularis *sors* quasi unum oraculum detur. Turbatum credo et olim fuisse: „tripodas *sortesque* deorum *vox* obscura decet". V. 777 „oracula mortis" dicuntur a mortuo data.

775 Non proponit interrogationem poeta (ne nota repeteret, id consulto omisit), sed fingit solo carmine magae audito animam scire de quo consulatur. Sustuli distinctionem post *consulit*, *umbram διὰ μέσου* positum, ante *scire* tanquam subiectum supplendum.

776 In M litterae *a* (in *flatu*) supra apertae, prius crus in *e* est mutatum, remansit alterum non mutatum, inde Steinh. fecit *c* et legit *flectu*, parum probabiliter.

778 *Tactae*, quod defendit Hosius J. J. 1893 p. 347 supervacuum et *ἄκυρον* est; littora, oras, simm. *tangit* ratis, non homo ex terra adveniens. Sic octiens apud Lucanum. Quod si Acheron est tacitus amnis, ripa quoque sic dici potest.

779 „E *functis*" Heins. Misc. p. 150. „E cunctis" de re dubia aptum: non vidi Parcas, sed quod per omnes umbras constabat, rell.

Inpiaque infernam ruperunt arma quietem.
Elysias alii sedes ac Tartara maesta
Diversi liquere duces; quid fata pararent,
Hi fecere palam, tristis felicibus umbris
Voltus erat; vidi Decios, natumque patremque,
Lustralis bellis animas, flentemque Camillum,
Et Curios, Syllam de te, Fortuna, querentem.
Deplorat Libycis perituram Scipio terris
Infaustam sobolem; maior Carthaginis hostis
Non servituri maeret Cato fata nepotis;
Solum te, consul depulsis prime tyrannis,
Brute, pias inter gaudentem vidimus umbras.
Abruptis Catilina minax fractisque catenis
Exultat Mariique truces nudique Cethegi.
Vidi ego laetantis, popularia nomina, Drusos,
Legibus inmodicos, ausosque ingentia Gracchos.
Aeternis Chalybum nodis et carcere Ditis
Constrictae plausere manus, camposque piorum
Poscit turba nocens. Regni possessor inertis
Pallentis aperit sedes, abruptaque saxa

781 *in*fernam M (Stht), eternam V (s. s. infernam) U, **783** *di*versi M, **786** inlustres bellis animas l. Schol. Iuv. II. 156, inlustres schol. Iuv., animas bellis hoc ord. R, belli B, flentem[que] B, **787** curio (s s. s.) A, sullam M_1, fortunam M_1, **789** subolem M_1VU, **793** catilena M_1, minas B_1, factisque U (r add. m. 2), **795** laetantis A, **797** aeterni V (s. add. m. 2), c(h)alibis MVUG, c(h)alibum AEBv, **798** constrictas A_1B, plausure T_1, **799** inertes M_1, in artes B, **800** pallentes M_1AE, abrupta[que] U.

782 *Alii.* Ad ripas Stygis non poterat umbra proelium in medio Orco factum adspicere, *alii* praeter pugnantes sedes suas deseruerunt et in conspectum animae venerunt; ex cunctis his, nempe ex omnium voltu noscere potuit, quid instaret.

783 *Diversi* in omnes partes. Hask. in castra opposita campo, cf. ad 782. „*At* tart." Bentl.

793 „Quid quaeso interest inter *abruptis* et *fractis*?" interrogat Bentl. Potest, opinor, aliquis abrumpere catenas de saxo, cui annexae sunt, et tamen manus habere inter se constrictas. Catilina apud Verg. Aen. VIII 668 „minaci pendet scopulo" et affixum scopulo cogitat Lucanus. Prometheus similiter saxo haeret. Non video igitur cur corrigendum sit: „*at ruptis* — tractisque catenis". — „Nudi Cethegi" (794), cf. ad II. 543.

795 „Popularia nomina Drusos", cf. I. 313 „et nomina vana Catones".

796 „Legibus immodicos" iunxi cum *Drusos*; M. Livius Drusus turbator civitatis legem tulit ut iudicia aequa parte penes equites et senatum essent; vulgo, legibus imm." cum „ausosque ingentia" iungunt.

797 „Chalybum", minus usurpatus pluralis, eoque facile librariis ignotus, erat praeferendus, sed populus significatur, non materia. Sic quoque Stat. Theb. IV 173 „nexilis innumero Chalybum subtemine thorax". „Carcere Ditis constrictae manus" i. q. homines qui constricti erant carcere, manibus plausere. Vix opus dicere constrictas manus non plaudere. Schrad.: „*in* carcere", languide.

800 „Pallentis *aperit* sedes" cf. III. 17 „in multas *laxantur* Tartara poenas".

Asperat et durum vinclis adamanta paratque
Poenam victori. Refer haec solacia tecum,
O iuvenis, placido Manes patremque domumque
Expectare sinu, regnique in parte serena
Pompeiis servare locum. Nec gloria parvae
Sollicitet vitae: veniet, quae misceat omnis
Hora duces. Properate mori magnoque superbi
Quamvis e parvis animo descendite bustis,
Et Romanorum manes calcate deorum.
Quem tumulum Nili, quem Tibridis adluat unda,
Quaeritur, et ducibus tantum de funere pugna est.
Tu fatum ne quaere tuum cognoscere: Parcae,
Me reticente, dabunt; tibi certior omnia vates
Ipse canet Siculis genitor Pompeius in oris.
Ille quoque incertus, quo te vocet, unde repellat,

801 vinclis s. s. m. 2 M, **802** [re]fer m, refert AB, **805** *om.* A (add. a), pompei BR_1, pompeio MEAVr pompeiis U, ne G, **806** sollicitat B, vitae *om.* s. s. m. 2 M, veniat G, **807** properate duci B, **808** des*cendite bustis* U, descondite M, discendere A (ite s. s.) E, bustist M_1, **810** tumulus R, tumulūs G, abluat MVGEAB, alluat Uv, **811** ducimus a, pugna [est] MC (est m. 2 in M), **813** dabit eT (dabunt t) B (dab..it), **814** in oris aRgc, undis v, *genitor pompeius in arvis* U, arvis O vulgo, **815** ipse quoque R.

801 *Vinclis* pendet a *parat*: „parat adamanta vinclis et poenam victori". Adamanta in supplicio Promethei sive catenas adamantinas et saxum, cui affigitur Titan, memorat Aeschylus in cognomini fabula, initio. *Asperari* (τραχύνεσθαι) videtur scopulus ad supplicium intendendum.

805 „*Ne* gloria" Guyet. „Parvae vitae gloria" quam amittis celerata morte; an: Caesaris gloria aliquamdiu post Pompeios superstitis? Alterum praeferendum propter *misceat,* quod sequitur i. e. aequiparet Caesarem Pompeio; ne invideas Caesari. Altera ratio habet quo se defendat: „properate mori" (807), sed hoc remotius.

808 „Descendite" in inferos. Nihil est cur cum Cort. ex deterioribus duobus *discedite* scribamus.

809 „Manes calcate", VII. 457: „bella pares superis facient civilia divos" (imperatores mortuos), 459: „inque deum templis iurabit Roma per umbras" (imperatorum manes). Significantur igitur manes imperatorum divino honore mactati, qui quod hoc loco in orco, altero in templis esse dicuntur, in eo non est haerendum. Sed cum Pompeii ad inferos descendebant, nulli ibi erant Divi, quos calcare possent, Caesar aliquot annos post Pompeium decessit. Nec facile crediderim umbras quoque ducum Romanorum nobilium significari; cur has *calcarent,* quod est summae ignominiae? Admodum improprie mandatum imponitur, quod effici tum quidem non poterat. Versus tamen ad explicanda illa: „magno animo descendite" manifesto additus est, nec dubito, quin sit genuinus, quamvis vitio laboret.

813 sq. Haec pertinent ad rumorem quendam de Magni umbra filio Sexto in bello navali Siculo oblata, aut ad figmentum poeticum, quo Lucanus in reliquo carmine erat usurus. Hoc alterum opinatur Weisius. Ex schol. Vossiano ap. Web. „hic enim in Sicilia somniaturus est, patrem suum Pompeium ad se venientem et suadentem sibi *ut fugiat*" suspicari licet rumorem aliquem ex historia belli Scholiastae cognitum fuisse, quia plus dicit, quam Lucani verba continent. Sed potius cum Weisio facio, cavens tamen ne ex hoc incerto fundamento quidquam efficiam de ambitu carminis proposito. — V. 813 *omina* Bentl.

814 „In oris" dedi cum Bentl., qui vel hoc vel *undis* proponit; sed *oris* longe praestat ut similius: ORIS ARUIS, nec obliviscendum quidem navigantes saepe in terra noctem egisse, sed non in arvis, sed in oris pernoctant.

Quas iubeat vitare plagas, quae sidera mundi.
Europam miseri, Libyamque Asiamque timete:
Distribuit tumulos vestris Fortuna triumphis.
O miseranda domus, toto nihil orbe videbis
Tutius Emathia!" Sic postquam fata peregit,
Stat voltu maestus tacito mortemque reposcit.
Carminibus magicis opus est herbisque, cadaver
Ut cadat et nequeunt animam sibi reddere fata
Consumpto iam iure semel. Tunc robore multo
Extruit illa rogum, venit defunctus ad ignis,
Accensa iuvenem positum strue liquit Erichtho,
Tandem passa mori, Sextoque ad castra parentis
It comes: et caelo lucis ducente colorem,
Dum ferrent tutos intra tentoria gressus,
Iussa tenere diem densas nox praestitit umbras.

816 om. M (add. 2 m. marg.), **818** distribuet G, **819** nil MA, nihil E, **820** emathię A_1, totius A (tutius a), **822** carmibus (ni s. s. m. 2) M, **824** nunc g, **825** *defunctus ad ignes* U, **826** crect(h)o, M_1U_1R, positum iuvenem, *hoc ord.* G, **828** *ultimum in pag. et* 33um, *om.* U, *add.* u (*ant. m.*), ducente. colorem (*ras.* 1 *litterae*) M. In M sequuntur nomina pontificum Romanorum inde a Petro usque ad Stefanum, cf. Mnem. XIX p. 18.

816 „Quae sidera mundi". Magnifice, ut oraculum decet, hoc *mundi* additum est, nam nihil nisi stellae navigantibus observatae potest significari. Cf. VII. 189 „sub quocunque die quocunque est sidere mundi". Versum in M omissum iure defendit Kindler, p. 13.

818 „*Triumphis* dativus est; regionibus a nobis triumphatis". Cn. Pompeius in Africa, Cn Pompeius filius in Europa (Hispania), Sextus Pompeius in Asia (Mileti) sepultus est. Martialis V. 74. „Pompeios iuvenes Asia atque Europa, sed ipsum | terra tegit Libyes", rell. *Distribuet*, non video cur, Bentl.

823 Fata (κῆρες) nequeunt nunc animam militis sibi vindicare, quoniam eam iam semel acceperunt; itaque eorum ius consumptum est.

M. ANNAEI LUCANI

PHARSALIA.

LIBER SEPTIMUS.

Segnior Oceano quam lex aeterna vocabat
Luctifugus Titan, numquam magis aethera contra
Egit equos, cursumque polo rapiente retorsit,
Defectusque pati voluit raptaeque labores
Lucis, et adtraxit nubes, non pabula flammis,
Sed ne Thessalico purus luceret in orbe.
   At nox, felicis Magno pars ultima vitae,
Sollicitos vana decepit imagine somnos.

1 segnior — aethera l. inscr. Treverensis, cf. Hos., versum l. Lact. ad Theb. V. 177, lux Inscr. g, vocaret Lact., **2** tytan AV, lucificus M_1, luctificus rell. vulgo, **3** cursumque MVUBTRD, currumque AC, **4** et **5** omissos 1a m. postea adscripsit U, **5** non pab. fl. l. Lact. Theb. V. 177, **6** thesalico U, **7** magni M (e corr.) VCRDc, magno mUEAG, magnum B.

1 Dies significatur ante aciem Pharsalicam, non ipsius pugnae, nam vesper, qui includitur v. 3 („retorsit equos"), manifesto non est is qui secutus est pugnam, nam sol aegre occidit, ut fatalem diem differret; narrationis quoque series probat, v. 7.

2 *Luctifugus* pro vulg. *luctificus* dedi; sol non facit luctum, sed fugit, non vult adspicere luctum, segnis movetur oriens, cohibet equos occidens et faciem abscondit ne adspiciat horrenda. *Luctifugus* videtur interpres habuisse Lips. ap. Web. Commentum: „luctificus Titan *pro luctifugus*" Imo „al. luctifugus". Interpungendum post *Titan*, quo facto *magis* post *segnior* aptum, sic enim *magis* emphasin novo membro (*numquam*) conciliat. Ad *retorsit* negatio non est iteranda, nec *segnior* huc pertinet. Bentl.: „*luciferos* — equos" sine auctoritate.

3 *Cursum* (equorum) impetum s. ferociam cohibuit, retardavit, rectius quam *currum*: „retorquere currum" i. e. vertere non patitur *magis minus*ve.

4 *Defectus* eclipsin; *labores* de ea proprium cf. Verg. A. I. 742, Georg. II. 478; *raptae* i. q. ereptae, vulgus olim putabat eclipses per incantationem fieri posse; notum est „lunam de caelo rapere", artificium magicum. Solem ali *ἀναθυμιάσει* antiquissimi philosophi quoque opinati sunt; sol alitur „halitu terrarum" Sen. NQ. VI. 16.2; nubes autem e vaporibus nascitur, ib. II. 30. Cf. I. 14 et supra I. 415.

8 *Decepit* „decepit dormientem, dum sollicitus erat". *Sollicitos* traiectum a persona ad accedens. Prodigium v. 9, sqq. comme-

Nam Pompeiani visus sibi sede theatri
Innumeram effigiem Romanae cernere plebis,
Adtollique suum laetis ad sidera nomen
Vocibus et plausu cunei certare sonantes,
Qualis erat populi facies clamorque faventis
Olim, cum iuvenis primique aetate triumphi
Post domitas gentes, quas torrens ambit Hiberus,
Et quaecumque fugax Sertorius inpulit arma
Vespere pacato, pura venerabilis aeque
Quam currus ornante toga, plaudente senatu
Sedit adhuc Romanus eques, seu fine bonorum
Anxia venturis ad tempora laeta refugit,
Sive per ambages solitas contraria visis
Vaticinata quies magni tulit omina planctus,
Seu vetito patrias ultra tibi cernere sedes,
Sic Romam Fortuna dedit. Ne rumpite somnos,
Castrorum vigiles; nullas tuba verberet auris.
Crastina dira quies et imagine maesta diurna
Undique funestas acies feret, undique bellum.

12 cuneos vulgo O, sonantes E_1, **13** populis ABD_1, faventis M(e corr.)gABE, faventum UG, **14** dum a, **16** in ras. V, inpulit A, quacunque C, fuga M(Stht)eC, fuga ex B, fugas (*deleta* s) D, **18** cum GR, ornata a (m. 2), **19** in fine honorum D, **20** recurrit T, **22** magni — planctus *subducit* V, omnia aT, **23** venere (s. s. cer) R, **24** *in ras.* V, **25** verberat U_1.

morat Iul. Obsequens 124: „ipse Pompeius pridie pugnae [die] visus in theatro suo".

12 *Cunei* requiritur, non *cuneos*, quod in omnibus est libris: „visus est (9) sibi cer- „nere innumeram effigiem plebis, et (visum „est) attolli nomen, et plausu cunei certare „sonantes", nempe: visi sunt.

13 *Populis* Bentl., quod traheret etiam *faventum* pro *faventis*, sed *faventum* est interpolatio; „clamorque faventum" inhaerebat memoriae ex aliis locis. Iunge: populi faventis facies clamorque. — Parum diligenter res exponitur, quasi theatrum Pompeium iam exstiterit anno 81, cum primum triumphum Pompeius egit de Africa, isque de Sertorio fuerit; theatrum Pompeium autem anno 55 constructum. Cf. Marquardt—Friedländer, Staatsverw. III. 511, 513. Praeterea XIV sedilia Equitum (19) anno 81 iis a Sulla adempta erant (lege Roscia theatrali demum restituta). „Sedere in XIV" i. q. equitem esse.

17 *Vespere* = occidente; triumphavit de Hispania et Sertorio a⁰ 71. Pura s. virilis toga opponitur purpureae triumphantium.

20 Subiectum desideratur, nam *quies* (22) non est aptum (quies refugit ad tempora laeta); vocabulum mens requiritur; Bentl.: „anxia *mens curis*" pro *venturis*. Conieci: „anxia venturis *mens* tempora laeta *relegit*". Futuri significatio opposita temporibus laetis (praeteritis) aegre desideratur.

21 *Visa* in somnio; viderat plaudentem populum, nunc planctum expectare debebat.

25 „Nullas tuba verberet *auras*" Bentl. *Nullas* = non. Cf. M. Haupt Obss. Crit. p. 3, sqq. (repetitae in Opuscc.). Alacrior negatio e consuetudine vitae vulgaris nata sensim pro simplici negatione usurpata. Ciris 177: „(Ciris) nulla colum novit, carum non respicit aurum". Catull. 8. 14, „at tu dolebis, cum rogaberis nulla". Infra VII. 788 „nulla loci facies revocat — haerentis oculos".

Unde pares somnos populi noctemque beatam?
O felix, si te vel sic tua Roma videret,
Donassent utinam superi patriaeque tibique
Unum, Magne, diem, quo fati certus uterque
Extremum tanti fructum caperetis amoris.
Tu velut Ausonia vadis moriturus in urbe,
Illa, rati semper de te sibi conscia voti,
Hoc scelus haud umquam fatis haerere putavit,
Sic se dilecti tumulum quoque perdere Magni.
Te mixto flesset luctu iuvenisque senexque
Iniussusque puer, lacerasset crine soluto
Pectora femineum, ceu Bruti funere, volgus.
Nunc quoque, tela licet paveant victoris iniqui,
Nuntiet ipse licet Caesar tua funera flebunt,
Sed dum tura ferunt, dum laurea serta tonanti.
O miseri, quorum gemitus edere dolorem,

28, **29** *inverso ordine* V_1, **28** undique U_1 cf. 27, paras R, somnus a, populo V_1, populis E_1CRTM, populi AUK, **29** l. Prisc. II. 98.24 H, **32** fractum A (fructum a), caperetis VuMEBgA, raperetis UG, **33** orbe M_1, ausoniam – urbem T, **34** rati M, **35** haut V, **43** ah miseri V, *edere do*lorem M, cedere A_1 (c incerta) B_1M(Stht).

28 „*Unde* pares populis (dabis populis) somnos?" sententia est aliena, nunc agitur de Pompeio, non de quiete populorum. Ergo *populi* legendum: „unde tibi altum somnum pauperum parares?" *Pares* verbum esse puto, non adiectivum; quod si esset, per ellipsin esset explicandum: unde pares somnos *accipies*? (cf. Horatianum: „unde mihi tam fortem tamque fidelem?"). Sed „somni pares *populi*" pro *somni populi* est nimis coactum. „Pauperis somnus" fere proverbium et ab Horatio variatum: „somnus agrestium | lenis virorum non humilis domos | fastidit" C. III. 1. 21.

29 *Vel sic* i. q. vel morte instante.

32 *Fructus* vi verbali usurpatum, ut *spolium* pro spoliatione III. 132 et alia.

34 Subito transit ad tempus relictae Italiae, idque tanquam praesens fingit „*vadis* velut Romam rediturus et in patria moriturus", statim ad narrationem redit: *putavit*. Cf. ad VI. 237. Locus plenus affectus poetici, nec offendunt vitia historica v. 13. Illa, tanquam amatorem dimittens, numquam putavit (sic iungo, non: *numquam haerere*) se ne tumulum quidem eius adspecturam, quod preces suae de Pompeio dictae semper etiamtum valuissent: „rati voti de te semper conscia sibi". Indignum videtur poetae ne suo quidem tempore cineres Pompeii in Urbem reportatos cf. VIII. 842.

38 „Investisque" Scaliger abutens ingenio suo.

41 Non valde concinnum est *licet* priore loco de facto (*paveant*), altero loco de condicione cogitata (*nuntiet*) dici: „vel si nuntiet". Sed hoc levius, aliud paulo gravius, quod versus 42 „affectum" loci corrumpit. Populus vere et ex animi sententia flebat Pompeium; non sequi debet: *sed* dum simul eius adversarium laudibus celebrat. Questus de ἀναισθησίᾳ populi longe abest. Si laudis Caesaris, impositae per potentiam victoris, mentio esset facienda, non id verbis fieri oportebat, unde plus quam necessaria obsequii testificatio posset effici. Suspicor post hunc versum (42) excidisse alium huius sententiae: „te recolent taciti". — Nemo compulsus erat, ut sequeretur triumphantem in capitolium, lauream dedicanti.

43 Schol. Bern.: „mortem Pompeii flere non licebat, et omnis dolor gemitibus est consumptus". Notum est Homericum Il. VI. 202 ὃν θυμὸν κατέδων et vulgares formulae: zijn tranen inslikken, zich verbijten. „Lacrimas — devorat ipse dolor"

Qui te non pleno pariter planxere theatro!
  Vicerat astra iubar, cum mixto murmure turba
Castrorum fremuit, fatisque trahentibus orbem
Signa petit pugnae. Miseri pars maxima volgi
Non totum visura diem tentoria circum
Ipsa ducis queritur magnoque accensa tumultu
Mortis vicinae properantis admovet horas.
Dira subit rabies; sua quisque ac publica fata
Praecipitare cupit, segnis pavidusque vocatur
Ac nimium patiens soceri Pompeius et orbis
Indulgens regno, qui tot simul undique gentes
Iuris habere sui vellet pacemque timeret.
Nec non et reges populique queruntur Eoi
Bella trahi, patriaque procul tellure teneri.
Hoc placet, o superi, cum vobis vertere cuncta
Propositum, nostris erroribus addere crimen?
Cladibus inruimus, nocituraque poscimus arma,
In Pompeianis votum est Pharsalia castris.
Cunctorum voces Romani maximus auctor
Tullius eloquii, cuius sub iure togaque
Pacificas saevus tremuit Catilina securis,
Pertulit, iratus bellis, cum rostra forumque
Optaret passus tam longa silentia miles.
Addidit invalidae robur facundia causae:
  „Hoc pro tot meritis solum te, Magne, precatur,
Uti se, Fortuna, velis, proceresque tuorum

44 *theatro* M, **45** hasta M_1, commixto V, cum immixto D, **47** petit turbe (*corr. in* turba) C, **48** totam E_1, **50** properantis MR, (-tes m), admonet A (movet marg.) B, amovet R, **51** ad publica BKE_1, **52** vocatus B_1, **57** trahit B_1M_1 (Stht), **58** vertere AuEV, *perdere* cuncta M, perdere Uk, cunctas B_1, **59** est s. s. M, est VU, **60** inruimus R, **61** iam pomp. V, **62** Romani — togaque (63) l. schol. Iuven. VIII. 244, Rom. m. a. e. l. Aug. CD. XIV. 18, ep. 143(7). 3, 258 (155). 1, **64** sevos c, securis M (-res m), **65** belli R, **67** ac dedit Rg.

Ov. Met. XIII. 539, „devorare gemitus" Sen. Dial. VI. 1. 2: „palam gemitus devorasti". Sed haec eo differunt quod homo ibi facere dicitur id, quod h. l. gemitus, qui non devorari, sed edere dolorem dicuntur; „quorum gemitus" audaci metaphora pro „qui gementes". Quoniam tamen sententia, quamvis non perspicua, est bona, nihil mutavi. Certe non meliora *odere* (vet. edd.), *egere* (Oud.), *texere*. *Pariter* prox. versu est: simul, communi actu, non respicitur ad v. 43. *Edere* tamen est satis humile vocabulum. Num *pressere*? ($\bar{p}$*sere*). Ceterum *quorum* iunge cum *dolorem*. [Postgate *clusere*.]

58 *Perdere* quamvis in M. lectum, tamen manifesto interpretamentum est; fortasse *vertere* sub *perdere* in ras. est.

61 *Pharsalia* i. q. bellum Pharsalicum cf. ad VI. 313.

Castrorum regesque tui cum supplice mundo
Adfusi, vinci socerum patiare, rogamus.
Humani generis tam longo tempore bellum
Caesar erit? Merito Pompeium vincere lente
Gentibus indignum est a transcurrente subactis.
Quo tibi fervor abit? aut quo fiducia fati?
De superis, ingrate, times? causamque senatus
Credere dis dubitas? Ipsae tua signa revellent,
Prosilientque acies. Pudeat vicisse coactum.
Si duce te iusso, si nobis bella geruntur,
Sit iuris, quocumque velint concurrere campo.
Quid mundi gladios a sanguine Caesaris arces?
Vibrant tela manus, vix signa morantia quisquam
Expectat, propera, ne te tua classica linquant.
Scire senatus avet, miles te, Magne, sequatur,
An comes." Ingemuit rector sensitque deorum
Esse dolos et fata suae contraria menti.
„Si placet hoc, inquit, cunctis, si milite Magno,

71 affusi vinci socerum l. lib. gloss. cod. Bern. 16 f. 18r adfulsi R, **72** humani *add. man.* 2 U, **73** lentum Tg, tarde G (lente g.), **74** te transc. g, devictis R, **77** ipsi R, tua MABEV(Sthtsua)URT, sua G, ipsae tua *post* tua *iterum* M_1 *postea erasa*, **79** duc*e* M, iuss*o* M, $\overset{i}{\text{iusso}}$ s. s. m U, iussi V (iusso v), viso D, **80** sit ius et M_1 (ut vid., iures M_1(Stht), iuris c c. rell., quoscunque a, velint MgV, velim ABEcURGk, campos ABE_1, **81** *a* M, arcis M_1, caesareis B, **83** te n*e* M (te net Stht) e s. s. (supra n*e*), **84** havet MB, abet c, **85** [an comes] M_1 adscr. m. 3 in marg., **86** faturuae M_1, vota suae R, **87** cunctis inquit G.

72 „Humano generi" melius quam: „humani generis" Bentl. dicit. Non video. Sententia: „nomen Caesaris significabit generis humani bellum intestinum?" Non erit amor P. R., sed bellum; simili metaphora aliquis *pestis* ipse dicitur.

74 „Gentibus", rell. indignum est te, qui transcurrens et quasi obiter gentes subegisti. *Indignum* nihil cum „morali" dignitate commune habet sed, ut saepe, dissensum s. defectum convenientiae notat; participium est pro nomine verbali. Dativus *Pompeio* est tantum in Argentinensi et uno alterove ex deterioribus.

76 „Causamque — dubitas?", haec interrogatio explicat superiorem „de superis times?": confidere oportet iustam causam Senatus dis curae futuram.

79 „Si imperium *accepisti* (a nobis) et nostra causa (pro nobis) bella geruntur, concedas ut acies (78) concurrant ubicunque velint". Cf. V. 46 „consulite in medium, patres, Magnumque iubete | esse ducem". Non populus, sed senatus iussit Pompeium bellum gerere, quod ei licebat, sed Pompeii erat pugnam iubere; et sic *rogatur* Pompeius ut a iure suo recedat. — *Velim* omnino ferri non potest, et substitutum videtur, quod subiectum ante *concurrere* desiderabatur. Comm.: „iuris] potestatis nostrae", sed ius conceditur non senatui sed exercitui, qui duci suo parere debebat. Scire, inquit v. 84, avet senatus, num audeas, quemadmodum militibus, sic senatui quoque imperare. Ad hoc faciendum sane venia opus erat.

86 *Faturuae* in M non ex „dolos fatur <que> suae" natum, sed nihil est nisi mendum. „Contr. menti" i. q. contra atque opinatus erat.

87 Ordinem mutat non male Bentl. scribendo cum cod. Trinitatis, sed solo: „si

Non duce, tempus eget, nil ultra fata morabor,
Involvat populos una Fortuna ruina.
[Sitque hominum magnae lux ista novissima parti.]
Testor, Roma, tamen Magnum, quo cuncta perirent,
Accepisse diem, potuit tibi volnere nullo
Stare labor belli, potui sine caede subactum
Captivumque ducem violatae tradere paci.
Quis furor, o caeci scelerum! Civilia bella
Gesturi metuunt, ne non cum sanguine vincant!
Abstulimus terras, exclusimus aequore toto,
Ad praematuras segetum ieiuna rapinas
Agmina compulimus votumque effecimus hosti,
Ut mallet sterni gladiis, mortesque suorum
Permiscere meis. Belli pars magna peracta est
His, quibus effectum est, ne pugnam tiro paveret;
ɔ: Si modo virtutis stimulis iraeque calore
Signa petunt. Multos in summa pericula misit
Venturi timor ipse mali. Fortissimus ille est,
Qui, promptus metuenda pati, si comminus instent,
Et differre potest. Placet haec tam prospera rerum
Tradere Fortunae? gladio permittere mundi

88 *eget* M, non MA (nil a)BEDT, **90** *in marg. m.* 3 *et iterum in fine pag. m.* 2, *sed erasus* M, *om.* B, *addit* b, in A *om. postea add.* (m. 1?), magna — parte R, **93** potuis M_1 (Stht.), *versum subducit* V, **94** violatae MVUA, violata B_1, romanae G (violatae g), **95** a caeci B_1, **97** abstulimus terras *subducit* V, **98** l. Prisc. II. 50. 17 H, **99** conpulimus M, efficimus ABM_1 hostis G_1, **100** streni AB, mortemque MA, **102** tyro AU, **103** *versum om. in marg. scribit m.* 2 M, *post insertus* (1ª *m.*?) ABK, *m.* 2 *in fronte add.* E, *add. m.* 2 *in* U, *a m.* 2 R, **104** *multos — misit* in lit. U, **106** qui s. s. est M (m. 2), instet g, **107** *diferre* A, hoc U_1.

placet hoc cunctis, inquit, si" rell. Idem G. *Milite* = tanquam milite.

90 Omittit A cum MB a prima manu, habet E, de C non liquet, quare in *μ* afuisse videtur, et suspectus est.

92 „Tibi", Roma! Proximo versu *potui* pro vulg. *potuit* scribunt Guyetus, Bentleius, Hosius, quos secutus sum: „licuisset mihi Caesarem subigere pacis violatorem et iudicio tradere". Hoc enim est „tradere paci", poenam daret non vulnere sed damnatione. De fiducia Pompeii, qua sine vulnere hostem se superaturum magno numero equitum putabat vid. Caes. III. 86, med., melius tamen refertur ad v. 97, sq. Bentleius *Romanae* praefert, demonstrans „Romanae paci" posse significare: „paci cum Roma initae", quo nihil efficitur.

103 Delet Heins., in prox. interrogandi signum post *petunt* ponens, quod commendavi (Mnem. XVIII. 14) ut paulo melius. Versus suspectus continet dubium de virtute tironum alienum ab hoc loco, quo eorum laudes P. praedicat. Satis, inquit, iam actum est, quod tiro nunc est intrepidus; „signa petunt", iam id est aliquid, multi timore summa pericula incurrerunt. Versus autem non est librarii cuiusdam, sed poeta dignus; fortasse ex priore loci conformatione casu relictus, nempe: „belli pars magna peracta est (101) si modo virtutis stimulis — signa petunt", omisso vs. 102, in qua *si* mere est condicionale, nulla adiecta dubii significatione = si tantummodo.

Discrimen? Pugnare ducem quam vincere malunt.
Res mihi Romanas dederas, Fortuna, regendas,
Accipe maiores et caeco in Marte tuere.
Pompeii nec crimen erit nec gloria bellum.
Vincis apud superos votis me, Caesar, iniquis:
Pugnatur. Quantum scelerum, quantumque malorum
In populos lux ista feret! quot regna iacebunt!
Sanguine Romano quam turbidus ibit Enipeus!
Prima velim caput hoc funesti lancea belli,
Si sine momento rerum partisque ruina
Casurum est, feriat; neque enim victoria Magno
Laetior; aut populis invisum, hac clade peracta,
Aut hodie Pompeius erit miserabile nomen.
Omne malum victi, quod sors feret ultima rerum,
Omne nefas victoris erit". Sic fatur, et arma
Permittit populis, frenosque furentibus ira
Laxat, et ut victus violento navita coro
Dat regimen ventis ignavumque arte relicta
Puppis onus trahitur. Trepido confusa tumultu
Castra fremunt, animique truces sua pectora pulsant

111 accepi M_1, tueri A (tuere a) B_1 (M_1 Stht.), **115** quod A (quot a), **116** qua B, enipheus AV, enifeus C, **118** ruinae a, **120** haclade (s s. s.) M, caede G (clade g), **122** fors BE, **123** fati D, **125** victis d, choro MAEURD, **126** victis V_1.

112 Nemo me incusabit quod proelium suscepi, nemo laudabit, si vicero. Nempe invitus et inglorius ad pugnandum trahitur. Hoc durum erat, nam Caesaris urgebat fortuna (v. 113).

114 *Pugnetur* Heins. Advv. p. 159 et Guyet.: „quod est indignantis"; Bentl.: „*pugnetur*, quantum — malorum | in populos *vox* ista feret!" nempe vox PUGNETUR. Eleganter. Sed quod improbat *ista* non satis ad proprietatem Lucani attendit; et *pugnatur* cum superioribus iungendum est: Caesar superior est apud deos, nam pugnatur, i. e. eius votum ratum est.

117 „*Hoc* caput" est ipsius Pompeii „Sine momento rerum" cf. III. 337: „non pondera rerum nec momenta sumus", IV. 819 „momentumque fuit mutatus Curio rerum".

120 Miserabilis erit Pompeius, si victus fuerit, invisus, si victor (Schol. Voss.). Rationem haec afferunt superiorum: „*victoria* Pompeio non laetior erit (quam mors), hac enim clade illata", rell. — *Hodie*, non oppositum est illis *hac clade peracta,* sed asseverando inservit, ut in Vergiliano „numquam omnes hodie moriemur inulti". *Hodie* = hoc ipso die homo potentissimus factus erit nomen, nil amplius.

122 Omne malum, quod feret fortuna belli, adscribetur victo duci, omnis atrocitas victori vitio dabitur. „Sors ultima rerum" i. q. ultimus eventus belli.

125 „Laxat et ut". Claudicat sententia, *et* enim non habet quo referatur; merito id displicuit Bentleio, non feliciter emendanti „laxat ut *evictus*"; nam *evincere* fere translata significatione ponitur et nusquam in Lucano legitur. Cf. Stat. Theb. VII. 558 (evictus pactis), IX. 840 (evicta pudore), Val. Fl. II. 186 (evicta matrum corda), Sil. It. III. 581 (desidia virtus evicta), paulum diversa Val. Fl. I. 248, Verg. A. II. 630. *Ut* additum sine apodosi Lucaneum est (cf. I. 118, II 665 et al.). Quandoquidem *uti*, quod hic omisso *et* metrum ferret, ab eo alienum est, conicio: „laxat *vi* (*ui* = *ut*) victus, violento *ut* navita coro", cf. *ferae et* IV 238, *rati et*, alia.

128 „Animique truces" i. e. qui modo tam truces erant, cum quadam ironia.

Ictibus incertis. Multorum pallor in ore
Mortis venturae, faciesque simillima fato.
Advenisse diem, qui fatum rebus in aevum
Conderet humanis, et quaeri Roma quid esset
Illo Marte palam. Sua quisque pericula nescit
Adtonitus maiore metu. Quis littora ponto
Obruta, quis summis cernens in montibus aequor,
Aetheraque in terras deiecto sole cadentem,
Tot rerum finem, timeat sibi? Non vacat ullos
Pro se ferre metus: urbi Magnoque timetur.
Nec gladiis habuere fidem, nisi cotibus asper
Exarsit mucro; tunc omnis lancea saxo
Erigitur, tendunt nervis melioribus arcus,
Cura fuit lectis pharetras inplere sagittis,
Auget eques stimulos, frenorumque artat habenas.

129 in ore est U, **130** et mors ventura est M_1VRDTGb, et mors ventura [est] a, mortis venturae [est] ABU, mortis venturae est m, morti uK, **131** que fatum c, **133** palam est O vulgo, **134** attonitus A, metu est M_1, **137** illos B, ullus V (ullos v), **139** cotibus ABEG, cautibus rell., **142** faretras V, **143** artat MACEVUGT, aptat vk.

Acerbe quoque „*sua* pectora", postea fortasse non hostilia.

130 Corruptela sic processit *venturae, ventura e, ventura est*, tum *mortis* in *mors* mutatum, ut subiectum adesset, denique metrum correctum addito *et*. *Mortis venturae* [*est*] igitur est vera lectio. *Est* post 129 non necessarium in uno U invenitur. V. 130 „simillima *leto*" Bentl., coll. 131 „fatum". *Fato* quod eos manet. „Et mors ventura est" Heins. p. 159.

133 Vulgo: „quaeri Roma quid esset, | illo Marte palam *est*" in quo vitiosum est *esset*; mirum neminem sensisse. „Quid esset" glossator Thuanei 3: „vel libera vel non", ancilla Caesaris necne.

137 Cf. III. 103 „vix odisse vacat". *Non vacat* in his non ad tempus sed ad animum et voluntatem refertur; quasi: non in mentem venit. Ad lectionem in V: *ullus* cf. VII. 631 „nullosque hominum lugere vacamus". Cum v. 134—137 cf. II. 290, ubi interitus imperii cum lapsu caeli et fine mundi similiter comparatur.

139 Distinguenda puto *cos* (*cotis*) et *cautes*, certe in singulari numero; in plurali *cotes* pro *cautes* (= saxa) invenitur, quam recte nunc non quaero; sed de lapide ferro acuendo apto cur admittamus *caus* (!) non video, μ hoc loco *cotibus* habuisse videtur, ut recte ABE. *Exarsit*, dum scintillas ex cote elicuit. Cf. Hor. C. II. 8. 15 (Cupido) semper ardentis acuens sagittas *cote* cruenta, ad Pis. 304 fungor vice *cotis*, Verg. A. VII. 627 subigunt in cote securis. Cortius *cautibus* revocavit, ratus MSS. postulare. *Saxum* v. 140 pro cote ut Tac. Ann. XV. 54 „pugionem — asperari saxo et in mucronem ardescere iussit" et saepius.

141 „Saxo | *erigitur*" pro fingitur in rectum (opp. *curvare*) sine exemplo est, praecipue cum *saxo* iunctum me iudice non ferendum; „erigere hastam saxo" est opponere (ponere contra) saxo. Solum aptum est *corrigitur*. Notum est tela facile in proelio clypeis retundi; pila inventa etiamnunc ostendunt. Mutatio prope nulla est: *c̄rigere* vel *ɔrigere* et *erigere*. Quominus reciperem prohibuit non tam quod vocabulum (iniuria) humile videri possit, quam quod exemplum huius usus non possum afferre. Omnino *corrigere* est rarum apud epicos. *Dirigitur* C? *Exigitur* Guyet („exigere lanceam" apud epicos est *proicere*). [Haec scripta ante editionem Postgati, qui idem].

143 *Eques* collective pro equitatu; efficere hinc licet in stimulorum usu non certam normam fuisse observatam. *Artare habenas* aliud significat quam vulgo; artat frenum eques per momentum temporis, dum vehitur, ad equum reprimendum (cf. Paneg. ad

Si liceat superis hominum conferre labores,
Non aliter, Phlegra rabidos tollente Gigantas,
Martius incaluit Siculis incudibus ensis,
Et rubuit flammis iterum Neptunia cuspis
Spiculaque extenso Paean Pythone recoxit,
Pallas Gorgoneos diffudit in aegida crinis,
Pallenaea Iovi mutavit fulmina Cyclops.
Non tamen abstinuit venturos prodere casus
Per varias Fortuna notas. Nam Thessala rura
Cum peterent, totus venientibus obstitit aether,
ↄ: Inque oculis hominum fregerunt fulmina nubes
Adversasque faces, inmensoque igne columnas,
Et trabibus mixtis avidos typhonas aquarum
Detulit, atque oculos ingesto fulgure clausit.
Excussit cristas galeis, capulosque solutis

145 rapidos c, gigantes VU, **146** marcius A, **148** phitona MU, phytona A, phythona V, pytona R, **149** aegide R, **150** pallennea A, fulmina M_1, vulnera R, **152** thessela M_1AB, tessala U, **154** *versum in summa pag. scripsit m.* 2 MK, (*om.* U Stht), **155** inmenso U, **156** sifonas C, typonas UD, tifonas c (*secundum unam glossam*), thiphonas V, tiphonas G, pytonas A, pythonas KE, pithonas M (*corr.*: phitonas), phythonas Conr. v. Murc. ap. Manitium l. l. p. 711, **157** incerto fulgure G, iniecto fulm. g, iniecto m, fulg$\overset{u}{o}$re AU, clusit M, **158** et **159** l. Eutyches V. 480 K, **158** exclusit U, scapulasque, capillosque varr. lectt. ap. Eut.,

Messallam Tib. IV. 1. 91 et alia), h. l. de praeparatione ad pugnam futuram agitur. Non tamen *aptat* melius est, manifesta glossa. Cf. Heins. p. 159, sq.

145 *Tollente* i. q. nutriente; Phlegra eadem quae Pallene cogitatur, peninsula regioni Macedonicae praetexta (ἐν τοῖς ἐπὶ Θράκης), non campi Phlegraei in Campania; suadet mentio Pallenes (150). Cum Gigantes coorti essent in deos, fornaces Cyclopum („Siculis incudibus") incaluerunt in reparando tridente („N. cuspis"), fulminibus renovandis (*mutavit*); Pallenae destinatas (150) sagittas obtusas Pythone interfecto renovavit Apollo (148), Pallas aegida paravit, Gorgonis in ea affixae crines diffundens. Ad *recoxit* cf. Verg. A. VII. 637, „recoquunt patrios fornacibus enses".

154 Fulmen ex nubibus oriri sive collisis sive vento percussis vulgaris opinio erat, cf. ad I. 151; nunc prodigium est, quod palam suis oculis adspiciunt fulmen e nubibus disruptis prodire, vel (poetico more) fulmen rumpere nubes. Versus sine dubio Lucani, sed turbat nexum inter 153 et 155.

155 *Adversasque faces.* Iul. Obs. Prod. 124 „a Dyrrhachio venientibus *adversa* fuere fulmina: examen apum in signis portendit (consedit?)" cf. 160. *Trabes* in caelo Iul. Obs. 122, de forma quadam nubium.

156 Duae lectiones sunt prout a P aut a T(c) vocabulum incipit *py(i)t(h)onas* habuit μ, *ty(i)p(h)onas* reliqui praeter C: *sifonas.* Plin. II. 131 „(flatus quidem) sine igne, hoc est sine fulmine, verticem faciunt, qui typhon vocatur". *Typhonas* eo quoque praeferendum, quod *pythonas* ex v. 148 in memoria haerebat. *Avidos*, (non *rabidos* ut Guyeto placet) „aether *detulit* typhonas" intellegendum de nubium per ventum volutatione ad terram descendente et e mari quasi exsugente aquas (hoos). Scholium Daventr: „typhones venti terribiles; alii quoddam igneum fulmen", cf. Plin. l. l. 132. *Siphonas* Grotius, quem refellit Bentleius.

157 „Ingesto *sulpure*" Haskins, *fulgore* Hos.

158 Legendum conicio: „*capulisque* solutis | perfudit *gladios*" paulo minore mutatione quam Guyetus: „capulis — solutos gladios". Videtur Lucanus *capulus* pro vagina dixisse contra usum, nam in manubrio liquefaciendo (*perfundendo*) quod prodigium insit,

Perfudit gladiis, erectaque pila liquavit,
Aethereoque nocens fumavit sulphure ferrum.
Nec non innumero cooperta examine signa,
Vixque revolsa solo maiori pondere pessum
Signiferi mersere caput rorantia fletu
Usque ad Thessaliam Romana et publica signa.
Admotus superis discussa fugit ab ara
Taurus et Emathios praeceps se iecit in agros,
Nullaque funestis inventa est victima sacris.
At tu, quos scelerum superos, quas rite vocasti
Eumenidas, Caesar? Stygii quae numina regni
Infernumque nefas et mersos nocte furores?
Inpia tam saeve gesturus bella litasti?
Iam (dubium, monstrisne deum nimione pavori
Crediderint) multis concurrere visus Olympo
Pindus et abruptis mergi convallibus Haemus,
Edere nocturnas belli Pharsalia voces,
Ire per Ossaeam rapidus Boebeida sanguis;
Inque vicem voltus tenebris mirantur opertos
Et pallere diem galeisque incumbere noctem,
Defunctosque patres et iuncti sanguinis umbras

159 ereptaque — liquavit Prisc. 398.7 H., tela Prisc., erectaque VU, ereptaque rell., vulgo, **160** l. Isid. de N. R. XXX. 4, aethereoque MABcE, aetherioque G, sulpore s. s. u h M, sulpore A, sulpure G, **162** vixque — caput (163) l. Prisc. 346.24 H, pressum O vulgo, **163** signifieri a, **165** discussa — taurus (166) l. Serv. Georg. II 395, A. IX. 624, Myth. Vat. III. 6. 32, p. 194 B, **166** tauros M_1, emathias g, *se iecit* M („redegit" *antea fuisse susp. Stht*), praeceps eiecit A (se a) B, **168** quo scelerum A, **169** que numina CT_1, **171** tamen saeve M_1, **172** monstris nec B, nimiove AMEVUD, nimioque G, pavori AM (Stht — re M)V, vapori D, pavore rell., **175** aedere G, **176** eosseam a, rabidus E_1, boeteida A, boeboeida MUV, boetida E, boboida R, **177** miratur A, **178** concumbere c, **179** cunctas O vulgo, def. volitare p. et s. u. (om. cunctas) VUg, defunctos[que] RT, occisi *p* ius (*leg.* occisi prius) *glossa ad* sanguinis M.

non video; sed discissa *vagina* fulmen liquefecit *gladium*. — *Erecta* recepi ex VU, *erepta* obscurum est et certe otiosum.

160 *Aetherio* cum Cortio Hosius. Ad 161 cf. supra ad 155, App. Civ. II. 68 fin.

162 Vulgo *pressum*. Sed quomodo signa, quae manu portat, signiferi *caput premere* possint, nemo dicet. *Pessum* Lucanus III. 674 extra vulgarem iuncturam *pessum dare* usurpavit. Iungo „pessum — merserunt", cf. VI. 1, 2. VII. 235, al. Signa guttis madefacta pondere suo deorsum titubantem traxere signiferum, ut caput eius obrueretur (nempe terra, ut 174).

165 „*Devotus* superis" aut „admotus *sacris*" Heinsius.

168 „Scelerum superos" i. q. principes scelerum. Bentl. *sceleri*. — *Rite* nempe tibi, dii tui non adversi fuerunt, acerbe!

172 *Nimione* primus Bersmannus. Cf., si tanti, Hand. ad Turs. IV. 87.

174 *Vergi* Bentl. quia *mersos* legitur v. 170.

176 Aqua fluens per paludem Boebeida videtur sanguis esse.

177 sq. Florus II. 13. 45. Rossb. (IV. 2 D.): „fuga victimarum, examina in signis, *interdiu tenebrae*".

Ante oculos volitare suos. Sed mentibus unum
Hoc solamen erat, quod voti turba nefandi
Conscia, quae patrum iugulos, quae pectora fratrum
Sperabat, gaudet monstris mentisque tumultu,
Atque omen scelerum subitos putat esse furores.
  Quid mirum populos, quos lux extrema manebat,
Lymphato trepidasse metu, praesaga malorum
Si data mens homini est? Tyriis qui Gadibus hospes
Adiacet, Armeniumque bibit Romanus Araxen,
Sub quocumque die, quocumque est sidere mundi,
Maeret et ignorat causas, animumque dolentem
Corripit, Emathiis quid perdat nescius arvis.
Euganeo, si vera fides memorantibus, augur
Colle sedens, Aponus terris ubi fumifer exit,
Atque Antenorei dispergitur unda Timavi,
„Venit summa dies, geritur res maxima, dixit;
Inpia concurrunt Pompeii et Caesaris arma",

180 ante oculos ululare MVU (s. s. volitare v), **182** *iug. q. p. fratrum* V, **183** *monstris* V, tumultus A (tumultu a)Mb, tumultum G, **184** p*utat* esse M, **185** vocabat G (manebat g), **186** limfato tr. m. l. CGL. V. 113, lympato (h s. s.) M, **188** araxem A, araxen M, **189** est *addidit m.* 2 M, *versum in margine habet* G, **191** pendat B, nescius MV, nescit in ABCEU (in ras.)K, nescit quid perdat G, **193** fum.... M.

180 „Ante oculos" non cum *ululare*, quod MVU praebent, iungi potest; cum semel *ululare* coniectura receptum esset, *volitare* primitiva lectio supra scripta est, et inter versus posita, deinde ab alio correctore cum superiore versu 179 coniuncta, omissis verbis *que* et *cunctas*. Memorabile exemplum interpolationis. — „*Sanguinis umbras*, affinium manes" Comm. — Bentleius et Heins. p. 160: *iuncti*, vere; sanguis iunctus i. q. cognati, cf. I. 111. [Defendit: „ululare patres et sanguinis (?) umbras ante oc. volitare suos" Postgate].

184 Subitos furores, dum externati spectra vident, putant sibi portendere caedem prospere perpetrandam (omen scelerum esse putant). Itaque Caesariani (nam hi significantur) putant patrum et affinium umbras prodigium esse caedis eorum. V. 183 *spirabat* teste Burmanno h. l. et ad II. 138 Heinsius, sine dubio reiciendum. Bentleius: „— monstris; mentisque *tumultus* atque omen", rell. Sed male „tumultus atque omen" componuntur, alterum est res desiderata (*omen scelerum*), sed non *tumultus*. *Furores* sunt subiectum (hos experiebantur, de his quaerebatur), hi erant quod optabant omen, sed *tumultus* huc non quadrat. [V. 180 *dementibus* pro *sed mentibus* Postg. Acute].

187 „Tyriis — adiacet" *Romanus* huc quoque pertinet: extremi occidens et oriens memorantur, ubi Romani habitant.

191 „*Nescius* arvis" Heins. (ad Ov. Metam. V. 579, Advv. p. 161), Oud., Cort., Bentl., Burm. Subiectum *Romanus* in sententiam relativam insertum est. *Corripit* i. q. reprehendit, iniuria enim, ipso indice, dolet, nescit quantum perdat.

192 Historiola haec de Cornelio augure ab aliis quoque memoratur praecipue a Livio, apud Plut. Caes. 47, Iul. Obs. 124. Loca hic memorata non multum inter se distant: Timavus et Patavium, ad Padum ab Antenore conditum, et Venetia (Euganei) et Aponus, et ab aliis quoque poetis iunguntur, cf. Sil. It. XII. 214 et alia ap. Bentl. „Aponus fumifer", ex terra s. fonte prodiens torrens spargit aquas, quod Propertius *rorare* dixit IV. 1. 123 (de Mevania).

Seu tonitrus ac tela Iovis praesaga notavit,
Aethera seu totum discordi obsistere caelo
Perspexitque polos, seu numen in aethere maestum,
ɔ: Solis in obscuro pugnam pallore notavit
Dissimilem certe cunctis, quos explicat, egit
Thessalicum natura diem; si cuncta perito
Augure mens hominum caeli nova signa notasset,
Spectari toto potuit Pharsalia mundo.
O summos hominum, quorum fortuna per orbem
Signa dedit, quorum fatis caelum omne vacavit!
Haec et apud seras gentes populosque nepotum,
Sive sua tantum venient in saecula fama,
Sive aliquid magnis nostri quoque cura laboris
Nominibus prodesse potest, cum bella legentur,
Spesque metusque simul perituraque vota movebunt,
Adtonitique omnes veluti venientia fata,
Non transmissa legent, et adhuc tibi Magne favebunt.
  Miles ut adverso Phoebi radiatus ab ictu

197 tonitus (r s. s.) M, **198** aethera M (ut vid.) VUAEG, absistere RD (obs. r), **199** quo om. add. m. 3 M, numen MEAvRG(sic)B, lumen VUk, **200** *inseruit omissum m.* 1 A, *om.* BK, *in marg. m.* 1 M, *suo loco omissum add. m.* 2 *inter* 195 *et* 196 E, *a. m.* 2 R, **202** thessali*cum natura* U, **205** summus A (summos a) B_1, **206** vacabit A (s. s. v) BK, vacabat EuGRT, **207** nepotesū D (i. e. nepotes nepotum), **209** *incuria om. posuit m.* 2 *in marg., iterum legitur in calce pag. a m. coaeva* M, **210** vota legentur R_1, gerentur G (legentur g), **211** monebunt (movebunt a) AB, manebunt Ug, **212** vementia fata D.

198 *Aera* ante Cortium legebatur, quod certe ineptum est, etsi *aethera* quoque aliquam difficultatem habet; *caelum* sidera significare videtur, *aether* est sublime candens, quod solidum popularis opinio credebat, ut cadere posset. — Apud Plutarchum Cornelius sentit Caesarem vicisse.

199 Duae formae huius loci fuisse videntur: 1[a] „seu *lumen* in aethere maestum| solis (fuit) *et* obscuro pugnam pallore notavit", 2[a] „seu *numen* in aethere maestum (notavit v. 197)" omisso altero versu. Ante *notavit* (v. 200) subiectum est *lumen*: „seu lumen fuit maestum, et notavit pugnam"; in priore conformatione loci *et* pro *in* post *solis* fere necessarium est, ut consensu statuimus Kindler, p. 18 et ego Mnem. XVIII. 9. Versum 200 deletum credo a poeta quod 197 similiter exiret. Ad *pallore* cf. 178.

202 „Mens hominum" i. q. intellectus humanus, non recte cum *cuncta* iungitur, melius cum *signa*. Non male Burm. *cauta*. *Explicat* i. q. offert, ostendit, metaphora sumta a custode thesauri, qui integumenta amovet. Cic. Or. I. 161. „tanquam in aliquam locupletem domum venerim non explicata veste". [*Caeca* commendat Postgate].

207 „Haec" i. q. horum hominum (Caesaris et Pompeii 205) res gestae; per epexegesin v. 211 explicatur. „*Populos* nepotum" turbam, cf. I. 153 „populosque paventis terruit", VIII. 253. Sil. It.: „haec mitto in populos" (VI. 710) idem quod: „in saecula mittere", II. 511 posteris trudere.

209 „Cura laboris" cura in nostro carmine posita. *Peritura vota* 211 incerta, vana, ut σώζεσθαι dicuntur quae eventum habent. *Monebunt* in AB e *manebunt* exstitit (sic Ug), deterius multo quam *movebunt*, quod misericordiae et amoris notionem comprehendit. Per „spesque — vota" (211) resumitur et amplificatur *haec* (207). Versus veri amoris pleni. V. 213 *adhuc* pro etiamtunc. Post Ciceronis aetatem discrimen neglegitur.

Descendens totos perfudit lumine collis,
Non temere inmissus campis, stetit ordine certo,
Infelix acies. Cornus tibi cura sinistri,
Lentule, cum prima, quae tunc fuit optima bello,
Et quarta legione datur; tibi numine pugnax
Adverso Domiti, dextri frons tradita Martis.
At medii robur belli fortissima densant
Agmina, quae Cilicum terris deducta tenebat
Scipio, miles in hoc, Libyco dux primus in orbe.
At iuxta fluvios et stagna undantis Enipei
Cappadocum montana cohors et largus habenae
Ponticus ibat eques. Sicci sed plurima campi
Tetrarchae regesque tenent magnique tyranni
Atque omnis Latio quae servit purpura ferro.
Illuc et Libye Numidas et Creta Cydonas
Misit, Ituraeis cursus fuit inde sagittis,
Inde, truces Galli, solitum prodistis in hostem,

215 discendens a, toto R, perfundit V, **217** cornus — datur (219) l. fragm. Bobiense V. 564. 25 K; cornus — sinistri l. Charisius Exc. I. p. 547, 5 K. Prisc. 210.18 H; cornus — Lentule (218) l. Servius Aen. III. 22; cornus l. Anecd. Helv. 127.22, cornu (s *deleta*) AV (s add. m. 2) c (v. 25 Us)., cum (*pro* cura) Charis, **220** fons (s. s. r) M, adversa B, **221** ad G, dessant a, **222** tenebit B, **224** iusta M, **225** habenis MaEBK, habena G, choors G, **226** sicci et (*deleta* s)A, **227** tetrarce U_1, **228** omnis i s. s. M, **229** post 232 d, **230** itireis AE, ythireis V, itereis a, et itureis U, **231** proditis (s s. s.) MA(prodistis a) B, orbem G (hostem g).

215 „Totos perfudit campos". Evidenter res ob oculos ponitur: solis radii armis militum splendentibus reiecti illustrant collem. Mire Bentl.: „miles (214) ut(pote) radiatus, *perfundit* lumine colles, *nec* temere immissus campis". In vulgata a „non temere" incipit apodosis, cuius primarium verbum est *stetit*; verba „infelix acies" apposita sunt tanquam epiphonema.

217 In ordine aciei pleraque cum Caes. Civ. III. 88 conveniunt, nempe Scipio mediae aciei praeest, a dextro cornu fluvius (Enipeus, nomen Caesar omittit), in sinistro cornu prima et tertia (et quarta Luc.) legio constiterant. Domitius (L. Domitius Aenobarbus) memoratur quod eius mortem erat relaturus (600), ut statim oculos in eum convertat (Corfinii a Caesare dimissus II. 511). Scipio (Q. Caecilius Metellus Pius) socer est Pompeii, Luceriae antea praesidens II. 473, cf. VI. 311; post mortem Pompeii Pompeianorum in Africa dux (v. 223 „Libyco dux primus in orbe") ibi cecidit. Lentulus (L. Cornelius) est consul superioris anni cf. V. 16, VIII. 328.

222 „Cilicum terris", Scipio a. 49 cum imperio in Syria erat, unde in Macedoniam vocatus a Pompeio, magnas cupias adduxerat. Caes. Civ. III. 31. Pro *fortissima* Bentl. *firmissima* secundum Caes. Civ. III. 88, sed ibi non de eisdem copiis, sed de cohortibus Hispanis aut solis aut potissimum usurpatum est.

224 „Fluvios" i. q. aquas, fluenta. Verg. Georg. III. 301: „fluvios praebere (pecori)". De Enipeo cf. ad VI. 371.

225 *Habenae* praeferendum, nec codd. obstant, nam ex μ certe Ashb. confirmat, et fortasse M, quem Stht. dicit *nis* in rasura habere.

230 *Inde* hoc versu et 231 intellege, quemadmodum 229 *illuc* et 232 *illic* de *sicco campo* v. 226, qui a sinistra extendebatur (a dextra locus erat paludosus).

231 „Truces Galli" „Allobroges, qui ad Pompeium defecerant, Caes. Civ. III. 59—61". Haskins.

Illic pugnaces commovit Hiberia cetras.
Eripe victori gentes, et sanguine mundi
Fuso, Magne, semel totos consume triumphos.
  Illo forte die Caesar statione relicta
Ad segetum raptus moturus signa, repente
Conspicit in planos hostem descendere campos,
Oblatumque videt votis sibi mille petitum
Tempus, in extremos quo mitteret omnia casus.
Aeger quippe morae flagransque cupidine regni
Coeperat exiguo tractu civilia bella
Ut lentum damnare nefas. Discrimina postquam
Adventare ducum, supremaque proelia vidit,
Casuram fatis sensit nutare ruinam;
Illa quoque in ferrum rabies promptissima paulum

232 cedras a, celtas D, **234** fusa B, fuso M, **237** hostes M, **239** *tempus* U, **240** mundi ABEkT, **242** vel lentum C (ul *pro* ut), dampnare M *ut semper et* promptissima *paulo post et* sumpserit, **243** suppre\ma M, **244** [et] fati MAEKUT$_1$, [et] fatis VR, **245** bellum G (ferrum g).

232 Ex Iberia Romanos fuisse in exercitu Pompei hariolatur Burmannus, ut *cetras* corruptum doceat et *Celtas* (Omniboni) commendet. Quidni potuerunt cum Afranianis victis Hispani ad Pompeium transisse. Bentleius non fert: „*pugnaces* cetras" et corrigit *lunatas*. At *cetras* = cetratos. Ceterum praeter D etiam Bersmanni codex et alii deteriores habent *Celtas*. De cetra Iberis propria Sil. X. 230.

233 „Eripe — gentes". „Occidantur, inquit, omnes, ne sit cui Caesar imperet victor" Schol. Voss. „Totos consume triumphos" omnem triumphandi opportunitatem in posterum deme, devictis nunc semel (καθάπαξ), quibus singulis devictis posset triumphare. Triumphos pro populis „triumphandis", collato II. 644 Haskins dictum putat. — Contorta est demonstratio, ut sit quod in Pompeio laudetur.

235—249 eiicit Guyetus et putat supplementum esse Pollae Argentariae aut alius.

238 sq. Heins. „oblatumque *ultro*" (propter *conspicit* et 243 *vidit*) et proximo versu „quod mitteret", posterius melius sine dubio; quod sic externum aliquid est quod expectat; quae ipsi facimus non expectamus.

241 „Exiguo tractu" quae lente, paulatim procedunt; civilia bella celeriter procedere debebant, hoc est Caesare Lucaneo dignum. Abhorrebat igitur a tali bello ut peste aut scelere, quod sensim serpit. *Tractus* h. l. non est mora, sed processus, tenor, ut „tractus temporis", „tractus aetatis" dicitur. Ablativus qualitatis pro attributo vocabuli *bella*, de quo alibi dixi.

244 Locum corruptum secundum codices dedi; *et* sine auctoritate Burm.; *s* post *fati* in quibusdam codd. neglegentia omissum esse probabile (minus credibile temere additum). Recte de MSS. iudicant Oudend., Hosius; *fati* Grotius; *fatis sensim* Heins. p. 161; *cessuram fatis* Bentl.; Trampe p. 64 desperat. Non credibile est apodosin incipere a *casuram*; languida foret sententia; „postquam vidit discrimina adventare, sensit ruinam adventare", apodosis sic idem fere continet, quod protasis. Coeperat, inquit, moras odisse (desiderabat pugnam 240). Sed (particula adversativa, ut saepius, omissa) postquam ducibus instare perniciem reputavit, *ea cupiditas cessavit*. Haec requiritur oppositio, cuius alterum membrum est in v. 245, haec apodosin continet ad verba: „discrimina postquam — ruinam". Itaque v. 244 nil nisi confirmat superiora: „postquam discrimina ducum animadvertit, sensitque pendentem ruinam iamiam se aut Pompeium oppressuram, pugnandi rabies elanguit." Compara „*formidine* mersa" v. 243. Itaque contra codd. defendo „casuram et fati", nam *ruinam* definiri debet, et *fatis* prorsus inutile; reciperem, nisi *et* postpositivum rarum esset apud Lucanum, cf. I. 403, VI. 579. Ad *ruinam* cf. I. 494.

Languit et casus audax spondere secundos
Mens stetit in dubio, quam nec sua fata timere,
Nec Magni sperare sinunt. Formidine mersa
Prosilit; hortando melior fiducia volgo:
„O domitor mundi, rerum fortuna mearum,
Miles, adest totiens optatae copia pugnae.
Nil opus est votis: iam fatum accersite ferro.
In manibus vestris, quantus sit Caesar habetis.
Haec est illa dies, mihi quam Rubiconis ad undas
Promissam memini, cuius spe movimus arma,
In quam distulimus vetitos remeare triumphos.
ↄ: Haec eadem est, hodie quae pignora, quaeque penates
ↄ: Reddat, et emerito faciat vos Marte colonos.
Haec, fato quae teste probet, quis iustius arma
Sumpserit; haec acies victum factura nocentem est.
Si pro me patriam ferro flammisque petistis,
Nunc pugnate truces, gladiosque exolvite culpa.

246 sperare V, **248** magnis a, **249** prosilet M_1, **251** totiens V, **252** arcersite AB, accersite E_1VUG, arcessite CR, **255** meminit A_1 (memini a), **257, 258** *in marg. m.* 2 (*abcisis* 2—5 *syllabis*) M, *inter versus m.* 2 A, *in calce pag. m. rec.* E, *a m.* 2 B, *in marg.* VD, *omitt.* UK, *adsunt* GT, **258** emeritos AbVTD, **260** fatura M_1, [est] M, **261** petitis B, **262** gladiosque — culpa M_1ABg, gladiisque — culpam aVG, gladiisque — culpas U.

249 „Hortandis gregariis militibus maior suppetit fiducia".

254 „Rubiconis ad undas" non convenit cum reliqua narratione; ad Rubiconis undas Patria nil tale promittit I. 185, sqq. Ad I. 388 refert Haskins, intellegens de fide data a militibus; sed id factum erat Arimini.

256 Triumphi, inquit, olim amissi post hanc diem nos exspectant Romae. Triumphi tanquam homines amandantur (*vetantur*) et redeunt (*remeant*). Abundat *remeare*, aut dicendum erat *constituimus*, vel simile pro *distulimus*. Infinitivus est effectus. De triumpho negato cf. I. 286. *Vetito-triumpho* Burm. et C. H. Dee, diss. Leid. 1891.

257 sq. Offendit in his versibus primum *hodie* post „haec eadem (dies) est", deinde quod Caesar milites spe ruris incitat. Neutrum tamen ad versus proscribendos per se sufficit. *Hodie* enim particula est adseverandi ut in „*nunquam* omnes *hodie* moriemur inulti" Verg. A. II. 670, „Numquam hodie effugies" Ecl. III. 49. Cf. supra 121. Ter. Ad. IV. 1. 11 „quam ego hodie toto non vidi die" ostendit, quantum diei notio in *hodie* fuerit obscurata, quo pertinet Donatus ad Ad. II. 2. 7 „hodie non tempus significat, sed iracundiam", rell. Quod ad alterum attinet, Caesar supra I. 343 praemia militiae requirit rura: „quae sedes erit emeritis? quae rura dabuntur, | quae noster veteranus aret?" Infra 268, Caes. Civ. III. 80. Veruntamen ratio loquendi „faciat vos colonos" non est valde honorifica. Nec mirarer Lucanum hos versus proscripsisse; sed numquam eum potuisse illos scribere non contenderem. Quare antisigmate notavi. Ne quis in hac quaestione dirimenda neglegat conferre alios versus obscuros, vel in hac oratione. Versus spurii, quos edidi Mnem. XVII. 58 sunt eiusdem coloris, sed multo peiores. Cf. Mnem. XVIII. 15.

262 „Gladiosque exolvite culpa" bellum (gladios) iure susceptum esse victoria probetis. Schol. Voss. ad 259 „ut ait Cicero in Caesarianis [pro Lig. 6]: nunc melior ea iudicanda est (causa), quam etiam dii adiuverunt". Ipse Lucanus I. 2: „iusque datum sceleri canimus". Eodem redit lectio: „gladiis — exolvite culpam (culpas U minus recte)" i. e. luite cf. V. 259: „ipsa metus „exolverat audax | turba suos". Hinc intellegitur 260: „haec acies victum factura nocentem est". [Gladioque exsolvite culpam Postgate].

Nulla manus, belli mutato iudice, pura est.
Non mihi res agitur, sed vos ut libera sitis
Turba precor, gentes ut ius habeatis in omnis.
Ipse ego privatae cupidus me reddere vitae
Plebeiaque toga modicum conponere civem,
Omnia dum vobis liceant nihil esse recuso.
Invidia regnate mea. Nec sanguine multo
Spem mundi petitis: Graiis delecta iuventus
Gymnasiis aderit studioque ignava palaestrae
Et vix arma ferens, aut mixtae dissona turbae
Barbaries, non illa tubas, non agmine moto
Clamorem latura suum. Civilia paucae
Bella manus facient; pugnae pars magna levabit
His orbem populis Romanumque obteret hostem.
Ite per ignavas gentes famosaque regna
Et primo ferri motu prosternite mundum,
Sitque palam, quas tot duxit Pompeius in urbem

263 bello A_1, **265** gentis M_1, et ius d, omnis A, undis B_1, **266** privata — vita B **268** esse nihil M, **270** grais EVUR, dilicta RT, **272** aut mixtae aVUM et mixtae BEA [et] mixtae R, **273** barbaria B_1, barbarie R, toto V_1RT, **274** manu U, **276** urbem A, obterit E_1, **279** dixit R, orbem E.

263 Si alii vos reprehendent scitote: „nulla manus armata s. nullum bellum iustum est iudice adversario". „Mutato iudice": si pro duce suo adversarius iudex sederit. V. 264 prius *ut* a *precor* pendet, alterum est finale, quare comma ante *precor* sustuli.

267 „Civem conponere" cf. I. 131 „dediscere ducem", Claud. Rapt. III. 417 „deam gerere". Ib. 104 „matrem pellere". Admodum frequens *mentior* e. g. dominum, cf. ad V. 386, cuius usus ex Tertulliano et Petronio multa exempla affert v. d. Vliet Museum, III. col. 335. Proximo accedit, quod eidem debeo Petron. 95 „statum proeliantis componit". Quam insolenter dictum sit *conponere civem* apparet: „componere aliquem" (= speciem alicuius prae se ferre) tum demum simile esset plurimis supra memoratis, si *componere vestem* usitatum esset pro *induere*; *induere civem* (i. e. togam civilem) simile esset vulgatis, sed id quod h. l. legitur olet Graecam licentiam; nempe pro *comp. togam civilem* dicitur *componere civem*, ut Graeci *νικᾶν Ὀλύμπια*, pro *νίκην Ὀλυμπικήν*, simm. Mentio *civis* tamen paene necessaria est, quare *cultum* pro *civem* (CULTUM, CIUEM) sprevi.

268 „Nihil esse recuso" i. q. nihil recuso, ne civis quidem esse. „Omnia dum vobis liceant" cf. paulo ante „gentes ut ius habeatis in omnis" nempe tanquam cives suffragiis vestris. Guyet.: „*ipse* recuso".

270 *Collecta* pro *delecta* Bentleius, quoniam hostium virtus esset deprimenda; sed vel delecti e gymnasiis non sunt boni propterea milites; cf. proxima. Malim utique *educta*.

272 „Vix arma ferens" i. q. vix patiens onus armorum. *Mixta turba* colluvies gentium — genetivus est.

274 *Tuum* Heins. p. 161.

275 „Pars *pugnae* magna" i. q. pugnantium, ut apparet ex opposito: „paucae manus". Sententia: pauci cives cum civibus pugnabunt; magna pars trucidabit barbaros.

277 *Ire per* i. q. invadere cf. 324, 669. *Mundum* gentes undecunque ex toto mundo collectas.

Curribus, unius gentes non esse triumphi.
Armeniosne movet, Romana potentia cuius
Sit ducis? aut emptum minimo volt sanguine quisquam
Barbarus, Hesperiis Magnum praeponere rebus?
Romanos odere omnes, dominosque gravantur,
Quo novere magis. Sed me fortuna meorum
Commisit manibus, quarum me Gallia testem
Tot fecit bellis. Cuius non militis ensem
Agnoscam? caelumque tremens cum lancea transit,
Dicere non fallar, quo sit vibrata lacerto.
Quodsi signa ducem numquam fallentia vestrum
Conspicio, faciesque truces oculosque minaces,
Vicistis. Videor fluvios spectare cruoris,
Calcatosque simul reges, sparsumque senatus
Corpus, et inmensa populos in caede natantis.
Sed mea fata moror, qui vos in bella furentis
Vocibus his teneo. Veniam date bella trahenti
Spe trepido; haud umquam vidi tam magna daturos,
Tam prope me superos; camporum limite parvo
Absumus a votis. Ego sum, cui Marte peracto
Quae populi regesque tenent donare licebit.
Quone poli motu, quo caeli sidere verso?

280 gentis A, triumphum aE, triumphi Ae, **281** *mo*vet M, **282** ademptum corr. m. 2 A, **284** omnis M_1, **285** quos OBE vulgo, **286** quarum ABURTkg, quorum M_1aVGK, omnibus E_1, permisit R, **289** fallor EF, librata U, **290** quo se a, **292** sectare U_1, **293** senatum RTg, **294** inmensa MA, **295** *bella* M, bella ABEgRI, trahente M_1, furentis A_1E_1VURTD, ruentis G, **297** aut a, haut V, **301** versos D_1.

280 Iniuria haesit in his Heins. Advv. p. 80 (cf. 82) proponens: „unius gentes *opus* esse triumphi", alia, etiam minus probabilia, ex Heinsianis affert Burmannus. *Unius triumphi* est genetivus pretii. *Currus* pro triumphis; gentes devictae sequebantur currum triumphantis. Sententia: appareat, gentes, de quibus totiens (ter) triumphavit Pompeius, non esse dignas uno triumpho. De *currus* cf. VIII. 810, VII. 18, I. 316.

285 *Quo* Heinsius, quod recepi. Post „*quos* novere" languet illud „magis", quod sentientes Oudend., Weis. distinxerunt „quos novere, magis", quod nemo probabit. Si antea novisse, sed nunc magis novisse dicendi sint, non *quos* sed *cum* exspectes.

286 *Quarum* Bentl., Oud., Burm., *quorum* Weise, Hos. *Meorum* (*quorum*), non factorum, sed militum *testis sum* tam per se, quam propter codd. dubium. Ex μ codd. unus tantum E (ut ex silentio efficio) habet integrum *quorum*.

295 Legendum aut *in tela ruentis*, aut *in bella* (i. q. proelium) *furentes*. Cum *ruentis* sit in uno G, *furentis* plures et meliores testes habet, quare „in bella furentis" dedi. Sic Heins. p. 261. *Ruentis* in V pro explicatione, non ut varia lectio scriptum. Ad *bellum* cf. II. 682, 712, VII. 651, pluralis est III 64. *Furere in tela* minus aptum de militibus quam de feris. *Ruere* et *furere* conf. I. 254.

301 Miratur ipse tantum se posse et quaerit causam eius: „num sunt sidera? Thessaliae fortasse, dii, tribuistis?" Magis cum animi commotione convenit iterata inter-

Thessalicae tantum, superi, permittitis orae?
Aut merces hodie bellorum, aut poena parata.
[Caesare]as spectate cruces . . spectate catenas,
Et caput hoc positum rostris, effusaque membra,
Saeptorumque nefas, et clausi proelia Campi.

302 permittites M₁, horae MBVT, **303** parata V, paratur M(-ta Stht)BAEUK, **304** spectare E₁ in codd. nulla defectus indicia.

rogatio haec, sine particula interrogativa quam una interrogatio per duos versus continuata. *Tantum*, ut arbitrium habeat rerum Romanarum.

303 Vulgo *paratur*, quod conferri potest cum Homerico Il. XV. 502 *νῦν ἄρκιον ἢ ἀπολέσθαι | ἠὲ σαωθῆναι* et simm. = nunc res in discrimine est. Sed non tam opponuntur *merces* et *poena* quam „*merces est* hodie" et „*poena* in promtu". Victoria, merces bellorum, non tam paratur quam contingit, sed poena paratur. Quare recepi *parata* adiective positum ex V et fort. M.

Ib. Post hunc versum sequuntur 3 versus spurii, de quibus Weber II. p. 391, cf. Mnem. XVII. 58 praeter Hamb. 2 et Langerm. a m. 2 (Weber) etiam in D: „ne vos (in D deletum deinde verbum trisyllabum) Hispani mitis victoria Martis | securos habeat, dedimus quod rura, quod urbes | et quidquid nobis post Gallica bella negatum est".

304—306 arena sine calce „Caesareae cruces" significare potest „a Caesare" vel „a Caesaribus erectas", neutrum h. l. ferri potest, prius quia Caesar ipse loquitur, qui non confessus esset se tam frequenter cruces erexisse (quamvis hanc poenam piratis adhibuit Vell. Pat. II. 42, Suet.Vit. 74, al.) ut *crux* propterea *Caesarea* diceretur: alterum ferri non potest propter tempora, nam licet subinde Lucanus egrediatur de persona (sic Caesar alludit ad scelera Antonii triumviri post suam mortem commissa V. 481), tamen tam crassum errorem non ei adscripserim. *Spectare* pro *expectare* nemo dixit, et nihil simile allatum est a Weisio (ind. i. v. *simplicia*) quod conveniat. Propria significatio est inepta, nemo *spectat* id quod nondum est. „*Caput hoc* (Caesaris, *δεικτικῶς*) *rostris* positum" inepte Schol. Voss. de rostris avium interpretatur; manifesto fatum significatur quale fuit Octavii consulis (Florus III. 21 D) et M. Antonii (Cic. Or. III. 10), quorum capita in foro rostris contumelioso affixa sunt temporibus Sullanis. Ad ea quoque tempora pertinent *saeptorum nefas* et *clausi proelia campi* (legiones in saepta inclusas Sulla trucidavit de quo Lucanus II. 197) et „dux Syllanus' (307). Demonstrare haec videntur in toto loco de Sulla aut duce Sullano actum esse et *Caesareas* v. 304 esse corruptum, sed nihil est, quod cum fiducia reponere audeam. *Cornelias* trisyllabum (ut *fluvjorum* Verg. Ge. I. 482, *Nasidjeni* Hor. Serm. II. 8. 1, *Marceljano* Mart. II. 29. 5, *Nerjenem* Enn. Ann. 108, *Camerjum* Catull. 55. 10, cf. etiam Hos. JJ. 1895. 96) a codd. oblatum non esset repudiandum, sed nihil eiusmodi cum admiserit Lucanus (nam III. 191 nihil probat) *Cornelias* non est admittendum; si *Caesareas* est interpolatum, commendant se etiam *Sullanas* et *Pompeias*, sed plane forma litterarum dissimilia. Apparet *Caesareas* ferri non posse. Consideremus proximum versum „et caput HOC"; ea verba pertinent ad Caesarem et admodum probabile est ea per glossema CAESARIS explanata fuisse. Hinc origo interpolationis repetenda est; scriptum erat v. 304 et sq. ab initio

aspectare cruces —
·/. CAESARIS
et caput hoc —

inde per errorem factum CAESARIASPECTATE *cruces. Aspectate* praesens imperativi habet nullam rationem; proximo versu tamen *caput hoc* pendere debet a verbo quodam *spectandi.* Verbum igitur quod exstat, sed alia forma eius requiritur. Substituamus nunc quidem infinitivum et simul animadvertamus nunc litteris CAESARI remotis apparere aliquid versui deesse. Scilicet anaphora violata recepto *caesareasspectate* cum ex priore verbo *spectate* fecissent, restituta est altero verbo assimilato omissa praepositione: „spectate cruces .. spectate catenas". Restituto utroque loco *aspectare* duae syllabae etiamnunc desunt, quas explet *necessaria* significatio futuri sic: „aspectare cruces <erit> aspectare catenas | et caput hoc positum rostris". Cf. „videre est" et simm. Cf. omnino similis corruptela supra 180, ubi *volitare* intra versus positum. — Bentleianum *carnificis* pro *cornelias* est superfluum. Idem *sperate* pro *spectate*; denique „et caput *impositum*". — Ad *effusaque membra* cf. II. 185; int. *mea.*

Cum duce Syllano gerimus civilia bella.
Vestri cura movet. Nam me secura manebit
Sors quaesita manu: fodientem viscera cernet
Me mea, qui nondum victo respexerit hoste.
Di, quorum curas abduxit ab aethere tellus
Romanusque labor, vincat, quicumque necesse
Non putat in victos saevom destringere ferrum,
Quique suos civis, quod signa adversa tulerunt,
Non credit fecisse nefas. Pompeius in arto
Agmina vestra loco, vetita virtute moveri,
Cum tenuit, quanto satiavit sanguine ferrum!
Vos tamen hoc oro, iuvenes, ne caedere quisquam
Hostis terga velit: civis, qui fugerit, esto.
Sed dum tela micant, non vos pietatis imago
Ulla, nec adversa conspecti fronte parentes
Commoveant: voltus gladio turbate verendos.
Sive quis infesto cognata in pectora ferro
Ibit, seu nullum violarit volnere pignus,
Ignoti iugulum tamquam scelus inputet hostis.

307 *gerimus civilia bella* V, **309** mors ad, cernit aB_1, **310** victo ABGvk, victum KEVURT, vict^{u}om M, respexerat M_1B, hostem MBEVKURT, hoste AG, *respexerit hostem* V, **312** quique necesse putat (313) l. Prisc. II. 193. 22 H, quique Prisc., **313** distringere MAEV, destringere UR, **314** quos C, qui V, **316** vestram B_1, **317** quantum AB (quanto EM), **318** ast ego vos Rg, nec M_1, cedere AVU, **319** hosti A (hostis m. 2 marg.) B_1E, cives a, **324** nullo G (nullum g), violavit AE_1B, violabit E, **325** inputet MAGTVU (impetat recc.).

308 „Nam me secura", rell. Non convenit cum „et caput hoc", rell. 305, excusandum ex animi fervore, ut similia in orationibus. Sententia: „si milites mei fugam meditantes respiciunt, videbunt me (instante clade) manum mihi inferentem". *Victo-hoste* liquide exstat in AG et latet in *victom* in M, qui numquam accusativum in *om* effert; *victo-hostem* in B apparet esse correctionem eius librarii, cum alibi perpetuo cum A consentiat; omnino post *respexerit* neglegenter accusativum inferebant, cui deinde accommodabant *victum*.

318 „Ast ego vos" Bentl. *Hoc* nempe ea quae leguntur v. 318–322.

324 *Violarit* dedi quod *violabit* ex studio adaequandi natum videtur. *Violavit* soloecum est.

325 „Sententia: inputate mihi mortes etiam vilium et ignotorum, tanquam interfeceritis cognatos, et scelus propter me feceritis" BEROALDUS. In se recipit Caesar culpam omnium, cf. III. 435: „iam ne quis vestrum dubitet subvertere silvam, | credite, me fecisse nefas". Grotius: „narrat „Tacitus, bello civili quod inter Vitellium „et Vespasianum fuit militem a se occisi „fratris praemium petivisse (Hist. III. 31)". Post *pignus* sequi fere debebat: perinde mihi erit, sive: utrumque eodem loco habebo; sed apodosin contorquet alterum tantummodo membrum ponens; proprie aut prius membrum (323) erat omittendum („si quis nullum pignus s. propinquum violarit, ignoti hostis iugulum imputet), aut permutanda erat apodosis sic: „*cuiusvis* hostis iugulum tanquam scelus imputet" (in rekening brengen). Iugulum = caedem. Haskins *imputat* legens interpretatur „the foe is one who reckons the slaughter (even) of a stranger as a crime!" („hostis imputat scelus = hostis est, qui imputat scelus", hostis in

Sternite iam vallum, fossasque inplete ruina,
Exeat ut plenis acies non sparsa maniplis.
Parcite ne castris; vallo tendetis in illo,
Unde acies peritura venit". Vix cuncta locuto
Caesare, quemque suum munus trahit, armaque raptim
Sumpta Ceresque viris; rapiunt praesagia belli,
Calcatisque ruunt castris; stant ordine nullo,
Arte ducis nulla; permittunt omnia fatis.
Si totidem Magni soceros, totidemque petentis
Urbis regna suae funesto in Marte locasses,
Non tam praecipiti ruerent in proelia cursu.
  Vidit ut hostilis in rectum exire catervas
Pompeius, nullasque moras permittere bello,
Sed superis placuisse diem, stat corde gelato
Adtonitus, tantoque duci sic arma timere
Omen erat. Premit inde metus, totumque per agmen
Sublimi praevectus equo: „Quem flagitat, inquit,

326 vallo G, fossamque U, **328** neu RT, vallato T, tendetis UM, tentetis A, tenditis a, tendatis (*ex*: temptatis) BET, **331** ceresque MAVURTe, teresque D, cerisque a, celeresque (*ex corr.*) viri A, viri celeres (hoc ord.) E viris aeVUG, viri (*corr. ex* viris) MEAg, vires AB, capiunt O vulg., **333** permittuntque TG, **334** parentis^{e} MA, potentis T, **335** funestam marte B, [in] C, locasset ORT, locassent a, **337** hostilis^{e} M, **338** praetendere bello D (permittere d), **339** placuis*se di*em M, **340** attonitis U_1, ^{c}searma M, **342** sublimis M_1, praevectus VUMAER, devectus B.

nominativo magna cum emphasi, si eum intellego). *Inpetat* Sulpitius, quod Bersm. in quatuor MSS. inveniri dicit: „ea atrocitate hostem ignotum *invadat*, qua invaderet necessarium". Nihilo clarius. Sententia, quomodocunque explicas, abstrusa. Bentleius *imputet* interpretatur „imputet sibi", quasi Caesar interfectori minatus esset: „voto, interdico, tanquam scelus puniam". Sed quid, quaeso, huc praemissa illa: „sive quis", rell. faciunt? Illa in interpretatione peius quam ambages, *deverticula* sunt. Ceterum si quid absurdi inest, explicandum ex odio in Caesarem, paene incredibili; loquitur Caesar tanquam sibi caput debeatur cognati, sed contentus sit etiam ignoti.

326 „Sternite iam vallum (vestrum)", rell., cf. App. Civ. II. 74, fin. Contra ipse Caesar Civ. III. 89. In reliquo sermone Caesaris Appianus habet Lucano similia, quae fortasse eidem fonti, Livio debentur. „Non sparsa" (327) pro non attenuata.

331 Apparet nunc „viris, *celeres* capiunt praes. belli" Grotii in MSS. bonis ab eo potuisse inveniri, non temere ex Aldina sumtum, sed tamen vitiosum. Corruptela nata ex transpositione fortuita: *viris ceres* quod in *virisceris* mutatum (cf. a), ex *ceris* quasi compendio, *celeris* factum, ut est in deterioribus aliquot, et *celeres*. „Celeres *capiunt*" optime se habebat, nunc remoto *celeres*, *rapiunt* restitui, celeritas erat significanda; *rapere* et *capere* saepissime confusa. [Idem Postgate.]

334 sq. Brovius: „si omnes Caesares essent". *Locasses* (335) Grotii coniectura est. Oudend. *fortuna* pro *funesto*, Burm. et Schrader, melius: „regna *deus*", *fors isto* Wesseling ut *locasset* tueantur. Sine his maioribus mutationibus *locasset* ineptum est plane satisfacit Grotius.

340 *Timeri* Heins. p. 162; suus terror ipsi malum erat omen.

Vestra diem virtus, finis civilibus armis,
Quem quaesistis, adest. Totas effundite vires;
Extremum ferri superest opus, unaque gentes
Hora trahit. Quisquis patriam carosque penates,
Qui sobolem ac thalamos desertaque pignora quaerit,
Ense petat: medio posuit deus omnia campo.
Causa iubet melior superos sperare secundos;
Ipsi tela regent per viscera Caesaris, ipsi
Romanas sancire volent hoc sanguine leges.
Si socero dare regna meo mundumque pararent,
Praecipitare meam fatis potuere senectam.
Non iratorum populis urbique deorum est,
Pompeium servare ducem. Quae vincere possent,
Omnia contulimus. Subiere pericula clari
Sponte viri, sacraque antiquus imagine miles.
Si Curios his fata darent reducesque Camillos
Temporibus, Deciosque caput fatale voventis,
Hinc starent. Primo gentes oriente coactae,
Innumeraeque urbes, quantas in proelia numquam
Excivere manus. Toto simul utimur orbe.
Quidquid signiferi conprensum limite caeli

343 dies (s. s. m man. rec.) M, **345** belli G (ferri g), gentis A (gentes a), **346** ora trahet C, trahet RT, penatis (corr. in — es) M, **347—349** in ras. V, **347** quo (ex corr.) M, **349** iuvet B, spectare T, **350** gerent ET, **351** volent MBAEKVG, volunt U, *leges* M, **352** sed socero T_1, parerent R, **355** *in calce pag.* 1ª *m A*, possint M_1, **359** deciosque (*deleta* q *in* deciosue *corr.*) MU, deciosve V, **360** nunc G (hinc g), hic T, **361** quantas — manus (362) l. Prisc. 477. 6 H, **362** exci ... ere M, concivere Prisc., **363** conprensum est MKEaBU(conp̄sum), compressum RTV, est R.

343 *Dies* M. Non tam mirum librarium sic errasse, quam Heinsium (teste Burm.) coniecisse *diem en virtus*. *En* non requiritur; ad *diem*, per attractionem pro *dies* positum, epexegesis est: „finis civilibus armis".

346 *Trahit* post se, sive movet. „Drags to ruin" (Hask.) verum non puto. Trahimur omnes fatis, nihil est nisi pendemus a fatis, non per se: in perniciem ducimur. In fine versus *parentes* Heinsius, nihil opus; *pignora* (347, Graeci τὰ φίλτατα) complectitur etiam parentes.

354 sq. „Quod Pompeium adhuc servaverunt probat deos non irasci Romae et imperio Romano."

355 sq. *Conferre* proprie i. q. comportare. Quae victoriam praebere possent praebuimus. Id dein explicatur. *Vincere* saepius pro „superiorem esse". De proximis Bentleius: „libenter haec mutaverim in: Sponte viri, *et prisca venerandus* imagine miles". Ut lubet, non utar. Haskins intellegit de imaginibus patriciorum, sed manifesto *miles* i. e. gregarius miles distinguitur a claris viris, i. e. patriciis aut senatoribus; nec unum ordinem sed plures significandos esse ostendit verbum *contulimus*. „Imagine antiquus miles" est qui antiquitatis speciem prae se fert; imago, species, non vero opponitur, sed sic, ut in legibus XII tab. „plurima antiquitatis effigies" honoris causa esse dicitur. Miles significatur antiquae probitatis et virtutis.

363 *Conpressum* apud Hos. vitium typographi videtur.

Sub noton et borean hominum sumus, arma movemus.
Nonne superfusis collectum cornibus hostem
In medium dabimus? Paucas victoria dextras
Exigit; at plures tantum clamore catervae
Bella gerent; Caesar nostris non sufficit armis.
Credite pendentis e summis maenibus urbis
Crinibus effusis hortari in proelia matres.
Credite, grandaevom, vetitumque aetate senatum
Arma sequi, sacros pedibus prosternere canos,
Atque ipsam domini metuentem occurrere Romam.
Credite, qui nunc est populus, populumque futurum
Permixtas adferre preces. Haec libera nasci,
Haec volt turba mori. Si quis post pignora tanta
Pompeio locus est, cum prole et coniuge supplex,
Imperii salva si maiestate liceret,
Volverer ante pedes. Magnus, nisi vincitis, exul,
Ludibrium soceri, vester pudor, ultima fata
Deprecor, ac turpis extremi cardinis annos,
Ne discam servire senex." Tam maesta locuti
Voce ducis flagrant animi, Romanaque virtus
Erigitur, placuitque mori, si vera timeret.
  Ergo utrinque pari procurrunt agmina motu

364 noto*n* M, aut borean AE, simu A, l *addit a* (simul), simul d, sumus C, **367** ad A, **368** nostris Caesar U, **369** summis e M, **376** pignera CT, **377** *cum prole et coniuge* M, **379** volveret E_1G, **382** *ne discam servire senex* V, **383** verba ducis gR, secuti gR, animis E_1, **385** procurrunt VUMART, concurrunt G.

365 „*Conpulsum* cornibus nostris, utrinque *extra* aciem hostilem eminentibus („*super*fusis"), hostem circumdabimus (*in medium*: „cornuum nostrorum"). *Collectum* verum non esse animadvertit Hosius; recte *confertum* conicit. Ceterum non videtur reapse Pompeius talia dixisse; quoniam a dextro cornu Enipea habebat, non poterat inde circumdare Caesarianos, cf. Caes. Civ. III. 88, fin., 93. 3 („ab sinistro Pompeii cornu").

367 „Plures — gerent" (368) interposita haec obscurant nexum, nam „Caesar nostris non sufficit armis" (368) adhaerent prioribus „paucas victoria dextras exigit". *At* v. 367 ineptum videtur, quoniam Pompeius non se efferre potest illo ignavo clamore, nec refellit superiora sed ampliat; requiro *et* vel *ac*. Posterius Bentl.

372 „Prosternere canos" contra usum pro „verrere humum canis", aut „verrere caesariem", „caput canum pulvere foedare". Voluit: ante pedes vestros supplicantem *se proicere*. Similis audaciae, sed usu trita: *effundere* et *fundere lacertos, excutere lacertos, toros*. Cf. ad II. 605, Val. Flaccus IV. 375, VIII. 93. Heins. ad Val. I., 762.

375 *Offerre* Heins. teste Burm.

381 „Extremi cardinis annos". Cf. Seneca Tro. 52 „mortalis aevi cardinem extremum premens". Metaphora sumta a sole, qui occidit in cardine (meridiano) extremo, in occidentali. Vid. ad IV. 72.

384 „Si vera timeret" si forte, *εἴ ποτε*. Superiora „placuit mori" his non incerta fiunt tanquam a condicione pendentia.

385 *Procurrunt* restituit Oudend. cf. 460 et IV. 772.

Irarum: metus hos regni, spes excitat illos.
Hae facient dextrae, quidquid non expleat aetas
Ulla, nec humanum reparet genus omnibus annis,
Ut vacet a ferro. Gentes Mars iste futuras
Obruet, et populos aevi venientis in orbem
Erepto natale feret. Tunc omne Latinum
Fabula nomen erit; Gabios Veiosque Coramque
Pulvere vix tectae poterunt monstrare ruinae,
Albanosque lares Laurentinosque penates
Rus vacuum, quod non habitet nisi nocte coacta
Invitus questusque Numam iussisse senator.
Non aetas haec carpsit edax, monumentaque rerum
Putria destituit: crimen civile videmus,
Tot vacuas urbes. Generis quo turba redacta est
Humani? Toto populi qui nascimur orbe,
Nec muros inplere viris, nec possumus agros:
Urbs nos una capit; vincto fossore coluntur

386 regnis pes M_1, **387** haec M_1A_1cR, aestas M, **388** annus A, annis A 2 m c. rell., **389** et vacet g, gentes – feret (391) l. Prisc. 332. 7 H, **390** et add. m. 2 M, **392** *n*omen, M, beiosque G, **394** add. m. 1 inter versus A, laur. pen. l. Prisc. part. III. 498.1 K, **395** quo vM(Stht.)G(Us.), *in uiroque ego* quod, nocte coacta in ras. M, **396** senator UMG, senatus KVRTg, **397** monimentaque MVU, carpit A, m. 2 corr., **398** putrida u, **402** iuncto A (corr. m. 2.).

386 Sic primus distinxit Grotius; commate ante *regni* cum Cortio posito solum *regni* male ad *spes* pertinet.

387 *Haec* Fleckeisen Mus. Rhen. vol. VII: „haec facient quidquid dextrae, non". Prisca forma fem. plur. a Lucano aliena videtur; i. q. „quidquid irreparabile est hae facient". V. 388 „omnibus oris" Usener teste Baehrensio. Sententia: humanum genus (hominum quasi universitas) quamdiu existet („omnibus annis") damnum non reparabit; *aetas* strictiore sensu saeculum unum (leeftijd). Non opus igitur cum Heinsio distinguere: „omnibus annis ut vacet a ferro gentes" rell.

390 Heinsius: *urbem*. Iungendum: „populos aevi" venientis in orbem = homines postea in vitae lucem udituros, nascituros. Singulae hominum aetates ex tenebris in lucem prodeunt, ut philosophi et poetae multi narrant, Lucanus quoque dum dicit Martem ferre i. e. auferre, percutere posteros, antequam nascantur. Temporis lapsum comparari cum circuli motu notum, cf. volventibus annis, περιτελλόμενοι ἐνιαυτοί, ipsum *anni* vocabulum; et omnia humana per orbem feruntur a vita ad mortem et rursus a morte in vitam.

395 Rus vacuum „demonstrabit" Albam et Laurentum = erit vacuum spatium, ubi olim Alba et Laurentum fuerunt. De hoc et sequente versu videantur Marquardt-Wissowa, Sacralalterthümer p. 284 et 458. „Nox coacta" est quae sacrorum necessitate imposita est; magistratus per ferias Latinas pernoctabant in monte Albano, quos designat *senator*, collective. *Quos* Heins. p. 162; sed lares et penates non amplius ibi exstabant. [Postgate 394, 393].

397 Negatio per *que* continuatur more Lucani. *Putria* ex eventu. *Regum* coni. Guyet, quod non amplificat sed extenuat sententiam, monumenta rerum, nostrarum sc. continet omnem memoriam rerum Rom. Potissimum de aedificiis cogitatur ut ex *putria* apparet. *Monimentum* recentius quam *monumentum*, cf. *documentum*.

399 *Viduas* malebat Heinsius.

Hesperiae segetes; stat tectis putris avitis
In nullos ruitura domus; nulloque frequentem
Cive suo Romam, sed mundi faece repletam
Cladis eo dedimus, ne tanto in corpore bellum
Iam possit civile geri. Pharsalia tanti
Causa mali. Cedant feralia nomina Cannae,
Et damnata diu Romanis Allia fastis;
Tempora signavit leviorum Roma malorum,
Hunc voluit nescire diem. Pro tristia fata!
Aera pestiferum tractu, morbosque fluentis,
Insanamque famem, permissasque ignibus urbes,
Maeniaque in praeceps laturos plena tremores
Hi possent explere viri, quos undique traxit
In miseram Fortuna necem, dum munera longi
Explicat eripiens aevi, populosque ducesque
Constituit campis, per quos tibi, Roma, ruenti
Ostendat, quam magna cadas. Quo latius orbem

404 nullas RG, **405** fece VM(*ce rep* in ras)ARG, **406** corpore u ARmG. tempore VUM (*sic*: te (cor) .pore), in om. T, **407** posset U, possit VMAG, **408** cedunt M_1, **409** alea RA (li *s. s. m.* 2), fatis Rg, fastis r *cum rell.*, **411** hanc c, quo U (in ras)Kvma, quod A, *s.s.* pro, **412** pestiferom M_1, tractū U_1, fluentis M_1UA_1, **413** permixtasq. M, **414** timores VBK, tremoris M_1, tremores vkbc rell., **415** his u, possunt $VRGK_1$, **416** longe M_1, **417** aevo M, **419** ostendat M corr. in: -dit, ostendit U, quae VURGM (ae in ras.)CK, quo A, orbe A (*m* add. m. 2), tardius vg, Schol. Voss.

403 *Avitis* sine ulla excellentiae significatione.

404 „*Nullo* cive suo" mira hyperbole potissimum in eo, qui ipse genere Hispanus erat. Nullus, inquit, incola civis Romanus est. Nam *nullus* pro *non* alia ratione dicitur.

406 *Ne* pro *ut non* iam ab Horatio inde invenitur. *Corpore* dedi cum Heinsio, qui apto *imperii corpus* comparat, usurpatum Ovidio Trist. II. 231, Senecae de Clem. II. 2, Flor. II. 14. 6 (IV. 3 D). *Tempore* (= ut post tot annos nondum) minus apto dicitur quasi virium incrementa iam exspectet poeta. Nec tempus 100 annorum quod ab initio b. civilis effluxerat tam enorme est, si compararetur cum tota vita P. R. Cf. etiam Verg. Aen. XI. 313, Heins. ad Vell. Pat. II. 109.

408 De apposito *nomina* cf. Oud. ad I. 314 „nomina vana Catones".

411 *Fati* Heinsius.

413 teste Baehrensio (in annot. MS.) proscribit Usener. Proximo *plana* Bentl. coll. I. 383 „in planum effundere muros"; melius per vulgatam significatur clades hominum, de quibus agitur: damnum hominum hi possent reparare viri. Ad *explere* cf. 387.

417 *Explicita* vir doctus ap. Oud. Divitias per multas aetates congestas disponit fortuna simul eripiens. Oxymori aliquid simile: donat eripiens. Respicitur manifesto ad Pompeianos splendide armatos et fastum regum orientis in exercitu Romano. Post *campis* lenius distinxi = campis iis, per quos, rell. nempe Pharsalicis. *Cadat* Bentl. corrumpens sententiam.

419 *Quo latius* usque ad *annis* (426) Baehrensius interpolata putat „ab eo qui Lucani carmina imperfecta relicta edidit"! Fortasse mutaturus fuit sententiam. Qui *tardius* probant (Schol., Cortius) explicant: *per prospera fata cucurrit*: ad finem felicitatis pervenit, quae potius sunt: prosperos casus advexit. Quo maiorem ambitum Imp. Rom. habebat, eo facilius reliqua consecutum est. *Quae* defenditur interrogative aut per epiphonema; sed sine substantivo ferri

Possedit, citius per prospera fata cucurrit.
Omne tibi bellum gentes dedit omnibus annis:
Te geminum Titan procedere vidit in axem;
Haud multum terrae spatium restabat eoae,
Ut tibi nox, tibi tota dies, tibi curreret aether,
Omniaque errantes stellae Romana viderent.
Sed retro tua fata tulit, par omnibus annis,
Emathiae funesta dies. Hac luce cruenta
Effectum, ut Latios non horreat India fasces,
Nec vetitos errare Dahas in maenia ducat,
Sarmaticumque premat succinctus consul aratrum,
Quod semper seras debet tibi Parthia poenas,
Quod fugiens civile nefas redituraque numquam
Libertas ultra Tigrim Rhenumque recessit,
Ac totiens nobis iugulo quaesita negatur,

421 gentis M_1, armis MUabRC, **423** haut M_1VU, **424** [tibi] tota T, **425** vider*ent* M, ominaq G, omnesq T, **426** sua u, armis c, **427** haemathiae MU aemathiae C, hemathiae A, **429** *dahas* U, dahas vmD (ex: dachas), dabas R, daas A, dacas VaGd,.... *as* M, **430** succintus V, pre*mens* M, **431** summas G, saevas g *c. rell.* Seras Marklandus, **433** thigrim V, tigrin G, **434** ah totiens T, totiens aV, iugulis V, vagatur O vulgo.

non potest. Subiectum est ante *possedit, cucurrit*: fortuna P. R. Incommodum e varietate personae verbi si quod est demturus in aliud, varietatem temporum, incidit Burmannus commendans: *possideas. Late possidere* illustrat Gronov. ad Liv. XXIV. 49, V. 421: nullus annus fuit quin novas victorias afferret. *Omnibus annis* supra 388 et infra 426. *Arvis* Burm. infeliciter. *Armis* Hosius, explicans: pugnis. Heitland: „deeds of every kind" (Cl. Rev. 1895 p. 153), parum apte.

423 Heins. mavult *spatio* vel *spatii*; *magnum* pro *multum* Baehr. *Spatio* non intellego.

424 Petronius 119 v. 1 „orbem iam totum victor Romanus habebat, Qua mare, qua terrae, qua sidus currit utrumque". Lucanus vellem tam facilis esset intellectu, nam in eo nequiquam laboramus, ipsius, opinor, culpa. Sententia: „quin tibi luna, tibi sol, tibi stellae (*aether*) inservirent", sed ad loci designationem haec tria inter se distingui non possunt. *Errare* est circumferri, nec de planetis accipiendum.

426 *Actis* Heins.

429 De Dahis cf. Gronov. ad Senec. Thyest. 370 et 603, Sil. It. XIII. 764. Prope Bartros vagantur et sunt Parthis inimici. Eadem varietas fere supra II. 296. Versu proximo negatio continuatur. Agitur autem de urbium excidio. Cf. ad Hor. C. I. 16. 30: „inprimeretque muris hostile aratrum exercitus insolens". Sen. de Clementia I. 26.

431 Enumeratio malorum, quae pugna Pharsalica peperit, nimis exilis est, si post *aratrum* v. 430 plene interpungitur; libertas amissa (433) necessario iis addi debet, praecipua calamitatum. Minus offendor variata structura (*quod* post *ut*) quod insurgit oratio et quod negatio non continuatur. *Seras* Markl., recte, saevitiam nemo debet hosti, *seras* est nimis dilatas.

433 *Tanaim* coniecit Grotius, quo non opus, cf. Haskins. Petebant libertatem cum periculo vitae, dum eius insidiatores opprimebant. Iugulo quaerere dicitur sic fere ut „corpore effugere" Cic. Catil. I. 15.

434 *Negatur* coni. Sulpitius, probat Damsté. *Vagatur* non recte dicitur, sic enim subinde libertate gaudet Roma et libertas sic nimis tenuiter instabilis dicitur. Vellem (436) = utinam numquam populis Ausoniae nota. *Vastis* pro nostris mire Burmannus, qui h. l. susque deque tumultuando se et lectores impedit.

Germanum Scythicumque bonum, nec respicit ultra
Ausoniam — vellem, populis incognita nostris!
Volturis ut primum laevo fundata volatu
Romulus infami conplevit maenia asylo,
Usque ad Thessalicas servisses, Roma, ruinas!
De Brutis, Fortuna, queror. Quid tempora legum
Egimus aut annos a consule nomen habentis?
Felices Arabes, Medique, Eoaque tellus,
Quam sub perpetuis tenuerunt fata tyrannis.
Ex populis, qui regna ferunt, sors ultima nostra est,
Quos servire pudet. Sunt nobis nulla profecto
Numina: cum caeco rapiantur saecula casu,
Mentimur regnare Iovem. Spectabit ab alto
Aethere Thessalicas, teneat cum fulmina, caedes;
Scilicet ipse petet Pholoen, petet ignibus Oeten,
Inmeritaeque nemus Rhodopes, pinusque Mimantis;
Cassius hoc potius feriet caput! Astra Thyestae

435 scithicumque M (ci s. s) R, syticimque A, schythycumque U, **437** Versum l. Lactant. Theb. III. 508, lato (pro laevo) u s. s. sinistro (*lato* sine dubio erat adscribendum ad *volatu*), volato M_1A, **438** asylo s. s. D, luco O vulgo, **439** romana A, roma m. 2, romani T, **440** regum AB_1G (legum ag), **441** habentis A, **445** quo MA, qucd VmT, quos a c. rell., **448** dum D, clades vD, **449** ille s, petit vu. foloen M, petit VU, oethon V, aethen D, **450** pinosque U, minantes VuM (-$\overset{e}{\text{tis}}$) KG (-tis), manantes U, mimantis BA (-tes m. 2) R, **451** cassius MkA (altera *s* s. s.), casibus V (s. s.: pro casus), casus KUa (in marg. et corr. m. 2 in textu) RT, arduus a marg., feriat VUG, feriet M_1A, thiestae VM, thiesthae U, thyestes s (bis).

438 *Asylo* (a *Asulo*) post *a* praecedentem mutatio paene nulla est pro *luco*. Lucus sacer non est infamis, sed asylum maleficis apertum. Cf. Iuven. VIII. 273: „ab infami gentem deducis asylo".

440 *Legum* pendet a *nomen*, cogita leges Valeriam, Liciniam, Poeteliam Papiriam de libertate P. R. Liberioris ordinis exempla Haskins ad VIII. 343. Subinde anni enumerantur a legibus.

450 Ovid. Metam. II. 222: „nivibus Rhodope caritura Mimasque", unde Silius III. 494 „Rhodopeque adiuncta Mimanti". Unus mons est Mimas in Ionia, non ut olim putabant, duo. Cf. Zingerle, zu späteren Lateinischen Dichtern, Innsbrück, 1879, II. p. 16, sq. et omnino Heinsius Advv. p. 70, sq.

451 In vera lectione unus Ashb. cum BGM consentit, nam *s* supra scripta in A est m. 1. Primus *Cassius* edidit Sulpicius.

Thyestes lemma Commenti, non interpretatio, contra fabulam. *Abstulit* cum uno et altero deteriorum Beroaldus, Weber, manifestum interpretamentum. „*Intulit* astra" (Burm., Cortius) minus recte dicitur quam *impulit* (Oudend. Haskins), Gronovio probatum sed minus recte explicatum (cursu suo demovit). Sententia: sidera noctis acceleravit, noctem citius adduxit sic, ut sol cederet loco. Haskins: he hurried on the stars; cf. Sen. Thy. 795 „nondum serae nuntius horae Nocturna vocat lumina vesper". Hic quoque U praeferendus Montepessulano. P et T confusae ut *propulit* et *protulit* Hor. Carm. IV. 4. 6, *impermissa* et *intermissa* III. 6. 27. *Intulit* probat Heitland Cl. Rev. 1893 p. 151 propter dativum *Thyestae*. Recte, si Thyestes esset impugnandus; sed Thyestae adduxit sidera, ne sol adspiceret eius flagitium.

Inpulit, et subitis damnavit noctibus Argos:
Tot similis fratrum gladios patrumque gerenti
Thessaliae dabit ille diem? Mortalia nulli
Sunt curata deo. Cladis tamen huius habemus
Vindictam, quantam terris dare numina fas est:
Bella pares superis facient civilia divos;
Fulminibus manes, radiisque ornabit et astris,
Inque deum templis iurabit Roma per umbras.
  Ut rapido cursu fati suprema morantem
Consumpsere locum, parva tellure dirempti,
Inde manus spectant voltusque ac noscere quaerunt,
Quo sua pila cadant, aut quae sibi fata minentur,
Facturi quae monstra forent. Videre parentes
Frontibus adversis, fraternaque comminus arma,
Nec libuit mutare locum. Tamen omnia torpor
Pectora constrinxit, gelidusque in viscera sanguis

452 inpulit VUS, intulit MART, depulit v, dampnavit MU, **453** similis M_1 (*e* s. s), **454** *thessaliae dab*it M, **457** pars *e* s. s. M, **458—537** *adsunt in* P^R, cf. VI. 267. V. 458—477 *postremae versuum litterae interierunt*, **458** ornavit P^R, ornabat corr.: — bit. U, **459**....bit P^R, iuravit A, *corr.* 2. *manu in*: iurabit, *ut rell.*, diem (pro deum) Dav., **460** cursum M, fatis P^R, supprema P^R, **461** consumpsere P^RVMA(*p* a 2 m.) R, dirempti VM, direpti R, **463**, **462** *hoc ordine* P^RVA (*in hoc corr. praepositis* B *et* A) KRG (*qui praeterea* 462 *in imo margine habet praefixo sigillo, quod ad textum inter* 461 *et* 463 *iteratur*). *Rectum ordinem habent UMB.* Lactantius ad Stat. Theb. VI. 757 *laudat uno tenore* 462 *et* 464 *usque ad* forent (ferant) *omisso* 463, **462** unde B *in repetitione versus, ubi tamen adscr.* inde, manus AUvT, manum SP^RVMa (*versu repetito post* 463) RG (repetito versu)Lact., spectat A, spectant P^R c. rell., vultus P^RUKvG, tempus VAGMRk Lact., quo P^RMVARGLact., qua U, que G, agnoscere UG, no(scere) P^R; noscere VMARGrepet.Lact., possent AVMG rep., G, possint Lact., quaerunt U. *C habet hoc lemma* T. I. R. N. P. *cum gl.*: deest: erat. *Itaque voluit*: Tempus (erat) In Quo (Q pro R posito) Noscere Possent, *et lemma esse debebat*: „tempus quo", **463** P^R: quo sua pila cadant aut quam sibi fata.....; cadunt corr. in: — ant M, qua UR, quae A, quam VMG, **464** factura corr. in ri U, ferant Lact., **466** licuit Ga, **467** constrixit M, supra scr. *n*, que. in M.

458 Flaminibus Schraderus et Burm. At si radii solis et astra coronam imperatoris non dedecent, sane Iovis insigne non eius manum. Cf. Haskins.

462 Coniecturam meam recepi *ac noscere* pro *agnoscere* (cf. var. lect. ad II. 193), in reliquis potissimum U secutus, qui habet: *vultus qua agnoscere quaerunt* in quo *qua* corruptum ex *que*, sequente *a* littera. *Inde* = ex parvo illo intervallo, *manus* = tela hostium. Manus vultusque illustrantur sequentibus, *manus* per: „quae sibi fata minentur", *voltus* per: quo sua pila cadant. Turbas dedit perversus ordo versuum 463 et 462, qui iam est in P^r, et *vultusquo* pro *vultusque*, unde audaci coniectura, ut *quo* haberet quo referretur, *tempus* ex *vultus* fecerunt, et deinde *possint* (*possent*), Usenerus dedit (in „Lucani pugnae Pharsalicae narratio — cum comm. critico, Gryphiae 1863") lectionem Grotii: „inde manum spectant, vultusque agnoscere quaerunt, quo sua pila cadant aut qua sibi fata minentur", in quo „manum spectant" obscurum est; reliquorum inventa omitti possunt. Fusius de h. l. egi Mnem. XXII (1894) p. 165, sqq. [Postgate inverso ordine: „(463) quo sua pila cadant, aut quam sibi fata minentur, (462) inde manum spectant; vultusque ac noscere tempus | facturi" rell. (464)].

Percussa pietate coit, totaeque cohortes
Pila parata diu tensis tenuere lacertis.
Di tibi non mortem, quae cunctis poena paratur,
Sed sensum post fata tuae dent, Crastine, morti,
Cuius torta manu commisit lancea bellum
Primaque Thessaliam Romano sanguine tinxit.
O praeceps rabies: cum Caesar tela teneret,
Inventa est prior ulla manus! Tunc stridulus aer
Elisus lituis, conceptaque classica cornu,
Tunc ausae dare signa tubae, tunc aethera tundit
Extremique fragor convexa inrupit Olympi,
Unde procul nubes, quo nulla tonitrua durant.
Excepit resonis clamorem vallibus Haemus,
Peliacisque dedit rursus geminare cavernis;
Pindus agit fremitus, Pangaeaque saxa resultant,
Oetaeaeque gemunt rupes vocesque furoris
Expavere sui tota tellure relatas.
Spargitur innumerum diversis missile votis.
Volnera pars optat, pars terra figere tela

468 percussa OP^R RT, **469** parant | mippidiutensis (sic) P^R, **470** que T *ex corr.*, **471** prae A, post a m. 2, sensus G (sensum g), crastina P^R, crastinae A (corr: ne) R, mortis M, morti m (2 m) c. rell., **473** thesaliam M, **475** invecta P^R, est... prior M. tunc PAUMG, tum V, **477** tendit O, vulgo, **478** inrupit P^R AT, irrupit VR, irrumpit U, inrumpit MG, olymphi M, **478—497** P^R, in fol. verso primae versuum litterae desunt, **479** qua MU, dirant R. corr: durant, **481** *omissus in M scriptus est in marg. manu* 2 *aut* 3, *itemque in ima pag., in qua est* 39us, *antiqua manu cum signo* H. S.;... ciasq. P^R, **482** P. agens gem. l. Porph. ad Hor. Carm. I. 12. 6, gemitus Porph. A, *in marg.* fremitus 2 man. *idque deletum*, fremitus rel., etiam P^R, panageaq V, panaceaque R, pangeaque M, **483** oethe-
nu
aque V, oetheaque U, osseteaeque T, **484** ... erui P^R, **485** inmerum M, **486** obtat M, terra M, terrae rel.

468 Oudend. *perculsa*, Cortius *percussa* multis defendit. Acquiescendum videtur in codicum lectione; *percussus* est vulneratus laesus, *perculsus* prostratus, hoc de subito terrore, illud de longiore affectione; *percussa* defendunt Heins. et Gronovius (cf. Usener).

471 Recte *mortis* spretum, sententia: tibi mortuo, cf. e. g. infra 618, Cic. Mil. 86.

476 *Concentaque* Guyetus forma insolita; cf. I. 238 concinere classica. Cornu concipit, i. e. recipit in se modulos classici. Ov. Met. I. 337.

477 *Tundit* Guyetus, vere opinor, nam *tendit* ambiguum et h. l. nimis tenue est. Quae Heinsius Adv. 134 habet partim alius generis sunt, partim nunc emendata.

479 Weberus *durant* putat esse corruptum; sed cf. Lachm. ad Lucr. I. 122. Durare h. l. usurpatur ut permanere aliquo et ad locum permanere dicitur id, quod ita valet, ut antequam ad aliquem locum perveniat, non exstinguatur. Nubes, ex quibus fulmen oritur, procul sunt ab Olympo. Cf. Schol. Oud.

482 Praeferrem *gemitus* nisi pauperis ingenii foret eandem gemendi metaphoram contiguis versibus iterare. Fortasse: „agit gemitus — Oetaeaeque fremunt rupes". Cum *fremitus* et *gemunt* eodem versus loco alterum supra alterum posita essent, facilis erat confusio.

486 *Terra* firmatur lectione *affigere* ap. Steph. (vid. Oud.), cf. IV. 617, V. 360.

Ac puras servare manus. Rapit omnia casus,
Atque incerta facit, quos volt, Fortuna nocentis.
Sed quota pars cladis iaculis ferroque volanti
Exacta est? Odiis solus civilibus ensis
Sufficit, et dextras Romana in viscera ducit.
Pompeii densis acies stipata catervis,
Iunxerat in seriem nexis umbonibus arma,
Vixque habitura locum dextras ac tela movendi
Constiterat gladiosque suos conpressa timebat.
Praecipiti cursu vesanum Caesaris agmen
In densos agitur cuneos, perque arma, per hostem
Quaerit iter, qua torta gravis lorica catenas
Opponit, tutoque latet sub tegmine pectus.
Hac quoque perventum est ad viscera, totque per arma
Extremum est, quod quisque ferit. Civilia bella
Una acies patitur, gerit altera: frigidus inde
Stat gladius, calet omne nocens a Caesare ferrum.

487 (pur)aservare P^R (Hos. praef. p. XVII), **488** et inc. A (sed a), nocentes P *cum aliis. Post hunc versum sequuntur in U* (*sed corr. posito* A *ante* 489, B *ante* 521, C *ante* 510) TA (*ubi m.* 2 *praeposuit signum correctionis* ⁜) v. 510–519 (520). De c vid. infra, **489** et qu. UMT, gladiis (*pro*: cladis) P^RG, hominum (pro: cladis) ATD, **490** solus M ex solis corr., **491** ramono P^R, (pomp)ei P^R rel, **493** vinxerat AT (iunxeret a), **494** dextras.... M, **495** gladiosque suos compressa timebat, Serv. Aen. X, 432, timebat Serv. P^RUMABT, tenebat Vb, **497–517** *fines versuum* in P^R *manci aliquot litteris abscisis,* **499** toto supra scr. *u* U, **503** cessare A, sanguine RVg (non M), mocens U.

488 Manifesto in U erratum est in correctione; debebat esse A 489, C 521, B 510. In A ⁜ ponitur ante 489, 509 et 520. In Bern. apud Usenerum post 488 in marg. legitur HIC et iuxta 510–519 (qui ibi sequuntur): HI VERS' P' UNDECĪ VERS' LEGUNTUR, quod sic emenda: „hîc [post 488] versus <qui> post undecimum – leguntur" i. e. 490–509. Nempe 510–519 decem versus sunt, undecimus est 489. Post 488 librarius primitivi codicis folium totum omisit et sequentis paginam rectam descripsit, undecim (decem) versus continentem (510–520 U), tum errore animadverso inseruit folium omissum 489–509. Ceterum U 510–520, GAT 510–519 post 488 ponunt. In archetypo C sequebatur 513 post 519, sq., ad 513 enim scribitur „non sole quem dixit *superius* obscuratum" (in commento ipso ordo est vulgaris) unde hunc ordinem in C primitivo efficit Usen. 488 514–520 489–513 521 sqq. (cf. infra ad 513) [Hunc ipsum ordinem sequitur Postgate, cf. tamen Mnem. XXII p. 171].

Ib. A casu, inquit, pendet incerto, num feriat necne civem et cognatum. Dea Fortuna h. l. habet epitheton quod tempori convenit, non epitheton perpetuum. Nocens est secundum poetam qui prostravit, non qui sine eventu telum misit. Superiore versu *regit* pro *rapit* Bentl., languide.

491 Res inanima dici potest facere ipsa, quod eius ope fit, ensis interficere, navis vehere, divitiae corrumpere, et alia, sed quis aut quid tandem hic investigatur, quo ensis hominem ducit? num ensis est instrumentum inveniendo aptum? an viscera non possunt certantes invenire? Legendum puto *trudit.* Bentl. *recta* pro *dextras*, quo non tollitur offensio.

498 Potissimum splendide armatos Pompeianos petebant Caesariani: *qua torta – pectus.* Restitui plenam interpunctionem post *pectus.* Ad *extremum est* subiectum est *pectus.*

499 Heins. p. 162 *sutoque.*

Nec Fortuna diu rerum tot pondera vergens
Abstulit ingentis fato torrente ruinas.
Ut primum toto diduxit cornua campo
Pompeianus eques bellique per ultima fudit,
Sparsa per extremos levis armatura maniplos
Insequitur, saevasque manus inmittit in hostem.
Illic quaeque suo miscet gens proelia telo,
Romanus cunctis petitur cruor; inde sagittae,
Inde faces et saxa volant, spatioque solutae
Aeris et calido liquefactae pondere glandes.

504 vertens OCRT, vergens A ex corr., **505** ing. f. t. ruinas l. Prisc. 403.21 H., ingentis AM (*in hoc corr.* -tes), (ingentes Prisc.), **506** tota corr. in: toto A, toti G, diduxit PRVG, deduxit UMAR, cornua fato T, **507** ultimofu...PR, **508** sparsas, ultima *s* deleta M, **509** saevacuasque (*sic*: que, *alibi* q.) PR, immittit GV, reliqui: inmittit, honestem T, **510–519** *in aliquot MSS. post* 488 *positi, cf. ad illum versum,* fato al. telo D, **511** romanis PR, a cunctis R, petitur cunctis G, *vulgato ord. e corr. restituto,* **512** solutae O (soluta PR), **513** liquefactae O, tempore VR (s. s.: pondere) g.

504 *Vergens* Grotius recepit „ex MS" et qui secuti sunt, praeter Bentleium (v. i.), Weisium et Haskins. Hic *vertens* sic interpretatur: taking but a short time to *overthrow* such weighty interests, ut „nec diu vertens" sit: brevi tempore subvertens. Conveniret e. g.: „Alexander non diu subvertit Persarum imperium" pro brevi, paucis annis, nec plane simile est, quod affert VIII. 672: „nodosaque frangit ossa diu" nam saepius ossa frangit, non legitur: „diu amputat caput", quod simile esset. Recte idem *nec diu* iungit cum participio. *Vergens* est librans, ut Grotius ait; Fortuna ponderat utriusque fatum; *vergere* transitivum notum veluti ex Lucr. V 1010: „sibi saepe venenum vergebant", quod multo durius quam *pondera vergere,* nec probanda videtur lectio „pondere vergens" (Postgate Mnem. NS. XIV. 440); ita Fortuna succumbit, nutat, quae tamen dispensat et dominatur. *Abstulit*, pro quo idem *abstinet*, significat: reportavit. Ob oculos fuere poetae loci quales Iliad. VIII init., Aesch. Pers. 346, quos Cortius laudat et Sept. 708 *ἐπεὶ δαίμων* (fatum) *ἴσως ἂν ἔλθοι θαλερωτέρῳ πνεύματι, νῦν δ' ἔτι ζεῖ* (*torrente*). Bentleius: „vertens *distulit* ingentes fato *torquente* ruinas" imaginem poetae subvertens. Torrentem fati impellit Fortuna isque rapit aedificia secum. Copiose de his verss. Weber II. p. 483, sq. Non male Burm.: *attulit.* Claudianus in Eutr. I. 208 „cum pondere iudex vergit" *cum* est praep.

509 *Laevas* Bentleius, iniuria vulgato offensus poetico epitheto: certo *laevas* non recte se habet; omnis enim levis armatura erat in laeva acie, non agi potest de *parte eius laeva.* Cf. Caes. BC. III. 93.

513 Fortasse: „calidae liquefacto pondere glandes". Contigua vocabula terminationes permutavere; liquefactum pondus est plumbum fusum, quo glans repletur (Verg. IX. 585, ubi Servius huc respicere videtur). *Liquefacto pondere* tanquam attributum iunctum cum *glandes.* Statius ap. Serv. l. l. „et arsuras caeli per inania glandes". Serv. Aen. IX. 702, Lucret. VI. 179, 307, Ov. Met. II. 727, XIV. 825.

Ib. Schol. Bern. ad h. v.: „non sole, quem dixit superius obscuratum, sed impetu missus calefactae et solutae sunt", quod cum manifesto pertineat ad 519, sq. „noxque super campos telis conserta pependit", apparet in scholiastae libro v. 519 ante 513 scriptum fuisse, id quod neque in vulgato ordine fit, neque in eo quem habent UBAT. Usenerus scholiastam sic dispositos habuisse versus existimat: 488, 514–520, 489–513, 521 sqq. Ex incerta autem sede v. 514–520 et sententia et dictione efficit v. 514–520 insiticios esse. Eodem fere iure possis suspectare alios in hac descriptione versus; nam tota descriptio pugnae est perturbata: v. 489, ut hoc utar, ad gladios perventum est, post, v. demum 508, levis armatura in pugnam descendit. Sufficit ad Caesaris narrationem provocare. Inventa v. 514—520 sunt sane *τοῦ πονηροῦ κόμματος*, sed nihilo minus 495—501 et alii. Nec duas h. l. recensiones statuere possumus, cum commissurae utriusque non pateant. Hosius sic versus disponit: 488, 510–520, 489–509, 521 sqq.

Tunc et Ituraei, Medique Arabesque soluti,
Arcu turba minax; nusquam rexere sagittas,
Sed petitur solus, qui campis inminet, aether.
Inde cadunt mortes celeres, sed crimine nullo:
Externum maculant chalybem; stetit omne coactum
Circa pila nefas: ferro subtexitur aether,
Noxque super campos telis conserta pependit.
Tunc Caesar, metuens, ne frons sibi prima labaret
Incursu, tenet obliquas post signa cohortis,
Inque latus belli, qua se vagus hostis agebat,
Inmittit subitum non motis cornibus agmen.
Inmemores pugnae, nulloque pudore tenendi
Praecipites fecere palam, civilia bella
Non bene barbaricis umquam commissa catervis.
Ut primus sonipes transfixus pectora ferro
In caput effusi calcavit membra regentis,
Omnis eques cessit campis, glomerataque pubes

514 ytirei R, iurei T, soluti O, praeter m e corr.: soluto, **515** nusquam O, praeter U: numquam al. nusquam, **516** set PR, imminet VUMG, inminet AR, aether MAT, ęter
u
u, aer PR c. rell., **517** sceleris omnes noti libri, set PR, nillo M, *In verss.* 518—537 *primae litterae desunt in PR*, **518** macula PR, iaculant R, chalybom, *corr. in* -em PR, chalibem M, calibem VURG, extremum Tg, steti PR, cocium PR, **519** aether VUPRA, aer SMR, **521** cum OSR, *in* M *m. rec. adscripsit*: tum, laboret A *corr. in vulg.*, **522** signo.... ortes (lac. 4 litterarum) PR, **524** emittit AM (corr. in: emisit) G, emisit corr. in imisit ut vid. U, inmittit RV, cognibus PR, **525** regnae PR, inmemores UR, umore PR, tenendi U, timendi O vulgo, **528** pectora O, pc.tora PR, primum sonipes
i
O vulgo, primus c, **530** eques PR *etiam*, Hos. p. XVII, pubẹs a (*corr. ex* nubes *m.* 2) pubes Uvb, nubes PRVMARG.

514 *Soluto* ante Oudendorpium erat et tenuit Cortius; Bentleius: *sonante*, Burm. praeter hoc *secuti* divinat; *soluti* melius i. e. ordinibus solutis. singuli pugnantes.

516 Aether cf. 519; hyperbole a Lucano non aliena; cum eius ingenio apprime quoque convenit: inde (ex aethere) cadunt mortes, i. e. tela letalia. Cf. Gronovius ad Sen. Herc. Oet. v. 519.

517 Recepi emendationem Burm. Sceleris crimen ab hoc loco certe alienum. Heinsius „sceleris discrimina n."

521 *Cum* (*quum*) defendit Cortius, Bentl. et Burm.; recte Bersm. et reliqui *tum* ex MSS. rec.

[522 *Ciet* pro *tenet* Postgate.]

523 *Latus valli* Heinsio vix digna coniectura; *bellum* est acies; novis copiis, non mota acie, a latere incautos hostes invasit. Cf. 507 et Caesar BC. III. 92.

525 *Tenendi* recepit Burm.: „in vulgata (timendi) sensum non videns". Admodum contorta est interpretatio, qua *timendi* genetivus existimatur pendens a *pudore*, quasi *timoris*; Schol. V.: „qui <non> erubescebant timere ·/. nulla verecundia timoris". Paulo melius Weisius: non formidabiles ullo pudore, qui enim pudorem habet, is timendus fit fortitudine. Hoc quoque durum. Non eos cohibebat, *tenebat*, pudor.

528 Non *ut primum* ἐπεὶ τάχιστα, sed *ut primus* ἐπεὶ πρῶτος scripsisse videtur L. Cum a latere incurrissent Caesariani initium terroris barbaris fuit unus equus prostratus: ut primus equus calcavit membra regentis in caput effusi.

530 *Nubes* Hosius.

In sua conversis praeceps ruit agmina frenis.
Perdidit inde modum caedes, ac nulla secuta est
Pugna, sed hinc iugulis, hinc ferro bella geruntur,
Nec valet haec acies tantum prosternere quantum
Inde perire potest. Utinam, Pharsalia, campis
Sufficiat cruor iste tuis, quem barbara fundunt
Pectora, non alio mutentur sanguine fontes;
Hic numerus totos tibi vestiat ossibus agros!
Aut si Romano conpleri sanguine mavis,
Istis parce precor: vivant Galataeque Syrique,
Cappadoces Gallique, extremique orbis Hiberi,
Armenii, Cilices; nam post civilia bella
Hic populus Romanus erit. Semel ortus in omnis
It timor et fatis datus est pro Caesare cursus.
Ventum erat ad robur Magni mediasque catervas.
Quod totos errore vago perfuderat agros,
Constitit hic bellum, fortunaque Caesaris haesit.
Illic non regum auxiliis collecta iuventus
Bella gerit ferrumque manus movere rogatae:
Ille locus fratres habuit, locus ille parentes;
Hic furor, hic rabies, hic sunt tua crimina, Caesar.
Hanc fuge, mens, belli partem tenebrisque relinque,
Nullaque tantorum discat me vate malorum,
Quam multum bellis liceat civilibus, aetas.
A, potius pereant lacrimae pereantque querellae;

532 secutas t P^R, **533** hic (n supra c) ferro M, fereque T, **535** parsallia m (2ª m) parsalia perpetuo M, **536** sufficiat O (P^R deest), cruor ipse M, tuus T, fundunt P^R c. reliquis praeter AU: fundent, **537** desinit P^R, fontes OP^R, **538** totus A, **539** complere M_1, **540** isti a, **541** *additus post rell.* 1 *m* A, **543** omnis A, **545** vent . um M, robor U_1, **548** re*gum* M, regnum B_1, non illic AG, non hic B_1, **549** togatae meR (corr. in vulg.), **550** ille habuit l. Acro C. I. 35.34, **551** hinc sunt V, carmina B, **552** hac (n s. s. 2 m.) M, hinc c, partem belli AG, relinquit u, **553** distat R, **554** liceat bellis MAVT, **555** a potius MAUR, ah E, ac BVgT hac G, querellac M_1.

535 *Inde* partitive: *ex illa* cf. Ter. Ad. 47: inde ego hunc maiorem adoptavi mihi; Ov. Met. VI. 645: ‚pars inde' Liv. II. 30.7, 41.1.

541 „Extremi orbis" genetivum statuit Bentl. ad Hor. C. I. 35.29, Burm. *extremi* nominativum existimat. Prius praeferendum.

543 „*Hi* populus Rom. *erunt*" Heins. Advv. p. 162 et Bentl. Miror consensum. I. q. hoc, quidquid est, erit P. R. V. 544 iung. *pro Caesare* cum *cursus*; Heins. Advv. p. 162 sine causa *ratus* est: fata diu retenta sunt, nunc impatientibus omnes habenae dantur.

549 *Rogatae* est conductae sive auxilia, ita negatio ad utrumque membrum pertinet; contra si *togatae* legendum esset, quod pauci tantum libri habent, nec optimi, posterius esset affirmativum, Grotius: *togatae*.

555 Absint potius lacrimae his debitae

Quidquid in hac acie gessisti, Roma, tacebo.
Hic Caesar, rabies populis stimulusque furorum,
Ne qua parte sui pereat scelus, agmina circum
It vagus atque animis ignis flagrantibus addit.
ɔ: Inspicit et gladios, qui toti sanguine manent,
ɔ: Qui niteant primo tantum mucrone cruenti,
. Quae presso tremat ense manus, quis languida tela,
. Quis contenta ferat, quis praestet bella iubenti,
. Quem pugnare iuvet, quis voltum cive peremto
. ɔ: Mutet; | obit latis proiecta cadavera campis:
ɔ: Volnera multorum totum fusura cruorum,
ɔ: . Opposita premit ipse manu. | Quacumque vagatur,

557 populi MAGBU, populis Vg, stimulisque E, furoris ABE, furorum RM, rell., **559** ignes animis MAVUG, *sequitur in U* 561 (*qui niteant* —) *tum* 560 (*conspicit*), **560** conspicit RV, ma*n*ent M, madent ABERT, madeant qui sang. toti U, **562** pressa B, prenso bT, **563** contempta A_1B, furenti GD, frem̄ti u, **564** iubet M_1(Stht), **567** ipsa AB(M_1Stht)E_1, quae . unque M.

Potius ingrati animi incurram suspitionem quam impietatis in patriam. Magis perspicuum esset *hac,* quod ex Argentina Weise, sed auctoritati parendum.

557 Maior probabilitas est litterae omissae quam additae, quocirca *populis* praefero, sed etiam maior sic concinnitas; *furorum* propter auctoritatem praeferendum: populis erat rabies stimulusque furorum. *Populis* utroque pertinet. Male Cortius, alii distinguunt post *populis.*

560—567 Locus perturbatus; v. 560, 561, 565 *obit* — 567 *manu* pertinent ad eventum pugnae, v. 562—565 *mutet* ad pugnam instantem. Posterior pars agit de ratione qua pugnatur, prior de modo, quo pugnatum sit; in hac (560 sqq.) ex condicione telorum dux iudicat de studio quo pugnatum sit, in altera (562 sqq.) inspicit pugnantes; diversa sunt momenta. Posterius tantummodo aptum: „Inspicere gladios", non facere potest quis in ardore pugnae sed aut instante pugna aut quiescente aliquamdiu; inspiciuntur cadavera (565) post pugnam, fit campo vacuo, hoste pulso, non inter pugnantes acies. Poeta in margine variavit, locumque imperfectum reliquit. Altera loci conformatio talis fere erat: 560 „inspicit et gladios (562) „qui toti sanguine manent, | „qui niteant primo tantum mucrone cru- „enti | (565) ... obit latis proiecta cadavera „campis, | volnera multorum totum fusura cruorem | opposita premit ipse manu". Altera tempori, quod describitur, quo etiamnunc pugnatur, sola apta continebat: „(559 ignis flagrantibus addit;) 562 quae presso tremat ense manus, quis languida tela, | quis contenta ferat, quis praestet bella iubenti, | quem pugnare iuvet, quis voltum cive peremto | mutet... Quacunque vagatur". Versus 560, sq. 565 sqq. portentosam crudelitatem Caesari adscribunt; dum festinat scribendo iam reliquis scriptis sese obtulerunt fortasse et statim in margine collocati coaluisse videntur cum reliquis, omissis aliquot verbis (e. g.) *mox et* ante *obit*, *contentis oculis spectat* ante *quacunque* aut simm.

562 *Presso* cf. IV. 106.

567 Nihil agit Cortius commendans *apposita*; medicina *apponitur* vulneri, ut ex eius exemplis plurimis apparet (cf. *adhibetur*), sed manus nocitura et pressura vulnus *opponitur.*

Ib. „Quacunque vagatur, (vagatur) veluti" Haskins explicat; ego *quacunque* indefinitum ferri posse puto pro *ubique*, ut *ubicunque* et alia relativa; *quacunque* = omni modo Verg. Ecl. 9. 14. Utique apodosis non sequitur v. 571 (vid. infra). Vidit Hask. *currus* (570) significare equos (gespan). Tres sunt comparationes: Bellona, Mavors Bistonas in bellum incitans, tertia Mavors in theomachia cum Pallade congressus. Nam Bistones nihil habent cum Pallade commune; Mars Palladem arcens a se non propellit Bistonas. Pro „*seu verbere*" vulgo *si*, sed prius necessarium puto, nec dubitavi recipere, ne elegantissimus locus statim legentes offenderet. *Seu* semel positum pro *vel si*: agitans, seu stimulet, Cf. Tibull. I. 6. 21,

Sanguineum veluti quatiens Bellona flagellum,
Bistonas aut Mavors agitans, seu verbere saevo
Palladia stimulet turbatos aegide currus.
[Nox ingens scelerum est, caedes oriuntur, et instar
Inmensae vocis gemitus, et pondere lapsi
Pectoris arma sonant, confractique ensibus enses.]
Ipse manu subicit gladios, ac tela ministrat,
Adversosque iubet ferro confundere voltus.
Promovet ipse acies, impellit terga suorum,
Verbere conversae cessantis excitat hastae.
In plebem vetat ire manus monstratque senatum.
Scit cruor imperii qui sit, quae viscera rerum,
Unde petat Romam, libertas ultima mundi
Quo steterit ferienda loco. Permixta secundo
Ordine nobilitas venerandaque corpora ferro
Urguentur; caedunt Lepidos, caeduntque Metellos,

568 quac. vel. U, flagello B_1, **569** agi.tans M, mavor sagittans M_1B_1 (maior B), si O vulgo, sic a, **571** sc. est M_1VUR, sc. et BEA, **572** voces M_1, **573** confractisque M_1, confrectique U_1, **574** subigit (corr. ex subicit) MaEVU (corr. ex: subicit) RTG, subegit AB, subicit vS, **575** adversoque E, contundere A (confundere a)UTGBE(MStht), confundere VM(Stht. m), **577** cessantis M (corr.: cessantes) EA, **579** quiscit ABT, regum a, **583** cedunt lep. caed. U.

II. 4.43, Prop. II. 26.29. Palladem oppositam Marti narrat Homerus in theomachia Il. XX. 69. „Verbere *torto*" Heins. Advv. p. 176 ex *toto* in Sixiano.

571—573 Versus optimi sed non huius loci; lege, si placet, noctem ominosam inter seditionem Germanicarum legionum a Germanico actam (Tac. Ann. I. 27, cf. I. 65) et intelleges, spero, ad calamitatem instantem pertinere: „nox parturiebat scelera, et caedes parantur, et fletus auditi tanquam immensae vocis et loricae (sua sponte) cum fremitu ceciderunt et enses ensibus fracti". Sed cum narratione reliqua non convenit nox, nec gemitus in proelio audiuntur, nec de caede iam facta et continuata in pugna recte dixeris caedes *oriuntur*. — Nihil mentione dignum editores; *scelerum est* praeferunt Oudend. et Bentl. construentes: „quacunque Caesar vagatur, nox est scelerum". Alii *et*. Neutrum aptum. Versus separati a corpore carminis postularent: „scelerum: caedes" rell. — Burm. pro *nox* dubitanter *fax*; Sulpitius et Hortensius ad contortas explicationes confugiunt. Cortius confert IV. 243, plane diversum. Iungendum est „ingens scelerum", non „nox scelerum". „Ingens rerum" habet Tacitus Hist. IV. 66.

574 *Subigit* est vestigium verae orthographiae *subicit*, confusae sunt G et C. *Subigit* omnes libros occupavit, sed vera lectio iam est apud Micyllum. Schol. Voss.: „si *subicit*, ministrat, si *subigit*, exacuit intellegimus, ut Vergilius [A. VII, 627]: subiguntque in cote secures". Sed hoc nostro loco improbandum, cum praesertim sequatur *ministrat*.

575 *Contundere* Hosius. *Confundere* etiamsi soli habeant Va, tamen cum omnibus paene editoribus probandum. Cf. supra 322 „voltus gladio *turbate* verendos" II. 192 „Marii confundere voltum" et multa alia apud Oudend. Scilicet Caesar metuebat ne adspectu maiestatis senatoriae milites sui turbarentur, infimi plerique ordinis homines, propterea *contundere* non opus erat, sed *confundere* sufficiebat; *feri faciem* monuerat. Fortasse homines imbelles Pompeianos sic maxime terreri opinabatur.

579 *Cruor* pro sanguine Seneca Troad. 899, Ov. Met. XV. 463. „Viscera *legum*" Gron. Diatr. Statiana p. 12 (41 H.), refutatus ab Handio, cf. Cic. Cat. I. 31: „venae visceraque rei publicae", Tusc. IV. 24. *Unde* a qua parte, *petat* vulnus letale infligat. Ipse poeta statim explicat.

Corvinosque simul, Torquataque nomina, rerum
Saepe duces, summosque hominum, te, Magne, remoto.
Illic plebeia contectus casside voltus,
Ignotusque hosti, quo ferrum, Brute, tenebas?
O decus imperii, spes o suprema senatus,
Extremum tanti generis per saecula nomen,
Ne rue per medios nimium temerarius hostis,
Nec tibi fatalis admoveris ante Philippos,
Thessalia periture tua. Nil proficis istic
Caesaris intentus iugulo: nondum adtigit arcem
Iuris et humanum columen, quo cuncta premuntur,
Egressus, meruit fatis tam nobile letum.
Vivat et ut Bruti procumbat victima, regnet.
Hic patriae perit omne decus; iacet aggere magno
Patricium campis commixta plebe cadaver.

584 rerum MABG, regum aM_1DRTVU, **586** caside M, **587** ignotoque M_1, quod OBE, **588** o spes R, spesque V, subrema M, **589** tangi B, **590** medias U, hostis AMU_1, **593** adtigit A, **594** humani U, columen OEBRT, reguntur mA_1BEU, **595** ingressus v, **596** procumbant A_1, procumbunt B, **597** agere M_1, **598** non mixta mAvRTG, commixta Mb(cū)VU cede u.

584 Post iteratas dubitationes Grotius cum Rutgersio *regum* probavit cum *duces* iungendum, ut distinguatur post nomina. *Nomen* pro persona dici quis nescit? ut „Serranus clarum nomen"; sed hoc sic demum simile esset nostro loco si „*Serranum* clarum nomen" legeretur, et sic paene omnia differunt, quae Bentleius larga manu suppeditat. Tum Pompeius unus et alius fortasse inde a saec. a. C. II *reges* sub imperio habuerunt, sed non Manlius nec alii Torquati. — Bentl. TOT TANTAQUE pro TORQUATAQUE; sed altera difficultas eo non tollitur, etiam quominus recipiam prohibet Ausonius, qui Lucanum imitatus Epist. XIX. 7 „et Caranum Pellaea dedit qui nomina regum" et Parent. XXII. 1 „o veteres, Calpurnia nomina, Frugi". Interim *rerum* recepi ex μ, et conicio DECUS pro DUCES („Torquataque nomina, rerum saepe decus summosque"). „Rerum salus" IV. 190. „Torquata nomina" i. q. et alii quorum tam celebria nomina quam Torquatorum: *Torquatus* sic usurpatur ut „*Iulium* sidus", „*Augusta* familia", „*Pompeium* theatrum", multa alia.

587 Pro *quod* Guyetus et Heins. *quo*, Burm. *quid*. Prius i. q. „quid voluit iste gladius?" (cf. Cic. pro Ligario) alterum: cur ferrum tenebas? = cur armatus eras? Mihi non dubium utrum praeferendum. Cf. Madv. Advv. II. 132 (*quo*).

591 „Admoveris *ense*" Heins. p. 145.

592 Tenendum Lucanum Philippos quoque in Thessalia collocasse. Cum „arcem iuris" (593) cf. I. 2 „iusque datum sceleri", nondum eo pervenerat, ut ius fingere posset ad libitum, ut iniuria, modo ab eo esset commissa, iusta haberetur. *Columen* forma tantum differt a *culmen*, vid. Carm. Fr. Arv. CXXVI. 2 et Henzen.

594 *Humani* Bentl. et Cortius et sic laudat Heins. p. 163: „arcem, | iuris et *humani* culmen, quo cuncta premuntur", sed *iuris humani culmen* non potest dici tyrannis, quae tamen verbis: „quo — *premuntur*" significatur, et *arcem* nude positum displicet. Nondum fastigium *attigerat* rerum humanarum, ut dominatu premeret (*premuntur*) cuncta. Ceterum quo altius escendet Caesar, eo magis meretur mortem manu Bruti, natura et fatis tyrannicidae. *Egressus* contra usum i. q. cum adscenderit, non: cum superaverit; constructio eadem quae verbi *escendere* et *evehi*. Sil. It. XVI. 372.

598 *Commixta* verum esse apparet ex *tamen* v. 599: inglorii iacuerunt, tamen Domitius eminuit. Hoc argumentum non

Mors tamen eminuit clarorum in strage virorum
Pugnacis Domiti, quem cladis fata per omnis
Ducebant. Nusquam Magni Fortuna sine illo
Succubuit, victus totiens a Caesare salva
Libertate perit. Tunc mille in volnera laetus
Labitur ac venia gaudet caruisse secunda.
Viderat in crasso versantem sanguine membra
Caesar, et increpitans: „Iam Magni deseris arma
Succentor, Domiti; sine te iam bella geruntur".
Dixerat, ast illi suffecit pectora pulsans
Spiritus in vocem, morientiaque ora resolvit:
„Non te funesta scelerum mercede potitum,
Sed dubium fati, Caesar, generoque minorem
Adspiciens, Stygias Magno duce liber ad umbras
Et securus eo; te saevo Marte subactum,
Pompeioque gravis poenas nobisque daturum,
Cum moriar, sperare licet". Non plura locutum

599 emicuit V, *s*/rage M, **600** pugnaces. a, **601** ullo B, **602** subcubuit U, victor a, **603** latus B_1, **604** lab. et U, **605** versantem AUMBGC, volventem VRTg, **607** omissum in calce pag. ponit m. 1 M, succensor Mv Schol., accensor G, *succensos* gladios sine U succentor Schol. reliqui: successor, **608** *illi* A, **611** dubio M_1, generique A_1B, **612** patrias BEuT var. lect. Schol., **613** et serus B_1, **614** duci poenas MVU, graves m (rec. m.), gravis AE, graciis B, **615** moriar A, dum u.

perpendit Hosius l. l. p. 348 *non mixta* commendans. De Domitio cf. ad II. 479 et supra 220; ubique *pugnax* dicitur.

602 *Totiens*, bis tantum, Corfinii et pugna Pharsalica, sed hoc magnificum Domitio, quo saepius victus erat eo maior laus erat quod non succubuerat. Quae praecedunt „nusquam — succubuit" fidem erga Pompeium ostendere debent. Olim ad Corfinium missus a Caesare; inde „venia secunda" 604. „Salva libertate" (602) hunc periisse dicit, nempe Lucano qui Pompeio parent, liberi, qui Caesari, tyranni servi sunt, inde „Magno duce liber ad umbras" it (612). Domitiis, unde prognatus Nero, assentatur. Teste Caesare non in acie, sed post proelium in montibus Domitius ab equitibus confectus. Bene fictum a poeta et ex ingenio veteris epici carminis.

607 Vulgo *successor*. Schol. Voss.: „*succentor* i. e. fautor vel successor. Vel *succensor* legitur, quia eum instigabat ad bellum". *Succentor* emendaverat Heins. ad Gronovium Syll. Epist. III. p. 461 laudans Papiam: „Succentor est qui subsequenter canendo [tanquam secundarum partium] respondet". Vid. Hor. Epist. I. 17, 48; cf. Pers. III. 20, Petron. 69, Varro RR. I. 2. 16: „(agricultura) succinit pastorali (vitae), quod est inferior, ut tibia sinistra dextrae". „Succentor Magni" i. q. assecla et assentator. Bentleius contra „successor" defendit, ut sit Caesaris successor Domitius, cui re vera successor assignatus erat in Gallia Caes. Civ. I. 6, App. Civ. II. 74; distinguit Bentl. post *arma*, sic *mi* ante *successor* est supplendum. Sed praeter Schol. Voss. favent Heinsio MvU; *successor* non corruptum esset, tritum vocabulum. *Magni* supplendum est ad *succentor*. Cum acerba ironia loci *succentor* optime convenit.

Ib. *Gerentur* Heins.

612 *Patrias* Heins. Advv. p. 163 probat. *Stygias*, quod paene omnes, sententiae aeque aptum.

615 „(Cum) moriar" coniunctivus est, futurum enim non aptum. *Cum morior* Weis. tamen *cum* temporale cum indicativo de una actione usurpatum Lucano rarum et fortasse *dum morior* scripsit. Manifesto temporalis est sententia: nunc etiam, hoc momento, dum Pompeius victus non est, licet sperare.

Vita fugit, densaeque oculos vertere tenebrae.
  Inpendisse pudet lacrimas in funere mundi
Mortibus innumeris ac singula fata sequentem
Quaerere, letiferum per cuius viscera volnus
Exierit, quis fusa solo vitalia calcet,
Ore quis adverso demissum faucibus ensem
Expulerit moriens anima, quis corruat ictus,
Quis steterit, dum membra cadunt, quis pectore tela
Transmittat, vel quos campis adfixerit hasta,
Quis cruor emissus perruperit aera venis
Inque hostis cadat arma sui, quis pectora fratris
Caedat et ut notum possit spoliare cadaver,
Abscisum longe mittat caput, ora parentis
Quis laceret nimiaque probet spectantibus ira,
Quem iugulat, non esse patrem. Mors nulla querella
Digna sua est nullosque hominum lugere vacamus.
Non istas habuit pugnae Pharsalia partes,

616 vertere O, p̄ssere m (rec. m) gd, **620** exierat G (-rit g), **621** demisso — ense M dimissum RCB demissu — ense A, demissū E, demissum VU, ense b, ensem BVUG, ense C, **622** animam O vulgo, animae G (-mam g), anima U, ictus ME_1U, ictu ABVG, **623** qui stet MVUGT (quis g), steterint G, cadant u, quis pectora B, **624** transmittant a, aut quos AC, **625** emissis A (emissus a) M(Stht) VUGCTR, **626** in quae G, **627** nudum R, **628** abcisum U, **630** querella M_1, **631** vocamus C, iuvamur D, **632** farsalia A.

616 Plerique editores *pressere* ex antiquis editt. tenuerunt, falsa opinione de codd. lectione inducti. *Vertere* Cortius in 1ª ed., Heitland Class. Rev. 1895 p. 106. *Vertere* i. q. mutare Cf. etiam Verg. A. VIII. 437 „in pectore divae | Gorgona, desecto vertentem lumina collo". *Versere* Heins. a *vergere* p. 163. *Mersere* alii.

617 „In funere mundi" i. e. imperii Rom. Cf. II. 253, infra 660.

620 „Vitalia calcet" cf. IV. 566.

621 „Demissum — ensem | *expuerit mordens* animam" Heins. l. l. p. 163. Gronovius teste Cortio (in 1ª ed. „vir doctus"): „demissum — ensem | *exspuerit* moriens: *uno* quis corruat ictu". Hosius J. J. l. l. p. 348, sq.: „demissum f. ensem | expulerit moriens, animam quis corruat". „Vulneratus *aliquis* expellens telum" insolens; sed *cruor, sanguis* erumpens expellere telum saepe dicuntur, ut exempla ab ipso Hosio allata docent. His missis supersunt Grotii et Bentleii lectiones; Grotius: „*demisso* faucibus *ense* | expulerit moriens animam" sed „demisso (alte in fauces immisso) ense expellere animam" cogitari non potest nisi simul expulso ense; „*demissum — ensem*" autem habuisse μ (contra M) ex corruptela *demissu* (*demissū*) in ABE liquet; Bentleius: „*demissum* — ensem | expulerit moriens *anima*", quem secutus sum, a libris non recedens, nisi quod *anima* in uno tantum est U. Et sic Cortius.

623 „Dum membra cadunt" cf. III. 667. „Quis — transmittat", usus loquendi, quo haec dicuntur pro „quis *habeat transmissa* pectora telis" non videtur perspectus, unde Gronov. *quîs* pectora *tela transmittant*" alii alia.

625 *Incisis* Oudend. conicit, (*quis* est pro *quibus*) quod ablativum habent libri; sed *emissis* oscitatione librariorum accommodatum est vocabulo venis. [„E scissis" Postgate].

631 „Nullosque hominum lugere vacamus" i. q. non vacamus ullos homines lugere, ne ullum quidem hominum lugere

Quas aliae clades: illic per fata virorum,
Per populos hic Roma perit, quod militis illic,
Mors hic gentis erat; sanguis ibi fluxit Achaeus,
Ponticus, Assyrius, cunctos haerere cruores
Romanus campisque vetat consistere torrens.
Maius ab hac acie, quam quod sua saecula ferrent,
Volnus habent populi, plus est quam vita salusque,
Quod perit: in totum mundi prosternimur aevom;
Vincitur his gladiis omnis, quae serviat, aetas.
Proxima quid soboles, aut quid meruere nepotes
In regnum nasci? Pavidi num gessimus arma,
Teximus aut iugulos? Alieni poena timoris
In nostra cervice sedet; post proelia natis
Si dominum, Fortuna, dabas, et bella dedisses.
  Iam Magnus transisse deos Romanaque fata
Senserat infelix, tota vix clade coactus

633 quas aliae clades l. Serv. A. VII. 717 *Aliae pro nom. propr. habens,* CS, quos A (quas a), **634** quot ABu, quod aG, milites M_1, **635** ubi ABEgT(ibi a), **636** cruoris M (cruores m), **639** plus — perit (640) l. Prisc. II. 338.10 H, habet T, **640** periit Prisc., prosternimus U_1 -tur T, toto..mundi M, toto E_1, aevo M, **641** vincitur OBE hic T, serviat ABEVT, serviet UvM, **643** regno G, pavide MBVRG, pavidae A (pavidi a), pavidi EUT, nnnc R, **645** vertice B, nati a, **647** magno U, transire U (transisse m. rec. marg.), **648** vix tota VU.

633 Peerlkampius ad Verg. Aen. vol. II p. 68. b hunc versum memorans „si, inquit, inepta illa particula sit Lucani". Sane illa „non istas partes — *quas aliae clades*" habent iuncturam prosariam et languent, sed sententia non est Lucano indigna. Nos diceremus: had niet die afmetingen. *Partes* pro eo quod nos „verhoudingen" saepius ut in: „multis partibus maius" (vielmal so gross). „Pharsalicum bellum non habuit istas pugnae proportiones, quas alia" quisque intellegeret. „Illic per fata virorum" (singulorum) res conficitur, hic per populos i. e. per fata populorum — et iam pro generali sententia „victoria paratur" ponitur altera praesenti tempori accommodata — „Roma perit".

634 „*Quae* militis illic, mors hic gentis erat", pro vulgari *quod* Heins. Melius *quod*, cum significetur: tantum poterat, tantum valuit (non: talis erat mors, qualis).

636 Supple: „cunctos haerere cruores Romanus (cruor) vetat et campis (eos) consistere". Tanto plus Romani sanguinis fusum erat quam *cunctarum* aliarum gentium; sine causa *iunctos* Heins.

641 Heitland l. l. *serviet* defendit vertens: all the generations *doomed to slavery*, are being conquered. Vincuntur potius *ut* serviant in posterum, non: servituti addicti antea, nunc vincuntur. Victoria ita grave aliquid effecit. *Vincimur* cum deterioribus sine causa Heins. l. l. p. 164.

643 Praetuli lectionem codicis U *pavidi*, non facile pro *pavide* substitutum, eoque praeferendum quod latet pavidos fuisse aliquos (num *nos* pavidi fuimus?). Paulo post „*alieni* poena timoris". — Heins. et Burm. coniciunt non memoranda.

646 Haec ex animi sententia dicta sunt a poeta ad suam aetatem respiciente: si (quod factum est) nobis post Pharsaliam natis servitutem parabas, quidni nobis bella dedisti, ut certe pro libertate periclitaremur?

647 „Transisse" ad Caesarem. *Transire* praeferendum esset, si maior esset eius auctoritas, ut alacrius in re praesente ob oculos posita. Vid. Verg. A. II. 622: „apparent dirae facies inimicaque Troiae | numina".

Fortunam damnare suam. Stetit aggere campi
Eminus, unde omnis sparsas per Thessala rura
Adspiceret clades, quae bello obstante latebant.
Tot telis sua fata peti, tot corpora fusa,
Ac se tam multo pereuntem sanguine vidit.
Nec, sic ut mos est miseris, trahere omnia secum
Mersa iuvat, gentesque suae miscere ruinae:
Ut Latiae post se vivat pars maxima turbae,
Sustinuit dignos etiamnunc credere votis
Caelicolas, volvitque sui solacia casus:
„Parcite, ait, superi, cunctas prosternere gentes:
Stante potest mundo Romaque superstite Magnus
Esse miser; si plura iuvant mea volnera, coniunx
Est mihi, sunt nati, dedimus tot pignora fatis.
Civiline parum est bello si meque meosque
Obruis? exiguae clades sumus orbe remoto?
Omnia quid laceras, quid perdere cuncta laboras?
Iam nihil est, Fortuna, meum”. Sic fatur et arma
Signaque et adflictas omni iam parte catervas

650 omnis AM, **651** adspiceres M (s *in* t *mut.* m. rec.) aspiceret A, **652** fussa A, **653** videt M, **655** gentisque A, **656** posse U_1, **657** etiam num R, reddere C, **658** volvitque MAVU, novit v, solatia A, **659** parcite iam A (ait a *marg.*) BE, **664** obruit (corr: obruet) MGVU, obruet ABETg, obruit *vulgo*, **667** morte R.

649 „Fortunam damnare suam” i. q. credere fortunam non sibi favere, semper speraverat. Proximo versu Heins. „unde procul” sine auctore.

651 „Bello *stante*” inepte Markl. ad Stat. Silv. III. 3. 87, sine causa Cortius „bello quae obst.” *Bellum* i. q. bellantes cf. II. 712, VII. 507, al. Ad elisionem comparo „admoto occurrere” IV. 480. Omnino etiam ante longas rarae sunt longarum elisiones, veluti in III° et IV° libro 11 elisiones tales, et pleraeque (9) ante praepositiones (sive simplices sive compositas) et *est*.

657 *Etiamnunc* pro *etiamtunc*, quo Lucanus non videtur usus esse. *Nunc* a propria significatione deflexum per compositionem cum *etiam* ὑφ’ ἕν scribendum, cf. V. 248.

658 *Fovitque* Heins. l. l. p. 164. Hoc de re, quam quis meditatur et aliquamdiu praeparat aptum (Verg. e. g. „iam tum tenditque fovetque”, Aus. Parent. IV. 2.7 „solacia longa fovere”) non hoc loco. *Movit* Burm., *voluit* Cort., sane hoc *uoluit* non differt a *volvit*, sed languidum. — Volvit solacia, nempe aliis qui sua ruina trahebantur, quaerebat lenimen.

[659 „Parcite iam” Postgate].

660 Si petitis meam perniciem, voti compotes esse potestis stante imperio Romano („*mundo*”), meam cladem nolo in cives conferre.

662 „Tot vades infortunii mei fatis dedi, obtuli, per quos me peterent”. *Demus* Heins., sed provocat ad factum *dedimus* non ad voluntatem.

664 *Obruis* (Sulpitius), etsi praecedunt pluralia: *superi* et *fata*, tamen in concitata oratione (sc. Fortuna) egregie aptum. Vulgata a nexu aliena est. Non expostulat cum bello, quod ante *obruit* subiectum esset, et sequuntur *laceras, laboras* in singulari numero. *Obruet* Grotius. „Orbe remoto”: sine orbe, cf. 585.

666 „Nihil mihi vindico, omnia sint tua; illorum excidio non me punis”.

667 „Omni iam *morte*” Heins.

Circuit, et revocat matura in fata ruentes,
Seque negat tanti. Nec deerat robur in ensis
Ire duci iuguloque pati vel pectore letum,
Sed timuit, strato miles ne corpore Magni
Non fugeret, supraque ducem procumberet orbis,
Caesaris aut oculis voluit subducere mortem.
Nequiquam. Infelix, socero spectare volenti
Praestandum est ubicumque caput. Sed tu quoque, coniunx,
Causa fugae, voltusque tui, fatisque negatum
Te praesente mori. Tunc Magnum concitus aufert
A bello sonipes, non tergo tela paventem,
Ingentisque animos extrema in fata ferentem,
Non gemitus, non fletus erat salvaque verendus
Maiestate dolor, qualem te, Magne, decebat
Romanis praestare malis. Non inpare voltu
Adspicis Emathiam; nec te videre superbum
Prospera bellorum, nec fractum adversa videbunt,
Quamque fuit laeto per tres infida triumphos,

668 circumit A, **669** ne B, derat M (e s. s.) A (e s. s. m. 2), robor U, **670** vl G (*pro* vel), vult g, **671** aut tim. G (sed g), nec T, pectore T, **672** consurgeret orbis T, **673** subdere T, **674** nequiquam AE(e corr.)BMVU, socero...... M, volventi B, volente G, **676** fatisque negatum ORT, probatum est D, **682** praestare tuis G, **683** ne T, **684** ne T, stratum D, **685** Quamque — minor (686) l. Prisc. 302.1 H, lato E (ex corr.).

672 *Orbus* eleganter Waddelius, Anim. Crit. p. 147. Sed *orbis* i. q. mundus, quod pro imperio Rom. alibi positum h. l. pro exercitu i. e. populo Rom. dicitur. Et cf. 664.

675 „*Seu* tu quoque" Sulpitius.

676 Errorem suum „te absente" coniciendo factum redemit Cortius bona explicatione. Intellege: „et desiderium moriendi te praesente, recusatum fatis". Scilicet „fatis negatum" ex memoria sua addit Lucanus, magis intentus misericordiae quam perspicuitati. Quemadmodum *voltusque tui* dicuntur pro „desiderium voltus tui", sic *te praesente mori*. Negatum erat Pompeio mori coram Cornelia, quae aberat in navi retenta. Non probabilia conamina: Sulpitii „fatisque *probatum*", Grotii *f. rogatum*, Burm. *paratum*.

678 „Haec satis male conveniunt cum VIII. 5, sqq. (ubi Pompeium fugientem quasi omnes terrent aurae)" BROUKHUSIUS. Guyetus proscribit 678—727 („se nescit amari"). Utroque loco L. posuit id quod ratio poetica postulabat. Non potuit h. l. fugacem et timidum fingere Pompeium. Libro VIII P. fractus est malis. „Ingentes animos" i. e. magnum animum etiam is habere potest, qui officio obsecutus in tempus cedit. „Aequanimitatem" quam Seneca saepius celebrat et Horatius „aequam mentem" („a. memento rebus in arduis | servare mentem") appellat, ei per verba „non inpare voltu" adscribit (682). Prudenter Weberus II. p. 601.

685 Iure Guyetus: „qui infida in prosperis?" Sed missis his verbis „per — triumphos" reliqua sunt perspicua. „Tam impar ei (*minor eo*) in re adversa (*misero*) tunc Fortuna, quam in re prospera olim fuerat (*laeto*)". Non succumbebat Fortunae, quae tam elatum et superbum in re prospera quam humilem et demissum in re adversa facere aliquem studet. Verba *per — triumphos* sic defenduntur ut *infida* sit epitheton ornans (cf. Haskins, Cortius); sed ordo verborum ostendit iungenda esse *infida* et *per tres triumphos*, ut vidit Guyetus. Sic legendum et distinguendum puto: quamque fuit laeto, per tres INFIRMA trium-

Tam misero Fortuna minor. Iam pondere fati
Deposito securus abis, nunc tempora laeta
Respexisse vacat; spes numquam inplenda recessit,
Quid fueris, nunc scire licet. Fuge proelia dira,
Ac testare deos nullum, qui perstet in armis,
Iam tibi, Magne, mori: ceu flebilis Africa damnis,
Et ceu Munda nocens, Pharioque a gurgite clades,
Sic et Thessalicae post te pars maxima pugnae.
Non iam Pompeii nomen populare per orbem,
Nec studium belli; sed par, quod semper habemus,
Libertas et Caesar erunt; teque inde fugato
Ostendit moriens, sibi se pugnasse, senatus.
Nonne iuvat pulsum bellis cessisse, nec istud
Perspectasse nefas: spumantis caede catervas?
Respice turbatos incursu sanguinis amnes,

686 fatim AB, **687** ab*is* M, abit U, **689** non scire D, **690** perstat MEG, prestat ABTD, **693** *thessalicae* V, phars M_1, *te pars* V, turbae (corr. in vulg.)Vg, **694** pompei codd. vulgo, **696** erit MabE(e corr.), **697** ostendit MUBAEG, ostendet Vg, pugnare Comm. VII. 699, [se] B, **698** gessisse a, istuc G, **699** perspectasse VUMABE, perspectare R, perspexisse G, pugnantes M_1.

phos, | tam misero Fortuna minor". Fortuna eum per tres triumphos subiugare non valuit. Heins. teste Burm.: *lato post tres* Burm.

688 „Spes numquam implenda recessit" sc. de te; proiecisti spem non explebilem (gerundiva cum negatione adiectivis in *-bilis* saepe respondent) ambitione vacuus es et metu (686) fati, quo iam defunctus es, te premente (*pondere*).

691 Qui post tuum discessum apud Pharsalum caesi sunt, habent, quod sibi imputent. Haec sententia est quae v. 691—693 ampliatur. Solum *nocens* est praedicatum ad nomina *Africa, Munda, clades. Post te* supple *avectum* i. e. post tuum discessum, usu Lucaneo cf. ad VI. 145. Reliquum bellum non pro Pompeio gestum, sed eo invito. Significat proelium ad Thapsum (*Africa*) et ad Mundam de quibus, quod cives multi ceciderant, non est triumphatum (Flor. II. 13, IV. 2. 89 D) et bellum contra Ptolemaeum, cum depulsus e Pharo Caesar classem suam nando attigit (Flor. II 13, IV. 2.59 D), et sine dubio aliquot Pompeiani cum Ptolemaeo caesi. Caes. Civ. III. 110. Waddelius: „*Varique* a gurgite", acute; sed „*Varium gurgitem*" a naufragio Varii et Didii (Flor. IV. 2. 75 D) mare Hispaniense dictum non esse et cladem leve momentum habuisse ostendit Burm. *E gurgite* Burm. Magis offendit *et ceu*, ubi *et* ante alterum *ceu* vitiosum; an quis ferat: *sive — et sive*. Conicio scriptum exstitisse: SIVE EST et *ceu* interpretamentum alteram coniunctionem pepulisse. Non bimembris est oratio (*ceu — sive*) sed protasis *μονόκωλος* „ceu Africa est nocens" ampliatur per *sive*, ad quod suppletur cogitando *ceu*.

695 Cum gladiatorum pari Caesarem et Pompeium comparans (cf. VI. 5) dicit iam studium belli cessasse una parte sublata; iam aliud par successisse: conflictabuntur Caesar et Libertas idque in perpetuum, ludens in nomine *Caesar* i. q. Imperator.

697 Non parum exaggerat, nam non amplius decem senatores ceciderunt (App. Civ. II. 82). Senatus cum pergeret pugnare post fugam Pompeii, ostendit se sua causa non propter Pompeium pugnasse, quare eius caedem non oportet Pompeio imputare. *Inde* a senatu, a loco quo senatus erat.

698 „Nonne iuvat" non ut saepe post *iuvat*, *cessisse* ad praesens factum pertinet: *cessisse* est verum perfectum („non delectat te, quod cessisti?").

699 *Prospectare* ante Oudendorpium, *perspectare* Burm., *prospectasse* Cort.

Et soceri miserere tui. Quo pectore Romam
Intrabit factus campis felicior istis?
Quidquid in ignotis solus regionibus exul,
Quidquid sub Phario positus patiere tyranno,
Crede deis, longo fatorum crede favori:
Vincere peius erat. Prohibe lamenta sonare,
Flere veta populos; lacrimas luctusque remitte.
Tam mala Pompeii, quam prospera mundus adoret.
Adspice securus voltu non supplice reges,
Adspice possessas urbes, donataque regna,
Aegyptum Libyamque, et terras elige morti.
  Vidit prima tuae testis Larisa ruinae
Nobile, nec victum fatis caput. Omnibus illa
Civibus effudit totas per maenia vires
Obvia, ceu laeto; praemittunt munera flentes,
Pandunt templa, domos, socios se cladibus optant.
Scilicet inmenso superest ex nomine multum,
Teque minor solo, cunctas inpellere gentes
Rursus in arma potes rursusque in fata redire.
Sed „quid opus victo populis aut urbibus? inquit:

701 quod a, **702** intravit M_1ABE, intrabit e cum rell., **703** *versus post* 704 *positus in V*, **707** luctus lacrimasque V, **709** securos V, **711** aegypton UG, mortis U, **712** larissa EVUB, **715** omnia ceu au (obvia U), promittunt aGRT, **719** potest M (s add. e corr.) B_1R.

704 *Posthac* pro *positus.* Heins. Non quaerendum est, num haec cum historiae fide conveniant, loquitur enim L. de iis quae fortasse aliquando imminerent. „Positus sub tyranno" i. q. suppositus t., poet. pro *subiectus.* Pers. V. 36 „me tibi supposui" et aliquoties ap. Ovid. A *crede* apodosis incipit, eius obiectum est sententia: „vincere peius erat" quasi: „per deos et fata semper tibi propitia: peius esset si vicisses".

706 „Lamenta" obiectum statuit Haskins. Cf. Cons. ad Liv. 108: „questus sonantur".

707 „Flere veta, *populo* lacrimas — remitto", Heins. teste Burm., credo propter pluralem *populos.* V. 710 idem „concessas" sine causa; *possessas* a regibus tuo beneficio. „Terras elige morti", ubique ploraberis. Tam mirum consilium importunae philosophiae non dedisset, si Pompeius non in Aegypto esset interfectus. Si mors erat sola nobilis exitus, potuisset etiam in acie occumbere Pompeius.

713 sq. Pro *civibus* Schraderus *aedibus*, pro *vires,* quod vix credibile, *turres* Heins. teste Burm., ipse pro *obvia* (715) *omnia* substituit. „Omnibus civibus" iungendum est cum *obvia*; = cum omnibus civibus; „totas per maenia vires" i. q. quidquid tota urbe subsidiorum erat. Non distinguendum post *vires*, ut solebat, quae Schradero causa fuit correctionis speciosae; frustra haec studet Cortius conciliare cum Caesare, Civ. III. 96.

715 „Promittunt nomina" Bentl. *Promittere nomen* pro dare nomen vix ferri posset et non est necessarium.

718 „Teque minor solo" a nullo homine victus, nisi a te ipso. Pompeius nunc semidoctus evasit; non victus est a Caesare, quoniam se non victum sentit quasi sapiens Stoicus, sed se ipsum i. e. cupiditatem imperii, vicit.

Victori praestate fidem." Tu, Caesar, in alto
Caedis adhuc cumulo patriae per viscera vadis,
At tibi iam populos donat gener. Avehit inde
Pompeium sonipes, gemitus lacrimaeque secuntur
Plurimaque in saevos populi convitia divos.
Nunc tibi vera fides quaesiti, Magne, favoris
Contigit, ac fructus. Felix se nescit amari.
  Caesar ut Hesperio vidit satis arva natare
Sanguine, parcendum ferro manibusque suorum
Iam ratus, ut vilis animas perituraque frustra
Agmina, permisit vitae. Sed castra fugatos
Ne revocent pellatque quies nocturna pavorem,
Protinus hostili statuit succedere vallo,
Dum fortuna calet, dum conficit omnia terror,
Non veritus, grave ne fessis aut Marte subactis
Hoc foret imperium. Non magno hortamine miles
In praedam ducendus erat: „Victoria nobis
Plena, viri, dixit, superest pro sanguine merces,
Quam monstrare meum est, neque enim donare vocabo,
Quod sibi quisque dabit. Cunctis en plena metallis
Castra patent, raptum Hesperiis e gentibus aurum
Hic iacet, eoasque premunt tentoria gazas.
Tot regum fortuna simul Magnique coacta

722 tumulo GD, **724** secuntur MUR, **725** *omissum in calce pag. supplevit m.* 2 *add. signa* ·/. *M*, convitia MAVURT, **726** tibi magna U, quaesiti vera U, **727** sensescit E, ama..ri M, **732** pavore B_1, **734** continet V (conficit v), contegit g, conspicit var. lect. Schol., **735** aut marte MUGTBE, ac VA, **738** superest — meum est (739) l. Lactant. Theb. X. 35, nec sang. G, **739** neque MAU, nec BEV, vocabo (add. m. 2) MAev, vacabo BEVURGT, **742** iacent E.

721 „Victori praestate fidem". Non ornat tanta liberalitas, contra prodit P. causam libertatis. Sed speciem magni animi et generosi conciliat L. heroi suo v. 723. Difficile erat Pompeium etiamtunc laudare.

725 Cur librarius Montepessulani versum omiserit non statim apparet, sed perperam fecit. Versus omnino non potest omitti, eo enim expletur superior, in quo *populi* nomen reticetur, et convenit cum ingenio Lucani semper diis maledicentis.

726 Nunc apparet verum esse favorem populi erga te.

727 „Felix", rell. felix non certo scit se amari, expositus est assentationi.

728 „*Arma* natare" (cf. 560) Reg. pr. Oudendorpii et „plures" apud Burm.

732 „Pavorem" hostium qui fortasse quiete castrorum vires erant reparaturi. „Pavores" temere Cort.

735 „*In* marte *subactos*" Bentl. quia *Marte subacti* vulgo victi dicantur. H. l. i. q. confectis labore proelii. Iuxta posita dubium eximunt. Cortius tamen „ut Marte subiectis", Oudend.: „ne fessis *a* Marte *peracto*" vel *subacto* [Postgate *peractis*, quod significet *exhaustis*].

740 *Fulvis* pro *cunctis* Heins. [*Rutilis* commendat Postgate].

Expectat dominos, propera praecedere, miles,
Quos sequeris, quascumque tuas Pharsalia fecit,
A victis rapiuntur opes.'' Sic milite iusso
[Inpulit amentis aurique cupidine caecos.]
Ire super gladios supraque cadavera patrum,
Et caesos calcare duces, quae fossa, quis agger
Sustineat pretium belli scelerumque petentis?
Scire ruunt, quanta fuerint mercede nocentes.
ɔ: Invenere quidem spoliato plurima mundo
ɔ: Bellorum in sumptus congestae pondera massae:
ɔ: Sed non inplevit cupientis omnia mentis.
. Quidquid fodit Iber, quidquid Tagus expuit auri,

746 rapiantur VG, rapiuntur URMABE, opes sic milite iusso Ma(*bis s. s. m.* 1*? et marg.*,)GC, nec plura locutus AVUB, **747** *in marg. m.* 2 *M, add.* 2 *m. VU* deest RCK, amentis A, **749** cecos T, **750** petentis s. s. e M, potentes E, **751** ruunt MaUSchol.Voss., volunt mABEVuG, **753** pondere M_1, **754** inplebit M, implerunt D, mentis s. s. e M, **755** expulit VG, extulit MaU, expuit EABT, asti B_1.

744 „Propera", rell. Fugitivos de exercitu Pompeiano, quos insequeris, praevertere studete.

746 *Rapiantur* exstitit ex *raptantur*, pro *rapiuntur*, ut videtur, substituto; sine causa *rapiantur* Weise.

746—748 Duae conformationes (redactiones hodie dicunt) huius loci fuerunt; altera habebat omisso vs. 747: „sic milite iusso | ire super gladios superque cadavera patrum | — — quae fossa", rell., altera: „nec plura locutus | inpulit amentis", rell. In posteriore minus aptum „nec *plura*" quasi non multa verba fecerit, tum post „nec plura *locutus*" expectamus *factum* aliquod. Praeferenda prior etiam quod concinnius apodosis incipit a *quae fossa*, et haec causa esse potuit Lucano mutandi locum. Certe librarii captum correctio superat. *Sic mil. iusso* Bentl. Cortius, Hos.

748 „Super capulos" Heins. „Super galeas" Schraderus, Burm. Certe „gladios calcare" amentis est, nisi vero totum solum gladiis tectum est. Sed cur super galeas potius quam super loricas et arma omnino? Denique cur: „SUPER gladios" et „SUPRA cadavera"? Priorem versus partem corruptam puto. Intellegerem: „*vadere per* gladios", rell. Cf. Caes. Civ. III. 96. 3.

751 „Scire volant" coni. Weise probante Hask. *Volunt* ante Oud. qui monente Heins. ad Claud. de Raptu III. 386 et ad Sil. I. 170 (loco dubio) et Advv. p. 164 *ruunt* recepit. „Animare ad crimina laxos | torva Megaera ruit" Claud. l. l. Pleraque apud Joh. Schmidt l. l. p. 74 sunt controversa propter incertas lectiones, nam ipsa res minime incredibilis. Compara „certant evellere", alia.

752 „Spoliato mundo" iungendum cum *congestae*; cohaerent verba; „invenere plurima pondera massae spoliato mundo congestae in sumptus bellorum". Hoc intricatum. Praeterea pugnant cum III. 154—168, ubi Caesar narratur rapuisse quidquid undique advectum in aerario latebat. Per se etiam improbabile est massam auri ex aerario sanctiore etiamtum in castris fuisse, cum iam plurima per duos paene annos in bellum erogata essent. *Inplevit* subiectum habet *massa*. *Inplebit* (M) praecedente perfecto *invenere* ferri non potest; *implerunt* (de quo multa Burm.) est deteriorum. Heins. Advv. p. 136 sublata distinctione post *mentes* praeterea legit *capientes*. Neutrum probandum. Inde a *quidquid* nova periodus incipit, cuius apodosis est 757: „parvo — putabunt". Ergo prioris sententiae exitum habemus hunc: „sed non inplevit cupientis omnia mentis" elumbem et languidum. Accedit quod omissis his versibus 752—754 futurum *putabunt* 757 rectius se habet, et quod *spoliato mundo* sic posita sunt quasi de actu paulo ante perpetrato agatur. Quae cum accedant ad argumenta supra exposita, hos versus reiectos a poeta ipso puto eorumque loco substitutos 755—757.

755 *Expuit* i. e. in mare devehit. Apte Oudend. confert Senecam Thyest. 352: „non quidquid fodit occidens, | aut unda Tagus aurea | claro devehit alveo", Hosius p. XV: Claud. I. 48 „fluvios superabit Iberos | aurea

. Quodque legit dives summis Arimaspus arenis
. Ut rapiant, parvo scelus hoc venisse putabunt.
Cum sibi Tarpeias victor desponderit arces,
[Cum spe Romanae promiserit omnia praedae,]
Decipitur, quod castra rapit. Capit inpia plebes
Caespite patricio somnos, stratumque cubile
Regibus infandus miles premit, inque parentum,
Inque toris fratrum posuerunt membra nocentes,
Quos agitat vesana quies, somnisque fruentes
Thessalicam miseri versant in pectore pugnam.
Invigilat cunctis saevom scelus, armaque tota
Mente agitant, capuloque manus absente moventur.
Ingemuisse putem campos terramque, nocentis
Inspirasse animas, infectumque aera totum
Manibus et superam Stygia formidine noctem.

756 quodque ABMD, quod[que] VU, **757** putabantA(putabunta)VrgC, putabunt (corr. in – bant) UR, rell., **758** disponderit AE, **760** castra [rapit] B_1, cadit B, plebis A_1, **761** stratumque VU, *stratum*que M, vacuumque AEm, caecumque B, caesumque GR, cassumque g, **764** somnique furentes O vulgo, **765** miseris U var. l. Schol., **766** sacrum s. s. U, **767** movetur (s. s. n) M, movet A (corr. in: moventur m. 2), **768** putes G, putem rell, nocentem O vulgo, **769** exspirasse E (correctio m. 2), infectaque B, confectumque VRg, **770** superum M_1, superam stygia VU, stygiam a.

dona vomens" Id. XXX. 75 „Cantaber Oceanus vicino littore gemmas | expuit".

756 „Quod legit" omisso *et* natum potest esse ab aliquo, qui post perf. *fodit* hic quoque perfectum sine causa desiderabat. Pendent haec „quidquid – arenis" ab *ut* (quamvis) *rapiant.*

758–760. Ante *decipitur* (760) subiectum necessario est *victor*, quod ex 758 supplendum. *Victor* ille est miles. Nemo, opinor, probabit: „cum Caesar sibi promiserit arces, decipitur (miles) quod", rell. Alia ratio est ut haec *cum-arces* sint ex mente militum dicta, ut *sibi* milites, *victor* tamen Caesarem significaret. Apage! Sed si *victor* militem significat, idem dicitur v. 759 promisisse omnia spe Romanae praedae. Id eodem redit, altero versu sperasse dicitur Tarpeias arces, altero „Romanam praedam" (urbem Romam?). Vide quanto melius remoto v. 759, qui interpretamento admodum similis est, sententia decurrat. Nisi vero *commiserit* praeferas; mihi non satisfacit.

761 „Caespite patricio" cf. Caesar Civ. III. 96 „in castris Pompei – recentibus cespitibus tabernacula constrata". Pro *caesumque* cubile Heins. Advv. p. 164 *cassumque* [„caesumque" Postgate].

764 Vulgata „somni furentes" est quod dicunt contradictio in adiecto; possit tamen species quaedam huic iuncturae conciliari inde quod *somno* furentia *somnia* adscribi possint epitheto translato, etsi huius usus exempla non possunt produci. At quid h. l. *furor*? Repetunt miseri caedem peractam, non meditantur novam. Vide sequentia. Verum igitur puto *somnisque fruentes* iung. cum sequentibus, iam Canterus *somnoque fruentes.*

768 *Nocentem* vulgo. *Nocentes* Burm. Bentl. cf. Verg. Aen. VII. 351 „vipeream inspirans animam". Ov. Metam. IV. 497 „inspiratque graves animas". Orcus inspiravit dormientibus nocentes animas. „*Animas*, inquit Burm., sine hoc epitheto nihil mali significare potest". Sententia non clara. *Nocentes* adscivi sed aliter interpretor: ingemuere campi et terra, quod *nocentes amimae* i. e. spiritus nocentum (fratricidarum) inhalaverunt eos (campos). Apul. II. 5 (p. 26 VI.) „surculis et lapillis inhalatis" (i. c. adspiratis). Plin. X. 84 „foramen inspirare". Distinxi post *terramque*, vulgo id fit post *campos.* Cur *terra* in vulgata *nocens* dicatur, nemo dixit. V. 770 *supera nox* i. q. nox a superis (contrarium est: *inferis*) transacta.

Exigit a miseris tristis victoria poenas,
Sibilaque et flammas infert sopor, umbra perempti
Civis adest, sua quemque premit terroris imago.
Ille senum voltus, iuvenum videt ille figuras,
Hunc agitant totis fraterna cadavera somnis,
Pectore in hoc pater est, — omnes in Caesare manes.
Haud alios, nondum Scythica purgatus in ara,
Eumenidum vidit voltus Pelopeus Orestes,
Nec magis adtonitos animi sensere tumultus,
Cum fureret, Pentheus, aut cum desisset, Agave.
Hunc omnes gladii, quos aut Pharsalia vidit
Aut ultrix visura dies stringente senatu,
Illa nocte premunt, hunc infera monstra flagellant.
Et quantum poenae misero mens conscia donat,
Quod Styga, quod manes, ingestaque Tartara somnis
Pompeio vivente videt! Tamen omnia passo

771 meritis AVCG, **773** orroris A (*corr. m.* 2 *in vulg.*), **774** vidit U, **775** motis m (rec. m.), figura (m s. s) V, **778** pelopeus O, horestes V, **780** fugeret E_1, des*c*isset M, descisset Ue, de.. isset (sc s. s. m. rec.) A, desisset VEG, **781** tunc T, farsalia A, **782** victrix M, *ul*trix U, **783** flagello A_1B_1, **784** poenae misero MU, misero poenae ABERT, misero mens poenae V, **785** corpora somnis gR.

773 „*Terroris* imago", orroris (= horroris) A. Singuli („sua *quemque*") aliquid horridi fecerant, cuique spectrum est. Hoc aptius quam si fingatur victor metus sui memor fuisse; propterea olim commendavi *horroris*, ratus *premit* arsi longam posteriorem habere. Cf. ad I. 642. Fateor tamen dubium esse. *Terroris* improbarunt etiam Burm. et Schraderus legentes *tortoris*. *Oret* pro *horret*, *horrore* pro *errore* VIII. 402, VIII. 5 Hortensii codd.

776 Caesar patitur omnes *manes*. Sunt umbrae mortuorum vagae, quas antiquiorum poetarum opinio fere stabiles finxit ad sepulcra et in inferis.

777 *Scythica ara* Dianae Tauricae a sorore Iphigenia.

778 *Pelopeius horestes* codd. Oud. Fort. „Pelopeius heros", *Orestes* glossa.

780 Pentheus in furorem actus quod Dionyso restiterat, in furore mortuus est, a feminis Thebanis discerptus; itaque non resipuit, sed Agave etiam post furorem sensit perturbationem mentis cum filium se suum dilacerasse intellegeret. *Cum desisset* sc. furere primus Grotius, cum Borsmannus *descisset*, Rutgersius *desuesset* probassent.

782 „Stringente senatu" supple ex 781: gladios. An: visura DIEST (dies est) RINGENTE senatu? Nam 1º Omissi *est* in relativa sententia unum tantum est praeterea exemplum in Lucano IX 331, valde durum et facile sanabile; 2º Senatus non stringebat gladios cf. omnino Dio XLIV. 16, 3 init. *Ringi* Hor. Epist. II. 2. 128, „quam sapere et ringi" (mij te verkniezen). Cic. ad Att. IV. 5. 2 „ii subringentur, qui villam me moleste ferunt habere". Gloss. Placidi CGL. V. 144: „ringitur, irascitur aut indignatur." Apud Senecam Ep. XVIII. 1 (104). 9: „*ringeris*, quotiens aliquem in fastis saepius legeris" *invideberis* interpretamentum videtur. — Succensebat senatus, inermis.

784 „*En* quantum" Heins., fortasse recte. „*heu* quantum" Weisius ex antiquis editt. Malo. Sententia: „Vide quantum poenae mens (mali) conscia remittat: inferos Pompeio iam vivente videt". „Vide quam conscientia mali statim vexet". *Quantum* vocabulum medium i. q. quam exiguum. *Donare* i. q. remittere cf. ad IV. 764. Vulgarem interpretationem apud Hask. fateor me non intellegere. Receptus vulgo ordo verborum melior est quam *misero poenae*, ne *poenae* cum *conscia* iungatur. Non vidit hoc Bentleius.

Postquam clara dies Pharsalica damna retexit,
Nulla loci facies revocat feralibus arvis
Haerentis oculos. Cernit propulsa cruore
Flumina, et excelsos cumulis aequantia colles
Corpora, sidentis in tabum spectat acervos,
Et Magni numerat populos, epulisque paratur
Ille locus, voltus ex quo faciesque iacentum
Agnoscat. Iuvat Emathiam non cernere terram
Et lustrare oculis campos sub clade latentes;
ɔ: Fortunam superosque suos in sanguine cernit.
Ac ne laeta furens scelerum spectacula perdat,
Invidet igne rogi miseris, caeloque nocentem
Ingerit Emathiam. Non illum Poenus humator
Consulis, et Libyca succensae lampade Cannae
Conpellunt hominum ritus ut servet in hoste,

787 arvo e corr. 1ae m A, **790** cumolos U (i s. s. m. rec.), tumulis G, **791** sidentes (ex sed.) MAVU, sedentes a, sidentes G, expectat MBE, **796** *in marg. m.* 2 M, *add.* m. 2 *in* U *in ima pag.* 1 *m.* G, *deest* RK, **798** miseros M_1, igne uri V (corr. in vulg.), nocenti O vulgo, **800** succensa AB_1, cetenae B, **801** seservet T, hostem T, hostes O (Stht. hoste M).

788 „Adspectus regionis non abstrahit oculos a loco, ubi occisi iacent". De *nulla* cf. ad v. 25; et Heitland p. CIX. Ad *haerentis* supple *arvis.*

791 „Sidentis" *depressos* Arg. et Aeolici editiones, unde male recepit Weisius, manifestum interpretamentum. Pro vulgari *tabem* recepi verissimam Heinsii emendationem *tabum.* Humor ex cadavere defluens est *tabum* et de hoc agi monstrat *sidentis.* Cf. VI. 547 „nigramque per artus | stillantis tabi saniem". Verg. A III. 28 „atro liquuntur sanguine guttas | et terram tabo maculant". *Tabes* (putrefactio, maceratio) figurate etiam pro sanie aut humore putido sumitur cf. VIII. 775, IX. 772; sed h. l. proprium vocabulum aptius est.

794 sq. Negatio prioris versus etiam ad alterum trahenda esset: et (non) lustrare; iuvat Caesarem solum Emathiae non cernere et non oculis lustrare campos, „sub clade latentis". Nusquam tam duriter hoc fit (cf. exempla ad II. 40), nimirum negatio priore membro quasi inclusa. Comma post *terram* sustuli, ut certe in pronuntiando duo membra artissime coniungantur. Haesit Heinsius, sed parum profecit; omisso enim versu 794 (*agnoscat* —) scribit versu 795 „et *lustrans* oculis campos — *cernat*" (796). Idem Advv. p. 164 „non cernere *opertam*".

796 Sanguis fusus speculum erat, in quo videret Fortunam et deos aventes sibi; sic tantum explicata verba *in sanguine* latina sunt. Est sane hoc ineptum, sed magis abnorme (excentriek) quam absurdum, et ostendit ab horrendo et sublimi ad ridiculum intervallum paene nullum esse. Hoc ipse auctor vidit et versum deletum voluit. Inventum sapit Lucanum cf. supra 560, II. 214. Insaniunt subinde poetae sic ut non alius imitari possit: librarii cuiusdam versus non videtur.

798 Vulgo *nocenti.* Guyetus: „foetorem ex Emathia in coelum infert i. e. pestilentia aerem inficit, malim *coeloque nocentem*". Iure, opinor. Ingerere est per vim et invito obtrudere (*aufbürden*). *Caelum* = aer vid. infra 822, aer nondum erat infectus sed terra; inde odor in coelum surgebat. *Nocenti* accommodatum substantivo *caelo,* quo non pertinet.

799 sq. Cf. Livius XXII. 52. *Succensae* i. q. collustratae face ferali Carthaginiensium.

801 *Hostes* Oud. Weis. Reliqui cum vetustis edd. *hoste*, usu eleganti praepositionis, in pedestri quoque sermone frequenti. Vergilius: „non ille, satum quo te mentiris Achilles | talis in hoste fuit Priamo" (A.

Sed meminit nondum satiata caedibus ira
Civis esse suos! — Petimus non singula busta,
Discretosque rogos: unum da gentibus ignem,
Non interpositis urantur corpora flammis.
Aut, generi si poena iuvat, nemus extrue Pindi,
Erige congestas Oetaeo robore silvas,
Thessalicam videat Pompeius ab aequore flammam.
Nil agis hac ira; tabesne cadavera solvat,
An rogus, haud refert, placido natura receptat
Cuncta sinu, finemque sui sibi corpora debent.
Hos, Caesar, populos si nunc non usserit ignis,
Uret cum terris, uret cum gurgite ponti.
Communis mundo superest rogus, ossibus astra
Mixturus. Quocumque tuam Fortuna vocabit,

805 [non] in conpositis, s. s. inter M, **807** coniectas M, erue a, *oetaeo robore silvas* V, **808** flamma R, **810** retentat T, **812** nonus erit M_1, **814** *post* 814 *sequuntur in M* 820—822, **815** vocabit MVG, vocavit C, locabit mA(vocabit a)BEUv, locabat T.

II. 540). *Hominum*, dixisset *humanos*, si metrum admisisset.

802 Sed paene satiata ira, reminiscitur maioris saevitiae opportunitatem sibi oblatam, cum cives posset laedere et honore sepulturae spoliare. Convenit hoc cum Caesare Lucaneo.

805 „Non interpositis" iungendum. Corpora vult uri contigua, ut alterum alterius latus tegat, neve titionibus cadavera separentur. De *non* pro *ne* (cf. „non ancilla tuum iecur ulceret" Hor.) vid. Mnem. XIX. 32, ubi etiam de adiectivis cum *non* iunctis agitur. Cf. ad V. 58. Add. X. 60. Ovid. Artis v. 389.

806 *Extrue* Burmannus defendit per VIII. 695 „extructus mons" sed hoc plane alienum est. *Exstrue nemus* positum est pro: coacerva arbores, struem fac nemore adducto. *Extruere* ut *educere* (*ex* significat in altum) habere solet accusativum rei quae efficitur, non materiae. unde quid construitur. Sic Aen. VI. 177 „aramque sepulcri | congerere arboribus caeloque educere certant". Nimis diversum est, cuius optionem dat Burm.: „nemore exsue Pindum". Mallem utique „nemus *erue* Pindi", sed ferenda vulgata *extrue*. — Proximo versu Heins. *convectas*.

811 „Sibi debent" quoniam debilia sunt et recentibus cedere debent. Genetivum obl. *sui* ut post Augusteam aetatem omnino auctores, frequentius usurpat quam optimo aevo, sic post *ius* et *pars*.

814 „Ossibus astra | mixturus". De conflagratione mundi ex sententia Stoicorum omnia aliquando perditura praecipua nota sunt; ut aqua origo, sic ignis exitium universi erit: mare, coelum, terra uno incendio sunt peritura. Sed vix credibile quemquam sensu pulcri adeo esse destitutum ut — non corpora aut bestias — sed *ossa* iungat *astris*. Finge hoc oculis, senties quam sit absurdum. Sen. Dial. VI (de Cons.) sub finem „cum tempus advenerit, quo se mundus innovaturus extinguat, — sidera sideribus incurrent", rell. Legendum puto „ossibus *ossa*". Ossa Caesaris cum gregarii militis ossibus coniungentur. Vide sequentia.

815 *Natura* pro *fortuna* optime Schrader, cf. 818 „libera fortuna mors est". Sed *fortuna* pro fato positum i. q. fatum tuum. *Locabit* iuxta *quocunque* minus rectum quam *vocabit*. „*Sunt* animae" Bentl., Cort., Hos., Trampe; *eunt* Oud. Burm. Neutrum satisfacit; per *sunt* significaretur animos iam tum eo pervenisse; cum hac fidei firma persuasione pugnat dubium illud *quocunque*. Contra *eunt* militat ipsum illud *quocunque*, quia iter sine certo fine cogitatur. Multo concinnius *erunt*: quocunque perveneris, offendes a te contemtos [*erunt* Postgate].

Hae quoque erunt animae. Non altius ibis in auras,
Non meliore loco Stygia sub nocte latebis.
Libera fortunae mors est, capit omnia tellus
Quae genuit; caelo tegitur, qui non habet urnam.
Tu, cui dant poenas inhumato funere gentes,
Quid fugis hanc cladem? quid olentes deseris agros?
Has trahe, Caesar, aquas, hoc, si potes, utere caelo.
Sed tibi tabentes populi Pharsalica rura
Eripiunt, camposque tenent victore fugato.
  Non solum Haemonii funesta ad pabula belli
Bistonii venere lupi, tabemque cruentae
Caedis odorati Pholoen liquere leones:
Tunc ursi latebras, obsceni tecta domosque
Deseruere canes et quidquid nare sagaci
Aera non sanum motumque cadavere sentit.
Iamque diu volucres civilia castra secutae

816 eunt UABEK sunt MVGRa, al. ēt (= erunt?) m, ibit BVR, **817** latebis A (iacebis a) B_1ET, iacebis rell., **818** fortuna ex corr. M, fortuna EVUGRT Prov. C, fortunae A, **819** caelo-urnam l. Isidorus XVI. 26. 14, August. CD. I. 12, fin, **820—822** *versus h. l. omissos post* 814 (— *astra*) *collocat m.* 2 *M*, a 2 *m V*; *om. RK*, 820, 821, 823 *in ima pag.* 3^a *m. G*, **820** *tu* V, *inhum. fun. gentis* V, inhumata u, **822** astra hac (h praeposuit m. 2) A, hastrae E, **823** fetentes m, **825** nec solum U, papula A, popula B_1, **826** labemque A, **827** od. — leones l. Prisc. II. 335. 2, pholoe M_1, **828** ursi AB (si *ex* s) EG, ursae RVUM, obscene M, domusque B, **830** motumque cadavere caelum (sic) l. Prisc. II. 335. 2, *haec verba iungens cum* 827 *tanquam contigua vid. ad* 827, l. Lact. Theb. IX. 28, cadavera M, sensit UM, sentit A (sensit a) VG Lact., **831** castra civ. s. s. bella B.

816 *Ibit* pro *ibis* sc. anima tua, redarguitur communi omnium lectione *iacebis* vel *latebis* (non — *bit*). *Iacebis* adhuc omnes ediderunt; sed in orco nemo *iacet*; corpus sepultum et inde homo ipse post mortem *iacere* dici possunt; hoc loco clare vita inferorum ob oculos ponitur. Usu notissimo *sub* de loco depresso significat *in*, ut *sub pectore, sub inferis, sub antro, sub fluctibus imis* Aen. V. 239.

818 *Sors haec* Heins. Non assequor. Sententia est: dignitas et splendor in morte non est. Fortuna est condicio, status fato datus. Cf. „curarum liber" IV. 384. Verg. A. X. 154 „libera fati" exemta fato (fati potestate).

819 Seneca Epist. 92 fin. „quem saevitia proiecerit, *dies* (h. l. caelum) condet. Diserte Maecenas ait: nec tumulum curo, sepelit natura relictos".

820—822 Versus Annaeani, ut qui maxime, et qui ante 823 sq. omnino non possunt abesse. Omittunt a prima manu MKVRG. Cum ex codd. μ reliqui praeter M(ABE) versus illos habeant, suspicor iam in μ fuisse illos *adscriptos*, unde pars addidit, pars codicum omisit. Sic in altera quoque classe factum esse satis antiquo tempore, ut in qua dissensus sit, credere licet. Quod si verum est, in parte tantummodo codicum φ ab initio affuere, inde in reliquis codd. additi. Cuius omissionis quae causa esse potuerit saepius significatum est. Ad 822 cf. IV. 368 „tractus aquarum" (= bibere aquas) Sen. Agam. 878 „merumque — trahunt". *Caelum* = aer, VI. 88.

825 „Haemonii-belli" iungendum.

828 Omissum *sed*, respondens verbis *non solum*.

830 „Aerem *motum* cadavere", sanum aerem fingit moveri et pelli pestifera exhalatione cadaverum.

Conveniunt. Vos, quae Nilo mutare soletis
Threicias hiemes, ad mollem serius austrum
Istis, aves. Numquam tanto se volture caelum
Induit aut plures presserunt aera pinnae.
Omne nemus misit volucres, omnisque cruenta
Alite sanguineis stillavit roribus arbor.
Saepe super voltus victoris et inpia signa
Aut cruor aut alto defluxit ab aethere tabes,
Membraque deiecit iam lassis unguibus ales.
Sic quoque non omnis populus pervenit ad ossa,
Inque feras discerptus abit: non intima curant
Viscera, nec totas avidae sorbere medullas
Degustant artus. Latiae pars maxima turbae
Fastidita iacet; quam sol nimbique diesque
Longior Emathiis resolutam miscuit arvis.
Thessalica, infelix, quo tanto crimine, tellus,

832 *conveniunt* V, *nilo* M, **834** se tanto BE, **837** sang. — arbor l. Lact. Theb. II. 674, **839** aere G, **840** deiegcit U (deleta g), proiecit ug, **841** si M_1, hic E_1, populos M_1, populi G, **842** ferus A (-ras m. 2) B_1, fetas T, **843** avidae G(VUStht) avide rell., medollas M_1, **844** degustantque m BEUvT, **845** quam — miscuit l. Lact. Theb. IX. 301, fastidia M_1, nimbusque a, **847** thesalica M(UStht), thessalia rell., tanto MAB, tantum VUGT.

832 Non magis reputavit poeta grues non pasci carne, quam Aesopus vulpem non uvis. Notum ex Homero *ἤυτέ περ κλαγγὴ γεράνων κτέ* Il. VIII init. Non satis causae est cur hunc (inde a *vos*) et duos sequentes versus a Lucano abiudicemus cum Schaefero l. l. p. 27, sq. et L. Jeep. Jahresber. XLIII p. 192, quod poeta debuerit ut singula genera ferarum, sic etiam avium describere, non solum grues; mihi contra videtur, libertatem poetae sic nimis circumscriberemus.

34–846 pessimos iudicat Peerlkamp Mnemos. 1861 p. 274, nec tamen spurios esse pronuntiavit, recte puto. Quamquam sunt hodie quoque quibus talia lurida et sordida, modo ad naturam efficta, placeant. *Pervenire ad ossa* de cadavere pro „omni carne spoliari" displicet non tam propter rem falsam aut exaggeratam — loca ubi ante hos 20 annos in Aegypto pugnatum est haec in memoriam revocant — quam propter rationem qua exponitur: cadaveri adscribitur quod viventis est (*pervenire*), tum ipsum (quid aliud nisi ossa?) ad *sua* ossa pervenit. Reliqua non finxit auctor: ceciderunt omnino 15 milia hominum media aestate, et cum nec victores nec victi in loco manerent, non iusta cura sepulturae habita est. De avibus carnivoris membra proicientibus nondum devorata similia itineratores, veluti Nob. van Dedem in epistolis ex India a. 1894 scriptis (Gids 1895), et de corporibus a feris partim (842 sqq.) laniatis van der Hoym vingt mois en Abyssinie, 1896 p. 87.

839 *Tabes* explicatur proximo *membraque deiecit*, non tabum sed putridae carnes.

841 Suspectus Heinsio, cf. ad 834–846 supra. „Decrevit" Burm.

842 „Inque feras", rell. i. e. „*nec* in feras abit (occultatur)". Post 843 distinctionem sustuli; negatio pertinet ad *avidae*. *Avidae* Cortius, Weise, reliqui *avide* ediderunt.

845 Ad horrorem augendum vel bestiae dicuntur sprevisse Romanos. *Diesque longior* longior temporis tractus.

847 Omnino legendum *Thessalica* cum Grotio, Hos., non *Thessalia*, propter ingratam elisionem, cuius unum tantum apud Lucanum novi exemplum: „Italiam extremo" II. 659, nec defenderim eam simili *κακοφωνίᾳ*, de qua ad VI. 56 monitum, nam M stat a lect. *Thessalica*.

Laesisti superos, ut te tot mortibus unam,
Tot scelerum fatis premerent? Quod sufficit aevum,
Inmemor ut donet belli tibi damna vetustas?
Quae seges infecta surget non decolor herba?
Quo non Romanos violabis vomere manes?
Ante novae venient acies, scelerique secundo
Praestabis nondum siccos hoc sanguine campos.
Omnia maiorum vertamus busta licebit,
Et stantis tumulos, et qui radice vetusta
Effudere suas, victis conpagibus, urnas,
Plus cinerum Haemoniae sulcis telluris aratur,
Pluraque ruricolis feriuntur dentibus ossa.
Nullus ab Emathio religasset littore funem
Navita, nec terram quisquam movisset arator,
Romani bustum populi, fugerentque coloni
Umbrarum campos, gregibus dumeta carerent,
Nullusque auderet pecori permittere pastor

848 [te] T, **850** i memor A, **851** infectas urg.et M, infracta AB_1, infesta T, **852** romanus A, manus M_1, violabilis B_1, **853** inte E_1, scelerisque T, **855—858** l. Prisc. II. 96. 19 H; 855 l. id. II. 287. 23 H, **856** extantes c, **857** effure M_1 (de s. s. m. 2), effundere A, *sequitur* 859, *tum* 858 *U*, *correxit u*, **858** tellures M_1, **859** ruriculis A, **860** emathia AB, **861** arator MVAG, aratro BEU (arator u)Rg, **862** romani tū B, **864** peccori M_1.

849 *Facie* pro *fatis* Heins.

850 *Donare* est ignoscere, cf. ad IV. 764.

851 Errorem qui est in verbis *non decolor* facile condonamus propter totius apostrophes efficaciam.

854 De confusa Macedonia, ubi Philippi, et Thessalia, ubi Pharsalus, cf. ad I 693 et supra 591. Praeierant loco praeclaro Verg. Georg. I. 489, sqq. et Manilius l. 910.

855 *Licebit.* Glossa in M: „pro quamquam accipitur hic ut dicit Prisc[ianus] in coniunct."

856 „Et qui radice vetusta". Ut hedera, sic arbores maiores quaedam radices agunt etiam in commissuras lapidum eoque murum subruere possunt; caprificus eo potissimum erat infamis; vel urnae sic dissolutae effundere dicuntur h. l. cineres. *Effundere* enim est vertere et simul vacuefacere; porro *effudere* i. q. effusas habent. Cf. Mayor ad Iuven. X. 144. Caprificus propter tenacem naturam pro inveterato malo Pers. I. 25. — Iniuria Burm. reprehendit Lucanum, quasi hoc loco secus ac supra cadavera Pharsalica sepulta diceret. Parum refert, sed notat hominem, qui sibi liber et beatus videtur si quid in Lucano reprehendat.

858 *Plus*, quam usquam alibi.

860 Verg. A. VII. 106 „gramineo ripae religasset ab aggere classem". Alibi fere sine praep. (Hask.)

862 „Romani bustum populi". Notus est locus qui vocatur *busta Gallica. Burere* primitiva forma pro *urere*, littera B mollitur in vocalem et pellitur.

864 Amplificat poeta sententiam: deserta iaceres et spreta (si sola spectaculum belli civilis vidisses), idque per octo versus 860—867, post quos apodosis satis exilis est. Id minus offenderet, si splenderet claris verbis; sed sententia est contorta et artificiosa. Huic vitio certe ex parte tribuendum effatum Guyeti: „(v. 860 — fin.) omnium suppositorum ineptissimi". Sunt tamen sine dubio Lucani, quamvis tumidi et molesti.

Vellere surgentem de nostris ossibus herbam,
Ac velut inpatiens hominum vel solis iniqui
Limite vel glacie, nuda atque ignota iaceres,
Si non prima nefas belli, sed sola, tulisses.
O superi, liceat terras odisse nocentis.
Quid totum premitis, quid totum absolvitis orbem?
Hesperiae clades, et flebilis unda Pachyni,
Et Mutina, et Leucas puros fecere Philippos.)

866 aut B_1, **867** ignava u, taceres u l(ateres) c, **868** bellis M_1AB, vel sola G, PAULUS CONSTANTINOPOLITANUS EMENDAVI MANU MEA SOLUS | MANNAEI LUCANI LIBER. VII. EXPL. INCIP. LIBER. VIII. FELICITER | LEGENTE [sic] VITA ET PFECTURA | SCRIPTORI VITA ET FORTUNA | LEGE FELICITER. U *in quo verba* Paulus — solus *etiam post librum II inveniuntur.* Cf. Praef. tomi I p. XXXIV, sq., **870** absolvitis AUMBEG, solvitis V.

866 Verba „vel solis iniqui limite" (linea „parallela" quae discriminat ustam zonam) „vel glacie" continent causam superiorum *inpatiens hominum*; post *glacie* distinguendum.

869 „Terras odisse nocentes" i. e. solas, sed non licet, nam totus orbis civili sanguine infectus est. Si Thessalia sola bellum intra fines suos habuisset, omnium odia in eam converterentur. Quod *solas* omissum est nocet perspicuitati.

870 *Solvitis*; verbum forense non est *solvere*, sed *absolvere*, recte post Oudendorpium ab omnibus praeter Weisium receptum. „Totus orbis" ut alibi *mundus* (supra 617, 660) de imperio Rom. dictum cf. I. 22, supra 672, Hor. Epist. II. 1. 254. *Absolvere* i. q. crimine et *infortunio* liberare, ut apparet ex opposito *premere* i. e. infortunio exponere. Verbum *premere* forense est sed non i. q. accusare; „premere reum" dicitur de testimonio et suspitione reo periculosis. Sententia igitur est: cur universum imperium perditis aut servatis? (decebat singulas partes).

871, sq. Significantur proelium apud Mundam, clades Sext. Pompeii prope Siciliam, obsidium Mutinae, victoria Actiaca. Cf. I. 40, sqq.

M. ANNAEI LUCANI

PHARSALIA.

LIBER OCTAVUS.

Iam super Herculeas fauces nemorosaque Tempe,
Haemoniae deserta petens dispendia silvae
Cornipedem exhaustum cursu stimulisque negantem
Magnus agens, incerta fugae vestigia turbat,
Implicitasque errore vias. Pavet ille fragorem
Motorum ventis nemorum, comitumque suorum
Qui post terga redit, trepidum laterique timentem
Exanimat; quamvis summo de culmine lapsus,
Nondum vile sui pretium scit sanguinis esse,

1 tesqua g, **2** hemoniae M, **3** neganti AB_1 (negantem a), **5** pavit M_1B_1, **7** redit MAUVBETG, venit u (rec. m.) v, **8** examinat M_1, **9** vile facinus sui precium M_1, sui facinus U (precium u).

1 *Tesqua* Lips. d. ap. Web. ex VI. 41. „Heracleae fauces" cf. VI. 347, sqq.

2 „Haemoniae silvae" genetivus definitivus est; erat silva *dispendium* (ambages); id petebat quia *desertum* erat.

3 *Stimulis.* Gronovius Diatr. ad Stat. Silv. IV. 9 laudat Stat. Theb. II. 668 „illi (Tydeo) membra negant." Id. IV. 123 „dexter Iaccho | collis, at Ennaeae Cereri negat." Mart. XIII. 7 „lautorum cenis saepe negare potes (recusare cenas)", praeterea Stat. III. 457, Silv. III. 1. 124. — V. 4 „incerta" et 5 „implicitas errore" ex eventu, quod aiunt, addita. Turbare vestigia i. q. confundere.

6 Ante Oud. post *nemorum* non distinguebatur, ut iungeretur: „fragorem nemorum comitumque" non sine causa, quoniam *suorum* reflexivum tunc cum *pavet* iunctum recte usurpatur. Pro *redit* Oud. *ruit; venit* in u v manifesto glossema est; *ferit* Weis. ex Arg. recepit, cui non favet *post*; „terga ferire" ferri posset ut „aures ferire", non ferendum „*post* terga ferire"; *redit* i. q. resonat, poetica brevitate positum putant, *redditur* (redit) vox omnino scopulis et convallibus. Durum utique et omnino intolerabile, quod omittitur nomen unde pendet „comitumque suorum"; praesertim cum *fragorem* alio casu quam subiecti praecessit. Legendum videtur: „*quidquid* terga *ferit* trepidum laterique timentem exanimat". Adscripta videtur fuisse glossa ad *ferit*: „quod post tergum venit"; „terga *ferit*" i. q. „aures a tergo ferit." Metus Pompeii non convenit cum VII. 677, sqq. quod excusat Schol. BC apud Weberum. [Secundum Heitlandum Class. Rev. 1897 p. 206 „qui post terga redit" est explorator a Pompeio praemissus ut loca investiget a fronte, is „post terga" i. e. in vestigia sua redit. *Post terga* = in terga putat laudato Corippo, Johanne IV. 189, al.]

Seque, memor fati, tantae mercedis habere
Credit adhuc iugulum, quantam pro Caesaris ipse
Avolsa cervice daret. Deserta sequentem
Non patitur tutis fatum celare latebris
Clara viri facies: multi, Pharsalica castra
Cum peterent, nondum fama prodente ruinas,
Occursu stupuere ducis, vertigine rerum
Adtoniti, cladisque suae vix ipse fidelis
Auctor erat. Gravis est Magno, quicumque malorum
Testis adest. Cunctis ignotus gentibus esse
Mallet, et obscuro tutus transire per urbes
Nomine; sed poenas longi Fortuna favoris
Exigit a misero, quae tanto pondere famae
Res premit adversas, factisque prioribus urguet.
Nunc festinatos nimium sibi sentit honores,
Actaque lauriferae damnat Syllana iuventae;
Nunc et Corycias classis et Pontica signa
Deiectum meminisse pudet. Sic longius aevum

11 quantum AEBG, quantam MVUR. **14** nota g, **16** occursum VU, occursu MAEB, **17** gladisque M_1, **18** magno add. m. 2 U, *versum omissum m.* 1 *in marg. posuit* G, **20** urbes MAE(e corr.)BRGTB, orbem U, **21** poenas longi MABEGTV, longi poenas U, **23** adversos M_1, factisque VC, rell.: fatis, et sic vulgo, urget V, (sic vulgo in MSS), **24** sensit C, **25** iuventute A_1, versus in U post 26, **26** coricias M (corigas M_1 Stht), **27** delectum M (e corr.), ʹdetectum u, pudet AMBEuRTgC, piget UG.

10 *Quantum* Weis. contra optimos Mss. — Hoc quoque non honorificum Pompeio.

12 „Deserta", rell. *Fatum* (13) est devictus *Pompeius.* Quod Pompeius erat, qui cladem erat passus, non poterat latere. *Nota* (g) est interpretamentum. Iunge: clara viri facies non patitur (eum) deserta sequentem celare fatum tutis latebris.

14 *Pharsalia* malo Cortius. Ut *κακέμφατον* evitaret Bentl. *rura* pro *castra*, contra sententiam. Milites significantur in expeditionem aut frumentatum a Pompeio missi, nunc in castra redeuntes. Ruinas i. q. defectum Pompeii.

16 „Vertigine" i. q. conversione. Proprie supra VI. 460 et alibi; de republica metaphorice post Lucanum Ammianus Marcellinus XXXI. 10 extr. et Maximianus saec. V, Eleg. III. 3 (v. 333 Baehr.) „mentem rerum vertigine fractam."

20 *Urbes* primus Oud. pro *orbem*. Manil. III. 512 „ignotas semper transire per urbes." (Cort.).

21 Vulgo *longi poenas*; Bentleii iudicium secutus sum.

23 „Res premit adversas." Res adversae deprimunt, earum pondus augetur pondere famae.

Ib. „*Fatis* prioribus urguet" vulgo. Superiora tempora habebant gloriosa *facta* Pompeii (ea sponte sua fecerat); non *fata* h. l. apta sunt. Quo plura *fecerat*, eo magis per comparationem nunc reprehenditur eius clades. Nec res prospera *fata* appellari potest. Praetuli igitur *factis* ex V. Confusio est paene perpetua.

25 *Syllana* i. q. Sylla digna; cf. I 326. 335. VII. 307. Sub Sulla meruerat in bello Sertoriano; „Coryciae classes" (i. e. in Ciliciam paratae) piraticum, „Pontica signa" Mithridaticum bellum significant.

27 *Pudet* confirmatur v. 31 „dedecori est

Destruit ingentis animos, et vita superstes
Imperio. Nisi summa dies cum fine bonorum
Adfuit et celeri praevertit tristia leto,
Dedecori est fortuna prior. Quisquamne secundis
Tradere se fatis audet, nisi morte parata?
  Littora contigerat, per quae Peneius amnis
Emathia iam clade rubens exibat in aequor.
Inde ratis trepidum, ventis ac fluctibus impar,
Flumineis vix tuta vadis evexit in altum.
Cuius adhuc remis quatitur Corcyra sinusque
Leucadii, Cilicum dominus terraeque Liburnae,
Exiguam vector pavidus correpsit in alnum.
Conscia curarum secreta in littora Lesbi
Flectere vela iubes, qua tunc tellure latebat
Maestior in mediis quam si, Cornelia, campis,
Emathiae stares. Tristis praesagia curas

28 ingentis M (s. s. e) A (— es m. 2), **35** magnum u(m. rec. pro trep.) g, ventis ac MAVBE, et rell. vulgo, **39** rector V (vector v) g, **40** secretae U, sacrata c, **41** iubet AMGRT, iubes C *rell.*, **43** triste[s] M.

fortuna prior" et Commento: „erubescit apud se", quod facit pro *pudet*; lemma falso habet *piget.* Pudet eum, sui se tam imparem esse; minus turpis esset clades, si non tantam exspectationem movisset. Vulgo legitur *piget.*

30 *Adfluit* Heinsius, Advv. p. 436 et 164, sed praesens non est aptum. Agitur de homine in media felicitate mortuo.

31 „Quisquamne", rell. „durft nog iemand?" i. q. „hoe durft iemand?" „Nisi morte parata" nisi perfugium habeat in morte. Sententia Stoicorum, quibus mors voluntaria placebat. „*Credere* se" consensu probant Heins. et Bentl. ex Hamburgensi. Sed in *tradere se* eadem fiduciae significatio est, quae hic requiritur.

38—39 Burm.: Cilicum *domitor*, terraeque Liburnae | exiguam *victor* pavidus correpsit in alnum" legendum proponit, recte quod ad *Cilicum*, quorum *dominus* Pompeius non erat, secus quod ad „terrae Liburnae", cuius *victor* Pompeius male dicitur. Pompeium potius totius orae maritimae dominum designare voluit quia omnia maria et littora piratis purgaverat, idque fecit nominibus iis, quae in re navali clara erant: Actiaci sinus et terra quae Liburnis navibus nomen dederat. *Adhuc* (37) i. q. etiamtunc, non cognita clade; ad Leucadem statio erat classis Pompeianae (cf. III. 182), quae tanta erat, ut terra ipsa tremeret pulsu remorum (Corcyra non longe abest). „*Pavidus* epitheton ornans est, cf. Hor. C. I. 1. 14 „Myrtoum pavidus nauta secet mare."

41—43 vulgo: *iubes* (Pompei) — *latebas* (Cornelia) — *stares* (Pompei), quae quasi duplex apostrophe ferri omnino non potest; postquam a Pompeio (*iubes*) ad Corneliam (*latebas*) transitus factus est, non potest rursus in eadem sententia Pompeius compellari. Secundum Mss. praeferendum videretur *iubet*, sed hoc traheret *staret*, quare praetuli *latebat.* Nemo sane militare verbum *stares* ad Corneliam referre volet. Nec fecisset Bentl. coniciens: „conscia curarum secretae in littora Lesbi — *iubet*, qua *tu* tellure latebas" (de sqq. tacet), si ad proxima attendisset. Hosius l. l. p. 349 „conscia curarum" ad *vela* refert, cum ad *littora* pertineat, haec adspexerunt Corneliam longe maria servantem, anxiam de sorte mariti. Nec tamen propterea opus est *secretae* scribere, ut Hos. statuit, dummodo exigua pausa post *curarum* observetur. Apte idem confert V. 376 „secretaque littora Leucae", porro V. 230. Littus *solitarium* (*secreta*) Corneliae lacrimas aspexit. Ad liberam verborum collocationem 42 cf. ad V. 800.

Exagitant, trepida quatitur formidine somnus.
Thessaliam nox omnis habet, tenebrisque remotis
Rupis in abruptae scopulos extremaque curris
Littora, prospiciens fluctus. Nutantia longe
Semper prima vides venientis vela carinae,
Quaerere nec quidquam de fato coniugis audes.
En ratis, ad vestros quae tendit carbasa portus,
Quid ferat ignoras, sed non, tibi summa pavoris,
Nuntius armorum tristis, rumorque sinister:
Victus adest coniunx. Quid perdis tempora luctus?
Cum possis iam flere, times. Tunc puppe propinqua
Prosiluit, crimenque deum crudele notavit,
Deformem pallore ducem, voltusque prementem
Canitiem, atque atro squalentis pulvere vestis.
Obvia nox miserae caelum lucemque tenebris

46 currit Ug, curris MA, curis aBc, currens vG, **47** longae G, **48** vides M, videns mABE₁F, videt VURg, **49** nequiquam G₁, audes MABEU, ex: audet V, **50** nostros T, **51** ignorat T, et nunc MBAEvG, en nunc C, sed UVg, nunc O vulgo, **52** amoris M(armorum m), **53** fletus VgR, **54** puppe propinqua l. Cledonius V 47.1 K, possim B, **57** canicie Mb, canitiem VT, canitiae U, canitie rell. vulgo, squalantis A, **58** lucem s. s. 2ª m. M.

44 *Exagitant* excitant. Cf. Cic. Att. III. 7 „ne et meum maerorem exagitem et te in eundem luctum vocem."

47 *Nutantia* ad veritatem naturae expressum, in obliquo navis non admodum magnae cursu aut inconstantia venti.

48 *Videns* et *currens* v. 46 manifesto pro 2ᵉ persona *vides*, *curris* faciunt. Nam N ante s temere additur aut omittitur; ita *videns* in *vides* et contra hoc in *videns* transire potuit, non *videt* in *videns*; sic *punsio pusio* Iuv. VI. 34, *thensaurus, formonsus*, *praegnans* (partic. verbi **gnare* = alere, cf. *gnatus* et *gignere*) in *praegnas* transiit. Porro *fros* pro *frons*, Varro RR. I. 24. 3, *mesura* pro *mensura* in lege Metalli Vipascensis 47, *cresces*, *infas*, *libes* in CI. VI. 1. 490, 520, 533 et alibi. Vitium est e pronuntiatione natum. „Cicero *foresia megalesia hortesia* libenter dicebat". Velius Long. p. 79 K. Nomina propria in *ens n* omittunt, in Graecum conversa, ut *Valens* *Οὐάλης*.

49 „*Fato de*" Bentl. concinnius dicens quam „de fato". Num propter caesuram? At centies monosyllabum post caesuram, cf. statim 50 et 51, me iudice esset affectata elegantia.

51 „*Et* nunc" Cort. Weis., post *sinister* plene distinguentes i. e. nunc quoque quod maxime paves te sollicitat, nempe ne nuntius adsit, rell. Bentl. scribit: *sed non*, quem secutus sum (pro ne: n); *sed* autem probabilius quam *et*, praecedente *s*; post *sinister* semicolon (:) posui, omissa more Lucaneo particula adversativa cf. ad V. 175.

53 „Perdebat tempora luctus, quia nunc, cum licebat ei flere, non flebat; nam praesente Pompeio non licuit tantum". Schol. LA ap. Web.

56 „Deformem p. ducem" appositio ad *crimen*; *crimen* et *opprobrium*—*alicuius* dicitur is qui alterius culpa male affectus est (ὄνειδος), ut saepe Ovidius, Met. VIII. 240 „longum tibi Daedale crimen" X. 169, Trist. IV. 9, 26. Prop. V. 43, al. Sen. Dial. VI. 12. 2.

57 Vulgo *canitie*; parum concinnum est „*prementem* atque *squalentes* pulvere vestes". sic Bentl. quoque, quem secutus sum. Deformis est P. non quod canos habet, sed quod crines non curavit, qui faciem *tegunt* (*prementem*).

58 *Tenebris* prorsus superfluum vocabulum loco versus quem occupat, emphasin accipit ineptam; nec dativus est sed ablativus (per tenebras). Facile est corrigere: „tenebrae | abstulerunt animam", IV. 771, sed rara coniectura inferre lubricum.

Abstulit, atque animam clusit dolor, omnia nervis
Membra relicta labant, riguerunt corda, diuque
Spe mortis decepta iacet. Iam fune ligato
Littoribus, lustrat vacuas Pompeius arenas.
Quem postquam propius famulae videre fideles,
Non ultra gemitus tacitos incessere fatum
Permisere sibi frustraque adtollere terra
Semanimem conantur heram, quam pectore Magnus
Ambit et adstrictos refovet conplexibus artus.
Coeperat in summum revocato sanguine corpus
Pompeii sentire manus, maestamque mariti
Posse pati faciem; prohibet succumbere fatis
Magnus, et inmodicos castigat voce dolores:
„Nobile cur robur Fortunae volnere primo,
Femina tantorum titulis insignis avorum,
Frangis? Habes aditum mansurae in saecula famae.
Laudis in hoc sexu, non legum cura neque arma,
Unica materia est coniunx miser. Erige mentem,
Et tua cum fatis pietas decertet et ipsum,

59 animum AVR, clusit M_1A, dolor s. s. m. 2 M., om. B, **61** tacet g, depressa B, **64** tacitus AB_1, fatum MGRVU, fata maE, fato A, **65** atque *post* frustraque *inserit* B, terram B, **66** eram M_1, eam A, **68** caeperat U, insanum u, **70** subcumbere M, **74** abes (h m. 2) M, **75** non legum — miser (76) l. Lactant. Theb. III. 705, laudes M_1, iura O vulgo, **76** miserere gemente, corr. in: miser erige mentum A (mentem a), *miser erige mentem* E, miser *erige mentem* MBVG, miserere gementis M_1B_1 (re s. s.) U.

59 „Nervis relicta". Nervi destituunt membra. Ov. Met. X. 459 „animusque relinquit euntem".

61 *Decepta*, Hos. coni. *defecta*. Frustrata erat spe mortis, dum vivebat, quamvis viribus deficientibus. *Diu* ad *iacet* pertinet. *Deiecta* deteriores aliquot. Cf. IX. 99.

66 „Quam pectore Magnus | ambit" suspecta mihi; relativa sententia, qua annectitur illud quod gravius est praegressis, h. l. non est apta; porro *ambit* pro *amplectitur* miror nemini offensioni fuisse. Aliquid certe proficeremus legendo: *cum pectora* Magnus | ambit". (*Cum* actionis subsecutae fere = *donec*).

68 „In summum corpus" cf. 305, i. q. in cutem.

74 *Mensura* Grotius, sine auctore, fortasse errore. — „Aditus laudis" Cicero iam.

75 *Cura* pro *iura* Marklandus. „Iura legum" significat legibus data; si iura natura et iura lege data opponuntur, habet haec formula aliquam rationem, sed non h. l., et cur tam abstruse poeta loqueretur? Ceterum IX. 260 „*iure* suo populis uti *legumque* licebit".

76 Lectio „miserere gementis" propterea ferri non potest, quia non omnis coniunx materia laudis sempiternae est uxori, sed *miser*, cui fidem et opem praestat; praeterea Pompeius non gemebat, certe non confiteri debebat hoc tempore.

77 Heins.: „*ut* tua — decertet. Id ipsum". *Ipsum* est neutri generis, sed non propterea *id* necessarium est. „*Decertet*", rell. i. q. „et tuus amor probet se fortiorem quam fata". Apposite Cortius Senecam laudat Herc. Oet. 359 „(Hercules in Iole) amat vel ipsum, quod caret patrio lare". *Ipsum* recte Leo tenuit, deteriores *ipsam*.

Quod sum victus, ama. Nunc sum tibi gloria maior,
A me quod fasces et quod pia turba senatus,
Tantaque discessit regum manus. Incipe Magnum
Sola sequi. Deformis, adhuc vivente marito,
Summus et augeri vetitus dolor. Ultima debet
Esse fides lugere virum. Tu nulla tulisti
Bello damna meo. Vivit post proelia Magnus,
Sed fortuna perit: quod defles, illud amasti."
Vocibus his correpta viri vix aegra levavit
Membra solo, talis gemitu rumpente querellas:
„O utinam in thalamos invisi Caesaris issem
Infelix coniunx, et nulli laeta marito!
Bis nocui mundo: me pronuba ducit Erinys
Crassorumque umbrae; devotaque manibus illis
Assyrios in castra tuli civilia casus,
Praecipitisque dedi populos, cunctosque fugavi
A causa meliore deos. O maxime coniunx,
O thalamis indigne meis, hoc iuris habebat
In tantum Fortuna caput! Cur inpia nupsi,
Si miserum factura fui? Nunc accipe poenas,

78 amas M_1 (Stht), amat b, **81** seq.i (u s. s.) M, deformes M_1, informis c, **82** u.geri M (augeri m, s. s. a *ante* u), **84** vibet C, iubet c, **86** correcta cU (·/. castigata), **87** talis M_1 (s. s. e), **88** l. Sergius IV. 479,19 K, Beda VII. 232,18 K, Anecd. Helv. praef. CCXLV, iterum 304,23 (Hos.), thalamus usichoris regis issem Anecd., **90** ducit MAVU, erinys O vulgo, erynnis VU, **91** grassorumque A, **95** habebat MABEVU.

79 „Pia turba" acerba ironia.

81 „Deformis" est praedicatum, subiectum efficiunt: „summus et augeri vetitus (qui nullam accessionem patitur) dolor". Squalor moeroris dedecet (*informis*) uxorem superstite marito.

82 „Ultima fides" est ultimum documentum fidei. Luctus de viro ad postremum, ad mortem eius reservetur.

85 „Quod defles illud amasti", quod nunc iniuria defles quasi perditum (nempe: coniux) est *illud* hoc quod semper amasti (et quo nunc frueris). Haskins fere: quod tanquam tibi praereptum defles, nempe fortuna, illud amasti, non virum tuum. Durum erga amantem uxorem. Denique tertia se offert generalis sententia eodem fere acerbitatis rediens: quod quis deflet, hoc amavit (nec amplius amat). Heins.: „*hoc* defles, illud amasti", *Adv.* p. 165, nihilo magis perspicuum.

86 In *correcta* (Uc.) latet *erecta*, quod si totidem litteris exstaret, praeferrem.

89 sqq. Plutarchus Pomp. 74, fin. similia refert Corneliae dicta. Felix fuissem, inquit, si ante mortem Crassi (errore Plut.: Publii) auditam occubuissem, prudens autem si eo mortuo manus mihi, ut volui, iniecissem, sed servabar, ut Pompeio Magno fatalis fierem. Cf. III. 23.

90 *Duxit* ante Cortium praeferebant; *ducit* multo fortius et gravius est. De varietate temporum cf. ad VI. 237.

91 „Crassorumque umbrae", Crassorum (Crassi et filii, Oros. VI. 13. 3, Flor. I. 46. 10 Rossb., III. 11 D) umbrae etiamnunc vagantur, eae me, inquit, iis addictam ubique comitantur, sic Parthica fata (*Assyrios*) in castra Pompeii detuli. Similia Cornelia apud Livium, cuius praeclarum locum vid. in Commento.

Sed quas sponte luam. Quo sit tibi mollius aequor,
Certa fides regum, totusque paratior orbis,
Sparge mari comitem. Mallem felicibus armis
Dependisse caput; nunc clades denique lustra,
Magne, tuas. Ubicumque iaces, civilibus armis
Nostros ulta toros, ades huc atque exige poenas,
Iulia crudelis, placataque paelice caesa,
Magno parce tuo." Sic fata iterumque refusa
Coniugis in gremium, cunctorum lumina solvit
In lacrimas. Duri flectuntur pectora Magni,
Siccaque Thessalia confudit lumina Lesbos.
Tunc Mitylenaeum pleno iam littore volgus
Adfatur Magnum: „Si maxima gloria nobis
Semper erit, tanti pignus servasse mariti,
Tu quoque devotos sacro tibi foedere muros,
Oramus, sociosque lares dignare vel una
Nocte tua, fac, Magne, locum, quem cuncta revisant
Saecula, quem veniens hospes Romanus adoret.

99 rerum B_1, **104** cessa C, **108** the(s)saliae AMGU, thesaliae E (a altera del. m. 3), thesalicae B, thesalia V, confudit MTGVU, confundit BAE, **109** iam pleno V, **113** dignare MABEvUr, dignere VRG, **114** tua OBE, locumque revisant B, revissent U (*s. s.* a *post* ss), **115** venies M (n s. s. m. 2), que vehemens c.

100 „Sparge" cf. VIII. 629 „spargant (me) lacerentque licebit". V. 684 „invisis spargenda dabas tua membra procellis".

Ib. *Actis* Bentl. coll. v. 320, quoniam sequitur „civilibus armis" v. 102, quae causa nulla est. *Dependisse* = impendisse cf. X. 80 „tempora Niliaco turpis dependit amori".

101 *Denique* urguet dicta, a significatione *postremum* paulo deflexum (similiter ut *tandem*); sententia: nunc certe purga s. expia cladem tuam mea morte.

102 „Ubicunque", sub inferis, sive in campis beatorum, sive in stygiis tenebris, quo se post susceptum bellum civile detrusam esse queritur Iuliae umbra II. 12.

Ib. Insimulatur Cornelia viva etiamtunc Iulia amorem Pompeii aucupata esse; inde h. l. „*paelice* caesa", cf. ad II, 28 fin.

108 „Thessalia" Thessalica calamitate. Oculos non humectavit Thessalia, confudit Lesbos. *Thessalia* h. l. ut *Pharsalia* pro bello in agro Pharsalico gesto cf. ad VI. 323, VIII. 511. *Thessalia* pro in Thessalia accipere vetat paene constans usus Lucani; nomina appellativa frequenter sine praepositione usurpant poetae, nomina regionum (nisi accedat attributum ut Thessalia tua VII. 592) raro, Lucanus tantum V. 266 „pars iacet Hesperia" et infra 428 „et si Thessalia bellum civile peractum est", loco dubio. Locativus regionum in *ae* omnino caret auctoritate apud hunc, quare ex V *Thessalia* recepi. Praeter Weisium, *Thessaliae* editt., quod multis alienis defendit Cort. — *Confudit* in hac quasi ἀνακεφαλαιώσει aptius est quam praesens. — *Confundere*; turbare, obscurare dicitur humor, qui oculis offunditur etiam ante quam in lacrimas erumpat: aptum vocabulum de *duro* (107) i. e. in teneros affectus non prono, nec facile in fletum erumpente.

114 Burm.: nocte, *tuum* fac Magne locum" vel.: „*tuos*, fac." *Sua* Oud., Cort., Weisc. Aegre desidero *tua* post *nocte*; et videtur potius L. voluisse „fac ut exstet locus, quem", rell. quam „cape tibi hunc locum." Post *tuum locum* non expectamus illud membrum relativum. *Tuum* ferendum esset si libri darent.

Nulla tibi subeunda magis sunt maenia victo.
Omnia victoris possunt sperare favorem:
Haec iam crimen habent. Quid, quod iacet insula ponto?
Caesar eget ratibus. Procerum pars magna coibit,
Certa loci. Noto reparandum est littore fatum.
Accipe templorum cultus, aurumque deorum,
Accipe, seu terris, seu puppibus ista iuventus
Aptior est, tota, quantum valet, utere Lesbo.
[Accipe: ne Caesar rapiat, tu victus habeto.]
Hoc solum crimen meritae bene detrahe terrae,
Ne nostram videare fidem felixque secutus
Et damnasse miser." Tali pietate virorum
Laetus in adversis et mundi nomine gaudens
Esse fidem, „Nullum toto mihi, dixit, in orbe
Gratius esse solum, non parvo pignore vobis
Ostendi. Tenuit nostros hac obside Lesbos
Adfectus, hic sacra domus carique penates,
Hic mihi Roma fuit. Non ulla in littora puppim

117 favores a, **118** habet A(habent a)BEG pento M (o m. 2 s. s.), quidquid GR, **120** bellum AEB, fatum aMbVU, noto *adscr. m.* 2 U, **122** si t. si vulgo O, **123** quantum potes G, valet g (1ª m.), **124** om. OBEDRTK, in Laurentiano (L) Hosii saec. XI adscr. m. 1 „ut videtur", **131** hoc M_1, **132** serique c (s. s. a), crariquo B, sacrique u (m. rec.) g, **133** ullo in M, ullo AEGT, nonnullo c, littore AEBGT, puppim MABU, puppem EVR.

117, sq. Argumentum haec efficiunt ad exorandum Pompeium: metuere hunc putabant ne gravis esset sociis et propterea tergiversari. Minime haec sibi volunt, offerimus tibi domicilium, *nam* periculum nobis non gravius erit. *Haec* δεικτικῶς, urbs Mitylene et agri. Omissa particula adversativa.

118 *Πόντῳ κεκλιμέναι* dicuntur insulae quae prope continentem sunt, quasi non mari magno circumdatae. Contra quae non adhaerent continenti sed undique cinguntur mari magno, non freto aliquo, dici possunt *ponto* iacere. Hoc voluit fortasse, sic nihil est superfluum. Talem Lesbon cogitare potuit poeta (*insula* sc. nostra). — „Eget ratibus Caesar, ut nos opprimat, illas autem non habet."

120 *Bellum* apparet interpretamentum esse; nemo *fatum* adscriberet. — „Templorum cultus" divinos honores, quod extra Italiam vel ante Augustum nihil miri habet.

122 Scripsi *seu* — *seu*. Et sic Heinsius. Repetitum *si* fere in obtestationibus aut antiquis formulis sollemne est; hoc loco non aptum, cum sequatur comparativus; per *si* — *si* nihil excluditur, per comparativum optio datur; unum offertur: „Accipe iuventutem, inquit, sive ad terrestre sive ad maritimum bellum." *Ista* = nostra, cf. ad V. 352, sine contemtu.

124 Versus sine auctoritate; manifesto post 121 collocari voluit versificator: „accipe — aurumque deorum, | accipe, ne Caesar rapiat tu victus habeto" (praeverte eum).

125 „Hoc solum crimen": ne videatur ingrata. Noli tergiversatione tua speciem diffidentis prae te ferre eoque infamiam ei adspergere. Eo fiet ut videaris in prospera tua fortuna, cum neminem metueres, nos secutus, sed in tua re adversa nobis diffisus esse. Quod potens ipse, cum a nullo ei cavendum esset, Lesbum non spreverat, non erat documentum fiduciae magnae in ea positae. Oblique inconstantiae crimen Pompeio adspergitur.

128 „Mundi nomine" propter mundum; gaudet etiamnunc esse alicubi fidem.

Ante dedi fugiens, saevi cum Caesaris iram
Iam scirem meritam, servata coniuge, Lesbon,
Non veritus tantam veniae committere vobis
Materiem. Sed iam satis est fecisse nocentis;
Fata mihi totum mea sunt agitanda per orbem.
Heu nimium felix aeterno nomine Lesbos,
Sive doces populos regesque admittere Magnum,
Seu praestas mihi sola fidem. Nam quaerere certum est,
Fas quibus in terris, ubi sit scelus. Accipe, numen,
Si quod adhuc mecum es, votorum extrema meorum:
Da similis Lesbo populos, qui Marte subactum
Non intrare suos, infesto Caesare, portus,
Non exire vetent." Dixit, maestamque carinae
Inposuit comitem. Cunctos mutare putares
Tellurem patriaeque solum, sic littore toto
Plangitur; infestae tenduntur in aethera dextrae,
Pompeiumque minus, cuius fortuna dolorem
Moverat, ast illam, quam toto tempore belli
Ut civem videre suam, discedere cernens
Ingemuit populus, quam vix, si castra mariti

134 ira UV, arma VRg, **136** tante c, **137** materiam BMEVuG, materiem AU, **139** aeternomene M (corr. m. 2), **140** docens B, amittere R, magno B, **141** nunc BT, questum est (*pro* q. c. e.) B, est add. c, **142** scit A (sit a), nomen G, **143** sicut m, quid C ex corr., nomen es M (mecum es m), e (est) A, est GT, **144** similis M, **145** suos *corr. in*: suas M (suos m), infausta R_1, **152** descendere GR, **153** vulgus a, vis (*ex*: vix *corr.*) M, vis aCBEVGT, vix m (m. rec.) Uv.

136 „Tantam veniae – materiem", non curans me et Cornelia interfectis tantam opportunitatem Caesaris placandi vobis dari. — *Materia* in nominativo usurpat Lucanus supra 76, unica materia est", unde tamen effici non potest num semper et in quovis casu illam declinationem praetulerit. Librarii aberrabant potius ad vulgarem formam (-*a*), quare *materiem* praetuli.

137 *Iam* hoc documento dato, iam valedico vobis. „Satis est (vos) fecisse nocentes"; accedere posset, ut vos armis Caesaris statim exponerem.

141 „Certum est." De *est* in fine hexametri vulgo addito cf. ad II. 141.

143 „Mecum *est*" Burm. ex „fere omnibus" ut falso refert.

144 „Similes Lesbo populos" comparatio contracta i. q. „populos similes populis Lesbi", ut saepe; si tamen mei arbitrii esset, post *da*, ut ambiguitas vitaretur, *Lesbi* praeferrem.

146 Scite „*mox* exire" Reinach Revue de Philol. 1897 p. 79; ita constantes socios sibi exoptat, qui non benigne excipiant, mox tanquam captivos exceptos in portu retineant. Nihil tamen opus; cogitat socios qui *non* prohibeant intrare, *non* arceant exitu. Poterant tales socii gratiam captare Caesaris prodendo fidei suae commissos.

149 „Infestae" sc. diis. Incusant deos, qui favorem suum Pompeio recusarint.

150 „Pompeiumque minus — ast illam — discedere cernens, ingemuit populus". Sic haec cohaerent: *Pompeium* a *cernens* pendet, *minus* iungendum est cum *ingemuit.* Insolitum tantum in his est, quod post *minus* non *quam,* sed *ast* sequitur.

Victoris peteret, siccis dimittere matres
Iam poterant oculis: tanto devinxit amore
Hos pudor, hos probitas, castique modestia voltus,
Quod, submissa animis, nulli gravis hospita turbae,
Stantis adhuc fati vixit, quasi coniuge victo.
  Iam pelago medios Titan demissus ad ignis,
Nec quibus abscondit, nec si quibus exerit orbem,
Totus erat; vigiles Pompeii pectore curae
Nunc socias adeunt Romani foederis urbes
Et varias regum mentes, nunc invia mundi
Arva super nimios soles austrumque iacentis.
Saepe labor maestus curarum odiumque futuri
Proiecit fessos incerti pectoris aestus,
Rectoremque ratis de cunctis consulit astris,

154 demittere M (di m rec.) A, **155** non poterant mAVBE, iam p. U, devincxit M, **157** [nulli] EB, turba A (turbae corr. m. 2) B_1, **158** iuncto B_1, **159** medio stetit dim. c, in ignes ma, **160** se a, exeret (s. s. i) M, **162** aderunt R_1, urbis M (c s. s.), **164** iacentum c, iacentem (*corr. ex* — tis) MABE, **165** futurum M, **166** mestos c.

155 „Iam poterant" pro potuissent, cui accommodatum *peteret* i. q. petisset, ut frequenter imperf. verbi *possum*, praecipue in 1ª pers. *poteram.* Cf. ad II. 617.

156 „Modestia *cultus*" Marklandus sine causa.

157 „Submissa nimis" vulgo. Adscivi Heinsii lectionem (Advv. p. 165) qua nihil mutatur, nisi divisio vocabulorum. *Nimis* pro *valde* est comicorum (mitto *non nimis*), et in „nimium felices agricolae" Vergiliano et simili loco apud Haskins. ratio loquendi, non significatio, abhorret a vulgari, quasi „magis quam possint postulare", „nimis pro reliquorum sorte." *Nimis* ex sententia Mitylenaeorum accipit Cort., sed nihil opus hoc artificio. De plurali cf. II. 570.

Ib. *Turbae* corruptum puto; nam quod Hask. exempla affert, ubi turba (e. g. Latia) est pro exercitu sive multitudine, nihil agit, de hoc nemo dubitat: *nulli* offensioni est. Notum est uxorem et familiam praesidis subinde provinciae satis graves fuisse; inde corrigendum videtur TERRAE.

158 Genetivus qualitatis non rarus omnino, sed vulgo aut substantivo adhaeret, aut pro praedicato est, veluti „magni formica laboris", „quorum alter, Charisius multarum orationum (fuit)" Cic. Brut. 286; sed exemplum ubi genetivus qual. attributum sit subiecti omissi, ut nostro loco „(illa, Cornelia) stantis fati" frustra requiro. Apud Lucanum cf. VIII. 223: „aeterni Martis Aluni", 245: „placidi Colophon maris", praeterea Sil. It. I, 641 „fatiferae iuvenem dextrae", Cic. pro Rosc. Am. 6 (plurimarum palmarum), Fam. IX. 26 fin. (multi cibi hospes), Hor. Sat. I. 3. 33, Epist. I. 18. 10 (imi derisor lecti), Sat. I. 7. 7 (sermonis amari), Plaut. Most. 769 (magni oneris). Num „stantis adhuc <*uxor*> vixit quasi coniuge victo"? UXOR excidit ante UIXIT. Burm.: „hospita; *cursu* | stantis adhuc fati."

159 *Ignis* i. q. orbem igneum. Occidens sol dimidiatus conspiciebatur tam nobis, quam iis, qui *ἀντίχθονα* habitant, si qui sunt. Diligenter sententiam exploranti apparet pro *abscondit* et *exerit* tempus praeteritum requiri.

161 Scribo *Pompeii*; si una *i* ponitur, ea est simul consona, simul vocalis, efficit sola syllabam et simul iungit superiorem, quod nemo absque codd. probaret. Sed antiqui longam I habebant. Scribendi *adit, adici'* simm. alia est ratio.

162 sq. Omnia volutat animo; *curae adeunt* i. q. vertuntur in „Romani foederis urbes" foederatas civitates.

165 „Labor – odium – proiecit" Pompeius labore et odio motus proiecit. V. 167 subiectum mutatur: *consulit* sc. Pompeius.

Unde notet terras, quae sit mensura secandi
Aequoris in caelo, Syriam quo sidere servet,
Aut quotus in plaustro Libyam bene derigat ignis.
Doctus ad haec fatur taciti servator Olympi:
„Signifero quaecumque fluunt labentia caelo,
Numquam stante polo miseros fallentia nautas
Sidera non sequimur; sed qui non mergitur undis
Axis inocciduus, gemina clarissimus arcto,
Ille regit puppes. Hic cum mihi semper in altum
Surget et instabit summis minor Ursa ceruchis,
Bosporon et Scythiae curvantem littora Pontum
Spectamus. Quidquid descendit ab arbore summa
Arctophylax, propiorque mari Cynosura feretur,
In Syriae portus tendit ratis. Inde Canopos
Excipit, australi caelo contenta vagari,
Stella timens borean; illa quoque perge sinistra,

168 secundi T, **170** Syriam a, dirigit V, digerat B, derigat R, dirigat vulgo, ignes MA, ignis M corr., A corr. c. rell., **173** miseros — axis (175) l. Acron Hor. C. II. 16.3, tacitos u (man. 2), miseros in ras. M, **174** sequitur M s. s. *m*, quae Acron, **175** clarismus s. s. *si* M, arctos, reliqua omittens Acr., **177** surgit M (corr. ex surget), BERG, cheruchis UM, caerucis S, **178** bosphoron VUAR, **179** descendet AVME, descendit UGCB, **180** propiorque — feretur l. Lact. Theb. IV. 295, proprior[que] B, cinosura A R, **181** tendet AUB, tendit VMGb, rates A (corr. m. 2), **182** contempta T, **183** boream V, boreanVcorr.

171 *Scrutator* Bentl.

172 Stellas instabiles (*fluentes*) quae prope finitorem sunt, signa Zodiaci (*signiferi caeli*) non sequimur quod caelum (*polus*) numquam consistit. *Cautos* coniecit Heins. teste Cortio, Burmannus de auctore huius ineptae coniecturae dubitare videtur, dum referens de Cortio „virum doctum" sic coniecisse dicit. V. 175 *axis* est polus.

176 Qui septentriones versus vela dat, quotidie magis sibi instare polum septentrionalem videbit, qui meridiem versus, quotidie magis descendere ad horizonta, donec tandem meridionalis apparet et septentrionalis oculis substractus et mersus est. Ex hac observatione intellegenda haec (usque ad 183). Ceruchi sunt funes a summo malo demissi, quibus utrinque antenna (κεραία, steng) suspenditur: extremitates antennae designantur verbis „*summi* ceruchi." Iam finge te ad gubernaculum in puppi stantem: videbis septentrionem versus navigans trans culmen ipsum mali polum, trans fines antennae (summi veli, navis non nimis magnae) sidera polo proxima; minor Ursa instabit „summis ceruchis", imminebit extremae antennae. Locum vindicat a Scaligeri reprehensione Palmerius in Apologia pro Luc. in Oudendorpii editione, p. 938 (in delineatione illa linea e f nimis longa est). Vocabula *in altum* ad *surget* prorsus abundant nec peculiare indicium habent loci; summis ceruchis instat Ursa; oppositum requiritur: malo instat polus. Cf. 179 „descendit ab arbore summa". Quid si L. scripsit „*in alnum*", cf. Stat. Theb. V. 370 al. et *pinus* alibi. In Bosporum navigans quavis nocte magis culmini mali imminere videt polum. — „Ceruchi tremuli" Val. Fl. I. 469.

179 Descendit a malo summo arctophylax meridiem versus navigantibus cf. ad 176. Cum primum, quamvis paulum, occidit in Syriam tendemus. *Quidquid* cf. 365 (si lectio sana). De Cynosura Manilius I 300: „quam spatio tam luce minor, sed iudice vincit maiorem (Ursam) Tyrio." Magis intellegitur quod 181 de Canopo. *Tendet* Grotius.

183 *Pergo* dett. ap. Cort. vel metro suspectum cf. Muller[2] p. 416. Imperativus sequente ἀσυνδέτως futuro est forma condicionalis sententiae, = si perges a sinistra habens stellam Canopum (dextrorsum ver-

Trans Pharon in medio tanget ratis aequore Syrtis.
Sed quo vela dari, quo nunc pede carbasa tendi
Nostra iubes?" Dubio contra cui pectore Magnus,
„Hoc solum toto, respondit, in aequore serva,
Ut sit ab Emathiis semper tua longius oris
Puppis, et Hesperiam pelago caeloque relinquas.
Cetera da ventis; comitem pignusque recepi
Depositum. Tunc certus eram, quae littora vellem;
Nunc portum Fortuna dabit." Sic fatur; at ille
Iusto vela modo pendentia cornibus aequis
Torsit, et in laevum puppim dedit; utque secaret
Quas Samiae cautes et quas Chios asperat undas,
Hos dedit in proram, tenet hos in puppe rudentes.
Aequora senserunt motus, aliterque secante
Iam pelagus rostro nec idem spectante carina
Mutavere sonum. Non sic moderator equorum,
Dexteriore rota laevum cum circuit axem,

184 tanget — syrtim l. Prisc. 328.21 H, pharon *in U corr. ex* pharan, pharan B, syrte A, syrtem A corr. m. 2, tangit RCG, **187** ab aequore VRg, **191** litore M (litora m, rec. m.), **192** portus F, **194** levum M, puppim M, **195** quas — undas l. Prisc. 72.6 H, cautis e s. s. m. 2 MU, vulgo Asinae, sasinae ABE sasine Prisc. asino CGRT, asinae MVU, **196** rudentis M, **197** motus M, secantem aB_1, **199** so..num M, sonum A rell., **200** orbem mV, axem UAMG.

tens) in medio aequore (cursu maritimo) pervenies ad Syrtis, ultra Pharon (ad Canopicum ostium occidentale).

185 Ad obliquum ventum melius excipiendum tenditur velum dextrorsum aut sinistrorsum per funes, *pedes* dictos. Cf. Catull. 2. Duo sunt; *quis* pro *uter* I, 126, V. 602, VI. 810, VII. 259.

187 „Toto respondet *in* aequore serva" Contra usum *in* additum est a poeta, ne ultima verbi *respondit* producatur.

189 „*Hesperium pelagus caelumque*" Guyetus. Sed *pelago* est navigatione, cursu, *caeli* observatione.

193 Antenna (steng) cui adstrictum est velum, mobilis ipsa, in neutram partem inclinatur, ubi ventus secundus est, vento obliquo cum ipso velo per pedes dextrorsum aut sinistrorsum trahitur. *Cornua* sunt extremitates antennae, *aequa* sunt si antenna recta est. Mutato cursu navis cornua per velum et pedes trahuntur sic ut ventus postulat. *Puppim* v. 194 est: navem, v. 196 propria vi *puppe* positum. *Rudentes* = pedes. *Dedit* movit, laxavit *tenet* retinet.

195 *Asinae* ferri non posse iam Micyllus perspexit, iacet enim in aversa parte Peloponnesi occidentem versus; *Asiae* Micyllus Burm., quo cursus non definitur, cum sit lata et immensa; unus locus significatur; ostendit vocabulum *cautes*; Glareanus *Psyriae*; sed ea proxima Chio Hom. Od. III. 171; *Samiae* Beroaldus, Cortius, cf. v. 248, quod, cum s praecedat, satis probabile. Hosius cum Oud. tenuit *Asinae*, sed huius nulla ratio est, locus in Achaia plane est alienus. Glossa in M.: „Asino castellum Spartanorum." Dubium testimonium et Laconia longe abest. — V. 199 *sinum* Heins. Recte *sonum*, insonuerunt ab altera navis parte.

200 Dextera rota in circulum movetur, cum laeva axis pars (*laeva rota*) sit centrum (het rechter wiel beschrijft een cirkel met het linker eind van de as, dat bijna stilstaat, als middelpunt). „Non sic" i. q. non tam perite sive dexterius gubernator

Cogit inoffensae currus accedere metae.
Ostendit terras Titan et sidera texit.
Sparsus ab Emathia fugit quicumque procella,
Adsequitur Magnum, primusque ab littore Lesbi
Accurrit natus, procerum mox turba fidelis.
Nam neque deiecto fatis acieque fugato
Abstulerat Magno reges Fortuna ministros;
Terrarum dominos et sceptra eoa tenentis
Exul habet comites. Iubet ire in devia mundi
Deiotarum, qui sparsa ducis vestigia legit.
„Quando, ait, Emathiis amissus cladibus orbis,
Qua Romanus erat, superest, fidissime regum,
Eoam tentare fidem, populosque bibentis
Euphraten, et adhuc securum a Caesare Tigrim.
Ne pigeat Magno quaerentem fata remotas
Medorum penetrare domos Scythicosque recessus,
Et totum mutare diem, vocesque superbo
Arsacidae perferre meas: „„Si foedera nobis
Prisca manent, mihi per Latium iurata Tonantem,
Per vestros adstricta magos, implete pharetras,
Armeniosque arcus Geticis intendite nervis.

201 moetae V, **202** totan M_1, **204** ab GR, *rell.* a, **205** natos M_1, gnatus V, occurrit O *vulgo*, **207** regesque [fort.] ministros B, faventes U (ministros u), **210** quis c, **211** emathias M_1, **212** qua *corr. in*: qui R, **213** bibentis M, **214** tigrin *corr. in* — im. M, tigrim AVUG, **215** nec m, **219** mihi — tonantem l. Prisc. 485.4 H, iura M (ta s. s. m. 2), **220** asstricta VU, impleta A, impletae a, **221** l. Iordanes Getic. V. 43.

quam auriga, quamvis prudens. Comparationes per *non: non sic* VI. 648, VI. 293; *non aliter* VII. 144, *non altius* IX. 460, sic etiam *non tantum* (*tot, tam*) II. 152, III. 284, IV. 297 ut iam mittam per *haud* annexa comparativa.

204 „*Ab* littore" etiam deteriores aliquot ap Cort., qui recepit. Scribendum est *ab* quotiescunque sequitur littera, ante quam in compositis manet. Huius legis vestigia, quae in codd. exstant, non oblitteranda.

205 *Accurrit* commendat Burm. ex Langermanensi pro vulgato *occurrit*. A Lesbo profectus filius non potuit *occurrere* Pompeio, qui eandem insulam reliquerat.

210 *Sparsa* minus aptum ubi de mari agitur; constans quaedam formula est, in qua facile primitiva significatio „quiescit".

215 Minus recte Cortius „*Magno* est pro Magno, ut Magnus in sua fata redeat"; et Hask. „seeking succes for Magnus"; *quaerere* i. q. te exponere fatis; *Magno,* ut Pompeio opem feras. *Penetrare* = permeare, perscrutari; natura transitiva et usus verbi optime ex Plauto (Brix ad Trin. 146) et Tacito (cf. lex. Tac. „animum, Tiberium penetrare") cognoscitur, qui etiam passivum habet.

217 *Notum* malebat Heins. Sino causa. „Totum diem (i. e. solem) mutare" est totum solis cursum diurnum, ut ortus solis sit die toto post ortum Graeciae et Italiae; sol in oriente remoto oritur cum occidit in coelo occidentali. *Mutare* est mutuum sumere pro eo quod amisisti (reliquisti). Hor. I. 11, 27 Epist.: „caelum non animum mutant qui trans mare currunt." *Arsacidae* (218) regi Parthorum cf. I. 108.

221 „Armeniosque" rell. i. e. Armenios

Si vos, o Parthi, peterem cum Caspia claustra
Et sequerer duros aeterni Martis Alanos,
Passus Achaemeniis late discurrere campis
In tutam trepidos numquam Babylona coegi
Arva super Cyri Chaldaeique ultima regni,
Qua rapidus Ganges et qua Nysaeus Hydaspes
Accedunt pelago, Phoebi surgentis ab igne
Iam propior qua Persis eram — tamen omnia vincens
Sustinui nostris vos tantum deesse triumphis,
Solus et e numero regum telluris eoae
Ex aequo me Parthus adit, nec munere Magni
Stant semel Arsacidae; quis enim post volnera cladis
Assyriae iustas Latii compescuit iras? —
Tot meritis obstricta meis, nunc Parthia ruptis
Excedat claustris, vetitam per saecula ripam,
Zeugmaque Pellaeum. Pompeio vincite, Parthi,
Vinci Roma volet'''. Regem parere iubenti
Ardua non piguit, positisque insignibus aulae

222 porti M_1, regna mABgT (claustra a), **223** martes M_1, **224** achemeniis corr. in achim. M, decurrere AGMV, decurre BU, **227** qua — igne (228) l. Isidorus XIII. 21. 12, qua Medus hyd. Is., Niseus A, **228** accedit Is., **229** propios B, proprior M, quam O vulgo, **230** desse M (e s. s. m. rec.) A (*m.* 2 e *add.*), **231** solusque AG, **232** ex quo M (e s. s. m. rec.), partus M, **237** zeumaque MBCEAU, **238** valet A (volet a), velit c, regi U.

et Getas vobis adiungite. *Armenius* pro Parthicus (Burm.) h. l. otiosum esset epitheton.

222 „Si vos" obtestandi formula continuatur usque ad v. 235 ubi sequitur apodosis praemissa „resumptione" „*tot meritis obstricta meis*".

Ib. „Caspia claustra" *Κάσπιαι πύλαι* Graecis. Alanorum (223) haec vetustissima mentio videtur; eos non debellasse Pompeium dicunt veteres intpp. ap. Oud., sed ne sequitur quidem e verbis; *sequerer* i. q. peterem, non attingerem. *Babylon* (325) h. l. caput Parthorum dicitur, quo se reciperent bello pressi; cf. I. 10, VI. 50.

226 *Super* i. q. ultra: „Chaldaeum regnum" post „Babylona" vix eandem urbem significare potest; voluit fortasse Mediam.

229 *Qua* pro vulg. *quam* mihi necessarium videtur; *Persis* = quam Persae: qua (quo loco) iam propius aberam a sole surgenti, quam Persae sunt. Inepte Pompeius se *regioni* Persarum compararet, et praeterea nullo vinculo haec cum superioribus cohaerent, si *quam* legitur. Nunc post *eram* demum *παρενθετικῶς* aberrat oratio. Grandiloquentia in utraque lectione eadem est.

232 *Ex aequo* est quod Thucydides saepius *ἀπὸ τοῦ ἴσου* (op voet van gelijk).

233 „Cladis Assyriae" quam Crassi ad Carrhas passi sunt. Legiones propter bellum Parthicum a Caesare commodatas retinuit Pompeius.

236 „Ripam" dextram Euphratis. Cohibebantur Parthi sinistra ripa; excedebat *datam* per saecula ripam.

237 *Zeugma* ad Euphratem urbs, ubi Alexander Euphratem traiecit ponte iuncto, Eratosthenes apud Strabonem XVI. 21, Plin. N. H. XXXIV. 150, V. 90; prope Thapsacum situm a loco, ubi iunguntur Euphrates et Tigris aberat stad. MMCCCC.

238 *Vovet* Heins. Advv. p. 165. Non assequor cur.

Egreditur famuli raptos indutus amictus.
In dubiis tutum est inopem simulare tyranno.
Quanto igitur mundi dominis securius aevum
Verus pauper agit! Dimisso in littora rege,
Ipse per Icariae scopulos Ephesonque relinquens
Et placidi Colophona maris spumantia parvae
Radit saxa Sami; spirat de littore Coo
Aura fluens; Cnidon inde fugit claramque relinquit
Sole Rhodon, magnosque sinus Telmessidos undae
Conpensat medio pelagi. Pamphylia puppi
Occurrit tellus, nec se committere muris
Ausus adhuc ullis, te primum, parva Phaseli,
Magnus adit. Nam te metui vetat incola rarus,

240 famulo aU, famuli AMVG, famulis BE_1(MStht), ruptos AE_1, raptus a, rumptos T, *raptas* M, **241** tirannum U, **243** demisso M_1ABET, litore AEG, **244** ephisonque M_1A, efferumque B, ephesumque abVU, **246** littore choo U, eoo V, **247** nidon AB, reliquit ABUT, relinquit VMG, **248** temessidos VCGR, **249** medios B_1, phamphilia M (corr.: pamphilia) A, **250** comittere U, **251** phaselis MVUG, phaseli AB, phasele bT, faselo C.

240 *Famulo* Heins. Advv. p. 165 et Burm. ex S. Germ. *Famuli* praestat auctoritate et sententia, ridiculum est regem fingere servo vestem per vim abripientem. *Raptos* fere = raptim. *Ruptos* non est latinum; *scissas* et *laceras* et *tritas* vestes dicunt Latini, *ruptum* pontem aut funem aut asseres. Ceterum quae Burm. contra hunc famularem habitum et praeterea affert, assis non sunt; rationis Lucaneae oblitus plane est.

241—243 Spurios iudicant Heins. Schrad.; multo tamen minus offendunt quam V. 527 sqq.: „o vitae tuta facultas | pauperis."

243 *Demisso* Cort., male.

244 *Relinquens* vitans, nisi forte Ephesum appulerat, sed cf. 247. *Icarii* sine idonea causa Burm. Schrad.

245 De genetivo qualitatis cf. ad 158.

247 *Gnidos* pro *Cnidos* mihi omnino suspectum est; *gn* pro *cn* est consuetudinis Latinae ut *Gnaeus* et *Cnaeus* alternant, *Caius* et *Gaius*, est hoc repetendum ab eo tempore, quo pro litteris C et G unam formam habebat sermo Latinus. Hoc vero si ad nomina Graeca extenderunt, ut pro K Graeca promiscue *c* aut *g* ponerent male egerunt. Utique *g* et *c* in bonis codicibus Lucani (A et M) alternant, qui *Grassus* subinde pro *Crassus* usurpant. Ceterum vocabula propria sic in codd. corrumpuntur, ut sine necessitate iis non fidendum sit; quoties Graeca nominis forma nota est, sequimur Graecum. Pro „aura *fluens*" Heins. *favens.* Burm. affert Lucr. I. 281 „nec ratione fluunt (venti) alia". — „Clarum *sole*" i. q. templo solis s. Phoebi.

249 *Conpensat* vitat breviore via per medium mare. Magis usitatum *conpendium viae* i. e. brevior via quae compensat (aequat) longam. Originem usus ostendit Seneca Hipp. 83 „hac, hac pergam qua via longum conpensat iter." „Medio pelago" Weis.; saepius *medium* substantive apud Lucanum, quod genetivus additur explicandum est e more poetarum et argenteae aetatis qua *ardua viae* et simm. dicebant; „media maris" nemini mirum videretur. Ante Grotium *med. pel.* iungebatur cum sqq.

251 Phaselis iacet in extrema Cilicia et olim commercia exercebat cum Atheniensibus: cf. [Demosthenes] in Lacritea. Vid. „F. de Haan, annot. ad Demosthenis quae fertur Lacriteam Leovardiae 1892". Anno 66 receptaculum erat piratis, quibuscum commercia habebat. Cic. Verr. IV. 21. Ceterum omnia quae ad cursum, quem a Lesbo in Pamphyliam P. tenuit, pertinent, pro poeta satis diligenter exsequitur: tantum non apparet, cur Samum potissimum *parvam* dicat v. 245.

Exhaustaeque domus populis; maiorque carinae,
Quam tua turba fuit. Tendens hinc carbasa rusus
Iam Taurum, Tauroque videt Dipsunta cadentem.
 Crederet hoc Magnus, pacem cum praestitit undis
Et sibi consultum? Cilicum per littora tutus
Parva puppe fugit; sequitur pars magna senatus
Ad profugum collecta ducem, parvisque Syhedris,
Quo portu mittitque ratis recipitque Selinus.
In procerum coetu tandem maesta ora resolvit
Vocibus his Magnus: „Comites bellique fugaeque,
Atque instar patriae, quamvis in littore nudo,
In Cilicum terra, nullis circumdatus armis
Consultem, rebusque novis exordia quaeram,
Ingentis praestate animos; non omnis in arvis
Emathiis cecidi, nec sic mea fata premuntur,
Ut nequeam relevare caput, cladesque receptas
Excutere. An Libycae Marium potuere ruinae
Erigere in fasces et plenis reddere fastis,

253 exaustaeque M, **254** om. R, hic (n s. s. m. 2) MAT, rusus (r. s. s. m. 2) MA, rursus rell. vulgo, **255** *vid*et M, dipsunte V, dipsunat c, dipsanta UG, dissepta *a*, dipsompta E, dipsonta T, dipsumpta (u in a corr. m. 2) MA, dissumpta B, cadente A, **256** credidit U, cum p. U, **257** cicilicum M_1, **259** *syne*dris MVU, synnedris C, sinedris AC (ad v. 260) BE (i *prior ex* e), syndris a, filibris b, **260** quo A, quo SG, mittique a, silinis ABT, selynis aG, selicinis R, selinis M, **264** terre M_1, circumdatis M_1, **265** rebusque meis MAGTV, novis maUg, **266—344** om. R, **266** praestate animos M, armis MTR (arvis r) g, **267** ne M_1, **268** ne quem (a s. s.) MB, nequam C, **270** fatis aT_1, factis C.

254 *Rusus*, forma ex antiqua latinitate nota, cf. Mnem. XIX. 32.

255 *Dipsunta,* ex hoc primitivo omnis varietas in codd. explicari potest praeter *Dipsanta,* sed litterae *a* nullam rationem video; nomen fluvii si fuit *Διψήεις*, accusativus *Dipsaenta* vel *Dipsinta* esset, non *Dipsanta*. Sed *Dipsunta* respondet vocabulo Graeco *Διψόεις -οῦς*, gen *-οῦντος*. *Dipsanta* Schol. Voss., qui a *δίψα* ducit („ab undis sitientibus"). Fluvius alibi non commemoratus.

257 „Et sibi consultum (esse)" quod „parva puppis" nunc a praedonibus Ciliciis non infestatur. Heins. „Crederet, his M." Advv. p. 165.

259 *Syedris* vulgo, *Syhedris* Usener, pro codd. lect. *Synedris*, sed hoc nomen incognitum. *Hedris* (abl.) libri Flor. II. 13.51, IV. .51 D, ubi Salm. corr. Syedris, Rossb. recepit *Syhedris*. *Σύεδρα* (*τά*) Strabo XIV. 669, urbs in Cilicia, haec teste Lucano Selinunti pro portu erat. *ΣΥΕΔΡΕΩΝ* nummi, cf. intpp. ad Flor. l. l.

265 Sine dubio praestat U, *novis* praebens. Pompeius non exordiebatur res suas nunc, sed instaurabat, denuo suscipiebat. Cf. Hosius l. l. *Ingentes* (266) ut saepe intrepidos, a prima significatione (summa quaeque appetentes) paululum deflexum.

269 De Mario cf. supra II. 70.

270 „Plenis et" Burm. Cort. Weis. Quam elegantiam non est quod Lucano obtrudas, ut saepe contra libros factum est. Cf. supra ad 49, Trampe p. 64. — Sententia est plana: fasti figurato aut hyperbolice Marii (eius sex consulatuum) *pleni* fuisse dicuntur, septimo post exilium nomen eius rursus fastis datum (*reddere*), quo eius fama crevit (*erigere*). Nihil agit Burm. „senis reddere fastis" aliquando cogitans. Heins. Advv. p. 165 *fatis*.

Me pulsum leviore manu Fortuna tenebit?
Mille meae Graio volvuntur in aequore puppes,
Mille duces; sparsit potius Pharsalia nostras,
Quam subvertit, opes. Sed me vel sola tueri
Fama potest rerum, toto quas gessimus orbe,
Et nomen quod mundus amat. Vos pendite regna
Viribus atque fide, Libyen, Parthosque, Pharonque,
Quemnam Romanis deceat succurrere rebus.
Ast ego curarum vobis arcana mearum
Expromam, mentisque meae quo pondera vergant.
Aetas Niliaci nobis suspecta tyranni est,
Ardua quippe fides robustos exigit annos.
Hinc anceps dubii terret sollertia Mauri:
Namque memor generis Carthaginis impia proles
Imminet Hesperiae, multusque in pectore vano est
Hannibal, obliquo maculat qui sanguine regnum,
Et Numidas contingit avos; iam supplice Varo

271 pulsum OEBC, leviora AB, **274** tueri MbugV, iuvare mABEUGT, **275** qui B_1, **277** libiam M, lybiam AG, **278** quemnam M, quem non ABET (nam a), quaenam VU, **279** vobis aMVUG, proceres BEAg, meorum M_1, **280** exponam ABGTProv., ex^{o}.pinam M, pondere A, vergam m, versant A (vergant a) B_1, **282** l. Aldhelmus p. 253.17 G, **283** terra B, solertia M_1, **285** vano[est] M (est *add. m.* 2,) vano est BAEVUG, **286** obliquo — avos (287) l. Lact. ad Stat. Theb. V. 122, **287** numides Lact.

271 *Pressum* pro *pulsum* tres codd. Bersmanni et editiones ante Oud. *Pulsum* (expulsum; quassatum minus recte Oud.) non plane satisfacit; quid enim *tenebit*? Apud se? At fortuna ubique est; sententia postulat fere *premet*, sed id vocabulo *tenere* non exprimitur. Num vult „carcere claudet"? Vocabulum non est aptum. Suspicor veterem lectionem fuisse PESSUM. Cum eo convenit „*leviore* manu", nam *pondere* quis mergitur. „Num facilius (*leviore manu*) me mersum tenebit?" *Pessum* usurpavit poeta III. 674 „sidentia *pessum* | corpora caesa *tenent.*" Nos:ònder houden, cf. etiam v. 616. In *pessum dare dare* est i. q. movere.

277 „Viribus atque fide" ablativus normam indicans: „secundum singulorum vires atque fidem." Iubam, Parthos, Aegyptum vult. Seq. versu *quemnam* iure praetulit Cortius, Hos. olim *quaenam.*

282 Non plana sententia. In proverbium fere abiit levitas iuventutis; sed quae difficilia sunt (*ardua*) alliciunt iuvenes. Illud *ardua* est ornans epitheton; fides semper ardua dicitur.

286 „Obliquo — avos" (287). Post *Hannibal* tam insigni loco in versu positum, *qui* vix potest alio referri. Non tam quaerendum, quid historia doceat, quam quid verba Lucani significent. *Qui* non potest ad Iubam (v. 284 sq.) referri post interposita verba „multusque—Hannibal." Hoc dicit poeta: Hannibal a materno genere maculat regem Iubam et affinis est Numidis, avis Iubae. Unus avorum Iubae duxit Hannibalis filiam aut cognatam et Masinissa et reges reliqui Numidiae affines sunt Hannibalis. Multis de gente Iubae h. l. egit Burm., quae quamvis docta ad interpretationem non conducunt. — Ceterum *regnum* pro *reges.*

287 „Supplice Varo". Imploravit Varus opem Iubae cf. IV. 666—670, Liv. Ep. CX. Curio Varum profligaverat Iubae socium cum ipse a Iuba victus est. Accidit eodem tempore quo bellum Afranianum et Massiliense Caes. Civ. II. 23. Eo igitur quin pertineant „viditque—secundo" (288), tempora non obstant (ut putat Cort.).

Intumuit, viditque loco Romana secundo.
Quare agite, eoum, comites, properemus in orbem.
Dividit Euphrates ingentem gurgite mundum,
Caspiaque inmensos secludunt claustra recessus,
Et polus Assyrias alter noctesque diesque
Vertit, et abruptum est nostro mare, discolor unda,
Oceanusque suus. Regnandi sola voluptas.
Celsior in campis sonipes et fortior arcus,
Nec puer aut senior letales tendere nervos
Segnis, et a nulla mors est incerta sagitta.
Primi Pellaeas arcu fregere sarisas,
Bactraque Medorum sedem, murisque superbam
Assyrias, Babylona, domos. Nec pila timentur
Nostra nimis Parthis, audentque in bella venire,
Experti Scythicas Crasso pereunte pharetras.
Spicula nec solo spargunt fidentia ferro,
Stridula sed multo saturantur tela veneno.

289 l. Aldhelmus p. 231.24 G (519 M), eo . um M, **290** ingentem MvU, **291** l. Lact. Theb. VIII. 291, inmenso Lact. ducunt a seducunt rell. vulgo, secludunt Lact. recessu Lact., castra B, **293** adru . ptum [est] MG, abruptum est BEAVU, **294** voluptas ATVUM, voluntas G, **295** campo MAUT, campis VG, **297** sagittas b, **298** l. Lact. Theb. VII. 269, peleas MA_1B, pebleas C, sarisas VUM, **299** bractaque G, **302–304** om. B, add. b, **302** grasso M_1A, sagittas mb, f(ph)aretras AMBEVUL *pharetras* G, **303** l. Servius Dan. A. XII. 857, fidutia Serv., **304** stri . . . dula M.

290 *Ingenti* Grotius, rell. edd. usque ad Cortium. *Ingens ubi* Schrad., sed haec graviora quam ut additamenti loco superioribus adhaereant; *incipit* Pompeius extollere mundum illum paucis notum.

291 *Secludunt* e Lactantio recepi. *Claustra* non *seducunt* sed *secludunt*. Nec si participia *reducta* (*vallis* Verg. A. VIII. 609, Hor. C. I. 17. 17) et *seducta* (*spelunca* Stat. Theb. II. 411, 125 K) ponuntur pro *remotus, semotus*, inde sequitur omnes promiscue formas verbi sic in usu fuisse. CL et D vix diversa in unciali et minuscula.

292 *Aliter* Cort., non opus; „caelum *alterum* (situs australis) mutat dies et noctes (auget et minuit)" eodem redit atque *aliter*. De *polo* propria sign. non agitur.

293 Distinxi post *mare*; non abruptum est colore mare, sed abruptum, et praeterea *discolor unda*, in quo ad nomen *Rubrum* alludit, quod inditum quia imperiti rubere aquas credebant, cf. Heitland ap. Hask.

294 „Regnandi sola voluptas" i. q. regnare sola voluptas, voluptas regnandi sola est ibi vol. *Regnandi* habet emphasin. *Pugnandi* Guyetus.

295 „Celsior *it*" Heins., „fortior *armos*" vel *artus* Dorvill.

299 „Bactra Medorum sedem" vix recte, quamquam fieri potest ut ad Bactrianum regnum Theodoti pars pertinuerit a Medis olim obsessa; sed haec in poeta Romano non ad vivum resecanda sunt.

300 „Assyrias – domos" nomen, cuius appositum efficiunt, includunt, vid. ad V. 800, infra 343.

303 „Spicula—*fidentia* ferro". Nemo haesit et tamen *fidentia* tela ferro admodum insolens; ex *sidentia* corruptum esse suspicor. „Vulnus sidit" i. q. penetrat. Ov. Fast. I. 576 „(clara) ter quater adversi sedit in ore viri." Inde „vulnera sedent" i. q. *sederunt* (perf. a *sido*) supra I. 32. Et saepissime in perfecto; nubem exemplorum habet Heins. ad Fast. 1 l. Participium praesens Lucanus VII. 791 „sidentis in tabum spectat acervos." S et F facile confundi nemo nescit. (His iam scriptis video Thuan. ap. Burm. idem habere).

Volnera parva nocent fatumque in sanguine summo est.
O utinam non tanta mihi fiducia saevis
Esset in Arsacidis! Fatis nimis aemula nostris
Fata movent Medos, multumque in gente deorum est.
Effundam populos alia tellure revolsos,
Excitosque suis inmittam sedibus ortus.
Quodsi nos eoa fides et barbara fallunt
Foedera, volgati supra commercia mundi
Naufragium Fortuna ferat; non regna precabor,
Quae feci; sat magna feram solacia mortis
Orbe iacens alio, nihil haec in membra cruente,
Nil socerum fecisse pie. Sed cuncta revolvens
Vitae fata meae, semper venerabilis illa
Orbis parte fui. Quantus Maeotida supra,
Quantus apud Tanain toto conspectus in ortu!
Quas magis in terras nostrum felicibus actis
Nomen abit, aut unde redît maiore triumpho?
Roma, fave coeptis, quid enim tibi laetius umquam
Praestiterint superi, quam, si civilia Partho
Milite bella geras, tantam consumere gentem,
Et nostris miscere malis? Cum Caesaris arma

308 [que] R, **309** revulsus a, **311** fallent M, fallunt BAECmG, **312** vulganti A, vulgantis B, vulgati E, **314** fecit c, sat *corr. in*: sed MVG, sat ABU, solacia M, **315** alio *add. m. ant.* V, nihil O, cruenta AB_1, **316** resolvens B_1, **318** maeotides M_1, **319** tanaim VU, tanain RGM, **320** astris.actis T, **322** *fave* M, favet a, **323** restiterint M_1, **324** consummere M, geris U_1.

305 Melius quam *nocent* est Bentleianum *necant.* „In sanguine *summo*" i. q. subcutaneo; oppositus sanguis interior, *περικάρδιος* vel arteriarum.

306 *Rerum* pro *saevis* substituit Bentl.

308 Apparet, quid hoc loco dicendum sit ex praegressis „fatis aemula nostris fata", nempe: aeque ac nos religiosi sunt; fatis aguntur ut nos; „multum in gente ea dei sunt", multum valent dei; fiducia deorum eos confirmat, eodem favore deorum gaudent. Sed verba sunt obscura et corrupta. Cf. IX 522.

309 sq. Spurios iudicat Cort. quia locus in quem immittatur ortus non additur, qui tamen facile a legente suppletur. Multo audacior Guyetus versus 297—310 proscribit.

311 *Fallent* Heins. Omissa etiam auctoritate praefero *fallunt*, sequente voto, quod iam nunc instat.

313 „Naufragium" meum i. q. me naufragum, inteream; *sat* (sic 314 legendum Heins. p. 165, Burm. Hos.) mihi erit, si corpus a ludibrio Caesaris vindicaro. *Precabor* precibus adibo (non: petam mihi).

316 *Pie.* Ne pietatem quidem soceri optat; solatium erit si non pius fuerit.

324 Heins. apud Burm.: quam si — geras? *Stat* tantam *absumere* gentem." Videtur offensus esse eo quod post interrogationem negativam (*quid enim?* = *nihil enim*) sequitur *quam* c. inf. pro *quam ut*, quod duriusculum accedente condicione. *Consumere* non recedit a vulgari significatione.

Concurrent Medis, aut me Fortuna necesse est
Vindicet, aut Crassos". Sic fatus, murmure sentit
Consilium damnasse viros; quos Lentulus omnis
Virtutis stimulis et nobilitate dolendi
Praecessit, dignasque tulit modo consule voces:
„Sicine Thessalicae mentem fregere ruinae?
Una dies mundi damnavit fata? secundum
Emathiam lis tanta datur? iacet omne cruenti
Volneris auxilium? solos tibi, Magne, reliquit
Parthorum Fortuna pedes? Quid transfuga mundi
Terrarum totos tractus caelumque perosus
Aversosque polos alienaque sidera quaeris,
Chaldaeos culture focos et barbara sacra,
Parthorum famulus? Quid causa obtenditur armis
Libertatis amor? Miserum quid decipis orbem,

326 concurrunt A, **327** gras eos corr. in: cras sum M, crasso A_1, crassus B_1, sentit MaGVU, sensit ART, **331** sicine (c altera s. s. m. 2) MVG, & he(s)salicae M, thessaliae T, **332** secundum — datur (333) l. Prisc. II. 27.3 H, **333** *lis* M, **336** *versum omissum in marg. ponit* G, **337** atversosque A, aversosque VUMG, **338** caldeos M, deos aR, focos AMGrVU, **339** partorum (sine h ut semper) M, causae b, ostenditur G_1.

326 „Aut me — vindicet" nempe si ego superior fuero (poenas tunc pro me a Caesare repeteret) „aut Crassos" si ego occidero. Tunc enim cum eo Parthi vincerentur quasi inferiae Crassis.

329 „Nobilitate loquendi" pro *dolendi* Waddelius. Male. I. q. nobili s. generoso dolore (verontwaardiging).

330 Vere Oud.: „modo consule" dignas, eo qui modo consul fuerat cf. V, 44, ad VII. 217. Adverbium pro attributo: „nunc hominum" Plaut. Pers. 385, „concubitus furtim" Tib. II. 5. 53. Livius: „quondam postulatio" XXIII 6, „exprobrantes suam quisque alius alibi militiam" II 23, „caede utrinque" II. 64. 5, „materia ingentis publice privatimque doloris" I. 393, denique „iterum, tertium consul" rell. huc quoque pertinent.

332 „Damnavit" infortunio mactavit. *Secundum* verbum forense praecipue post: ius, sententiam dicere, pronuntiare. Contracta ratio loquendi i. q. secundum votum vel commodum alicuius.

335 „Parthorum pedes" pernicitatem Parthorum, sive Parthos fuga nobiles. Acerbe ignominiosum genus bellandi significat. Minus probanda alia explicatio: „pedes ad quos supplex accidas."

Ib. „Transfuga mundi" nempe huius. Genetivus defenditur usu eiusdem casus post *exul*: „patriae quis exul" Hor. C. II. 16. 19, „exul mundi" Ov. Met. VI. 189, „exul mentisque domusque" IX. 409. Statius Silv. I. 2. 203 de Arethusa: „transfuga Pisae."

336 *Notos* pro *totos* Heins. *Totos* defendit Heitland, Cl. R. 1895 p. 195[a] collato 217 supra (cf. tamen annotata), IX. 495 (ubi tamen *tota* habet vulg. significationem), V. 107 (loco corrupto vid. ib.), ut *totos* sit i. q. prorsus. Mihi *notos* arridet; sed retinui *totos*; explico „omnem ambitum terrarum."

337 „Aversos polos" i. q. polum australem, commendavit Gronovius ad Sen. Med. 10. *Adversus* est a fronte oppositus, *aversus* in contrarium versus (et inde: alienus, hostilis). Gronovio obsecuti sunt Oud. et sqq. praeter Weis.

338 *Focos*, ad focum sedet supplex, etiam apud orientales (vid. Nep. vit. Them.), est igitur imploraturo focos, i. e. Parthos ad focum. De ignis cultu Persico, ut aliis placet, interpretari mihi coactum videtur.

Si servire potes? Te, quem Romana regentem
Horruit auditu, quem captos ducere reges
Vidit ab Hyrcanis, Indoque a littore, silvis,
Deiectum fatis, humilem fractumque videbit,
Extolletque animos Latium vesanus in orbem,
Se simul et Romam Pompeio supplice, mensus?
Nil animis fatisque tuis effabere dignum;
Exiget ignorans Latiae commercia linguae,
Ut lacrimis se, Magne, roges. Patimurne pudoris
Hoc volnus, clades ut Parthia vindicet ante
Hesperias, quam Roma suas? Civilibus armis
Elegit te nempe ducem: quid volnera nostra
In Scythicos spargis populos, cladesque latentis?
Quid Parthos transire doces? Solacia tanti
Perdit Roma mali, nullos admittere reges,
Sed civi servire suo. Iuvat ire per orbem
Ducentem saevas Romana in maenia gentes,

341 potest ex q. B_1, ex quem A (te quem a), **342** auditu OB, **343** ab l. G, **344** debit (vi s. s.) M, **345** vaesanos M_1, **346** l. Prisc. 354.19 H, mensos a, **347** effavere M, **351** qua A, **353** i scythicos (n s. s.) M, **354** solacia (per c semper) M, solatia A, **355** amittere F.

341 „Quem Romana regentem horruit auditu" sic interpretantur vulgo ut *horruit auditu* unam efficiant notionem, quasi: „cum horrore audiit". Aut emendant ut Grotius: *auditum*: „quem auditum regentem horruit" i. e. „quem cum audivisset regentem horruit." Implicata structura, qua participium a participio pendet. Sed prius quoque parum commendabile; non enim recte dicitur „audiit regentem" de fama; ubi *audio* est: comperio (rumor ad me fertur) participium non usurpatur. Nemo nescit. Accedit quod subiectum male reticetur; quis audivit? Erat addendum. Faciunt haec ut *auditu* corruptum putem et nomen latere audientis. Conicio: *Arsacides*; is horruit Pompeium regentem res Romanas. Ad *regere* cf. IX. 1075. Horrere c. acc. octies Luc.; VII. 428 „ut Latios non horreat India fasces." — Causa tamen corruptelae non perspicua, nisi quod propria semper susque deque habent librarii. Quare in textu nihil mutavi.

343 „Indoque a littore *vulsos*" Schrad. Non probandum videtur; *Indoque a littore* accessionis loco interponuntur et per momentum tardatur expletio orationis per ambages, quae mihi a versu et syntaxi Lucanea non aliena videntur. Compara ad III. 679 et V. 800. Oud. confert Manilium 419 „discordes vultu, permixtaque corpora, partus." Burm.: Vidit ab Hyrc. Indorum *limite*, silvis."

344 Heins. adscripsit „fractumque humilemque."

345 sq. Aspirabit in imperium orbis Romani, ex supplicatione Pompeii (supplice Pompeio) efficiens quanto sit ipse superior, quanto inferior Roma. Sen. de Ira III 7: quotienscunque aliquid conaberis te — ipse metire." Hor. Epist. I. 7. fin. „metiri se quemque suo modulo ac pede verum est." Mensura sive modulus, ad quem suas vires exigit h. l. est Pompeii calamitas.

354 Burm., sublata distinctione ante hunc versum, „(clades) *ad* Parthos transire doces?" i. e. innotescere Parthis. Sic iam Guyetus. Cortius distinctionem post *latentes* similiter sublata, reliqua intacta omittit, „clades *latentes*" interpretatus de Crassorum clade nondum Parthis omnibus nota (!), *transire* ut sit superare. *Transire* Schol. Voss. „latius spargi" interpretatur. His conaminibus praestare vulgaris interpretatio videtur sc. Euphraten vel: ad nos; cf. *admittere* v. 355.

Signaque ab Euphrate cum Crassis capta sequentem?
Qui solus regum fato celante favorem
Defuit Emathiae, nunc tantas ille lacesset
Auditi victoris opes, aut iungere fata
Tecum, Magne, volet? Non haec fiducia genti est.
Omnis in arctois populus quicumque pruinis
Nascitur, indomitus bellis et mortis amator.
Quidquid ad eoos tractus mundique teporem,
Labitur; emollit gentes clementia caeli.
Illic et laxas vestis et fluxa virorum
Velamenta vides. Parthus per Medica rura,
Sarmaticos inter campos effusaque plano
Tigridis arva solo nulli superabilis hosti est
Libertate fugae, sed non, ubi terra tumebit,
Aspera conscendet montis iuga, nec per opacas
Bella geret tenebras incerto debilis arcu,
Nec franget nando violenti verticis amnem,
Nec tota in pugna perfusus sanguine membra

358 l. Prisc. 349.3 H, *crassis* M, sequentes Prisc. T, **359** celante furorem v, **360** illa A_1, tante sylla B_1, lacessit BC, **365, 366** l. Serv. Georg. I. 57, ėos (s.s. o) M, tēpore c, **366** ibitur Serv. MABE (ex corr. m. 1) UT. **367** *post hunc versum inscritur* velamenta vides et fluxa virorum *punctis subducta a m.* 2 AB corr. ab, **368** media B, moedica V (ut saepe), **370** arna A arma B_1, osti M_1, **372** ne c, **373** gerat c, **374** l. Acro C. I. 8. 8, frangit Acro, verticis AVUgTMR (*perpetuo*) – vorticis a, gurgitis G, **375** *versus in marg. m.* 3 M.; *idem in fine pag.* (39us) *manu* 2ae *coaeva de qua cf.* IX. 253 *sq. adscriptus,* totum AB_1EG, tum T.

358 *Euphratē* hoc loco confirmant metrici, incertum documentum, cf. ad I. 642. Guyetus legit *ad Euphraten*, iungendum cum *capta*. Non opus. Ab Euphrate movens sequeretur signa Parthorum, eadem quae olim Crassis erant erepta. *Ferentem* Burm. *Sequentes* in T non male: „gentes saevas et sequentes signa.". Sed minime praestat.

359 Quamdiu eventus dubius (*fato cel. fav.*) periclitari noluit, nunc cum debiliore et attrito Pompeio arma non iunget, non potentioris victoris iram movebit. *Emathiae* dativus: aciei Pharsalicae.

364 „*Martis* amator" cum Grotio Oud., quod, si optio daretur, praeferrem. Mortem amant Druidae religione I. 461, Volteius et Scaeva in ipso pugnae furore VI. 246, IV. 506. Nimium videri possit quod totus populus ipsa sua natura mortem amat, sed cf. IV. 146: „(populos) semper in arma mortis amore feros".

366 *Vergitur* pro *labitur* Heins., levius distinguens, ut vulgo, post *vergitur* (*labitur*) et continuans: *teporem vergitur; ibitur* Hos. ut M sua fides constaret, sed φ h. l. praestat classi μ, nam nulla ratio est futuri. *Labitur* tenui, distinctione mutata, i. e. debilitatur, degenerat, ut Verg. IV. 318 „lapsa domus", mores labi dicuntur, simm. *Quidquid* sc. *nascitur* e versu 364. — Vulgo interpretantur: quidquid (caelum sc.) labitur ad eoos tractus, emollit clementia caeli (cf. supra 179). In quo male habet: *quidquid labitur* (quantumcunque, quamvis exiguum) quasi lapsus caeli *etiam minimus* statim enervaret gentes.

370 „Effusa plano solo" i. q. in planum solum. „Tigridis arva" i. q. ripae.

374 *Vertex*, non *vortex* habent vulgo codices.

375 *Tota* iung. cum *membra*.

Exiget aestivum calido sub pulvere solem.
Non aries illis, non ulla est machina belli,
Haud fossas inplere valent, Parthoque sequente
Murus erit, quodcumque potest obstare sagittae.
Pugna levis, bellumque fugax, turmaeque vagantes,
Et melior cessisse loco quam pellere miles.
Inlita tela dolis, nec Martem comminus umquam
Ausa pati virtus, sed longe tendere nervos
Et, quo ferre velint, permittere volnera ventis.
Ensis habet vires, et gens quaecumque virorum est,
Bella gerit gladiis; nam Medos proelia prima
Exarmant vacuaque iubent remeare pharetra.
Nulla manus illis, fiducia tota veneni est.
Credis, Magne, viros, quis in discrimina belli
Cum ferro venisse parum est? Tentare pudendum
Auxilium tanti est, toto divisus ut orbe
A terra moriare tua? tibi barbara tellus
Incumbat? te parva tegant ac vilia busta,

376 exigit AB$_1$c, aestivo E, calidum E$_1$, **377** illi B$_1$E, **378** aut (*ex* haud corr.) AUCGR, sequenti AR, **379** eris B, **381** l. Lact. Theb. IX. 772, metior a, virtus (*pro*: miles) Lact., **382** illita — virtus (383) l. Prisc. 545.17 H, 382 l. Prisc. 531.10 H, cominus M, usquam MAVURTg Prisc., **384** volent V, **385** [est] AT, **387** vacuaque MVUTGC vacuaeque Am, faretra AMUTCG, faretrae m, **389** quos vulgo O, **390** misisse MAVuCG (venisse vU), par est B$_1$, pavendum g, **391** ab orbe C, **392** moria (re s. s.) M, **393** tegent et BE, civilia c.

376 *Exiget* ad finem peraget, perdurabit. Frequenter apud epicos *exigere* pro simplici *agere* („ensem per viscera", al.), transigere (diem, noctes, rell.).

378 *Sequenti* probarunt Oud. Burm.

382 „Martem pati" i. q. impetum Martis excipere.

384 *Volnera* sagittas.

385 „Habet vires" non est absurdum: quasi „possidet sibi addictas", obscurum tamen et suspectum. Nulla paene mutatione: „ensis avet vires": „ensis postulat vires". Sed *avere* pro *postulare, requirere* (de re dictum) aeque insolitum atque *habere* h. l. Retinui igitur quod codd. offerunt. Confusa *habere* et *havere* Sil. XV. 373 „magnum secum portare sub umbras | nomen mortis avet". Bauer ad I. 61. Sic *habena* et *avena* et multa alia. Cic. Phil. II. 87 „non solum de die sed etiam in diem *vivere*" Hauschild restituit *bibere*.

387 Hosius: „vacuaque — pharetra", quem secutus sum, quoniam in paene omnibus lectum explicationem admittit: „proelia prima (per iacturam sagittarum) iubent redire".

388 „Nulla manus bellis" Heins. *Manus* genet., vel sic tamen post *illis* distinguendum.

390 „*Misisse* parum est". Inde ab Oud. omnes. Heins. (sed non in Advv. vid. infra): „quos *se* in discrimina belli | cum ferro misisse parum est". „Cum ferro misisse" tamen significaret „quos sine veneno misisse non contenti sunt duces". Ergo ducibus adscriberetur diffidentia aut magna diligentia, cum potius agatur de militum timiditate: milites non audent pugnare ferro, nisi sit venenatum. Ex vU igitur *venisse* restitui. — „*Quis* — venisse" Heins. Advv. p. 165. Ad *quis* cf. VII. 625.

393 *Incumbat*, tegat te mortuum.

Invidiosa tamen Crasso quaerente sepulcrum?
Sed tua sors melior, quoniam mors ultima poena est,
Nec metuenda viris; at non Cornelia letum
Infando sub rege timet? Num barbara nobis
Est ignota Venus, quae ritu caeca ferarum
Polluit innumeris leges et foedera taedae
Coniugibus — thalamique patent secreta nefandi?
Inter mille nurus epulis vesana meroque
Regia non ullis exceptos legibus horret
Concubitus; tot femineis conplexibus unum
Non lassat nox tota marem. Iacuere sorores
In regum thalamis, sacrataque pignora, matres.
Damnat apud gentes sceleris non sponte peracti
Oedipodionias infelix fabula Thebas:
Parthorum dominus quotiens sic sanguine mixto
Nascitur Arsacides! Cui fas inplere parentem,

394 M, sepulchro B. **395** sors melior ABEVgRT, levior vUG, sed tua non melior Prov., **397** nam A_1, non T, vobis V, **398** quao tu M_1, **399** tabe A (tede corr. a), taedis R_1, **401** viros GR (nurus gr), **402** ullos m, ullis OBTc, audet MAUTcG, horret mg, oret aV, **405** reginum M_1, fratrum mB_1A, regum acGVU, matris AVRG, matres MB, matrum bUg, **407** odipodioni*as* (s. s. e) M, oediponias m.

395 *Levior* Grotius, rell., *melior* Hos. et iure probat Heitland l. l. praesertim cum *sors* h. l. non merum infortunium sit, sed fortuna, spes successus (kans). Nihil enim peius pati potes, quam mortem, non ignominiam, quae te mortuo Corneliam manet. *Poena* non a Parthis infligitur sed natura omnes manet, VII. 470 „mortem quae cunctis poena paratur".

400 „Latent" Schrad. sine causa; *patent* aperta, perspicua sunt. Aliud est magis observatione dignum hoc, quod membrum non relativum per *que* annectitur relativo (*thalamique*), minime tamen sollicitandum cf. ad II. 474, etsi frequentius apud Graecos quam Latinos. Parenthesin si placet dicere *thal. — nef.* non multum obstat. cf. IX. 38 et ad IV. 106. Grot. Oud. Burm. Hos. post *nefandi* distinctionem tollunt et transponunt post *nurus*, quo fit ut iunctura per *-que* satis molesta sit; quae quo longius extenditur, eo difficilior est pronuntiatu. Bentl. *non* pro *num* (397) aut *latent*, ut Schrad.

Ib. *Coniugiis* mallet Bentl.

402 Contra nexum Heitl. aut „non *illis* exceptos legibus *audet*", aut: „non *ullis acceptos* legibus *audet*" et Hos.: „non *ullis* exceptos legibus *audet*". Non erat demonstrandum, quid *non auderet* sed quid *auderet* vesana libido. *Horret* in aV paululum corruptum; sprevit illud Hos. ut a V oblatum. *Inter* opportunitatem significat (omstandigheid) = dum mille nurus sunt, nihil turpe est. Sic: „timorem inter et iras" Hor., „inter tanta vitia" Sall. Cat. 4. 4. Regia omnes admittit concubitus, quibuscunque tandem (ullis) legibus interdictos. *Ullos* male Burm. Weis., sic friget „exceptos legibus".

404 „Nox *una* ex Arg. Weis., minus recte; gravius est *tota* me iudice.

405 *Matres* cf. ad I. 370. Sc. iacuere in *regum* thalamis. Qui *fratrum* legunt hic haerent.

407 *Oedipodionidas* acc. plur. graece flexum pro — *des* (adiect.) ex cod. quodam Vatic. Cortius. Ex *Oedipus* patronymica forma *Oedipodion*, hinc *Oedipodionis* (— *νίς, ίδος*) sed adiectivum hoc nusquam lectum; nititur etiam Cortius codicibus sequioribus, quorum vitia merito non recepta sunt, ut Stat. Theb. II. 505, X. 801. Patronymicum pro nomine primitivo usurpatum, etiam apud Graecos; tale est *Oedipodion* et hinc adi. *Oedipodionius.*

Ib. Ingeniose Tollius *taedas* pro *Thebas.*

Quid rear esse nefas? Proles tam clara Metelli
Stabit barbarico coniunx millesima lecto,
Quamquam non ulli plus regia, Magne, vacabit
Saevitia stimulata Venus titulisque virorum.
Nam quo plura iuvent Parthum portenta: fuisse
Hanc sciet et Crassi. Ceu pridem debita fatis
Assyriis, trahitur cladis captiva vetustae.
Haereat eoae volnus miserabile sortis.
Non solum auxilium funesto a rege petisse,
Sed gessisse prius bellum civile pudebit.
Nam quod apud populos crimen socerique tuumque
Maius erit, quam quod, vobis miscentibus arma,
Crassorum vindicta perit? Incurrere cuncti
Debuerant in Bactra duces, et ne qua vacarent
Arma, vel arctoum Dacis Rhenique catervis
Imperii nudare latus, dum perfida Susa
In tumulos prolapsa ducum Babylonque iaceret.
Assyriae paci finem, Fortuna, precamur,

410 *esse n*efas M, **411** barbarica B_1E_1, **413** stimulata MBEAUG, stimulante VR, **414** iam G (nam g) quod c, **415** scilicet et B_1, **416** traditur B, **417** heret T, **418** ab rege A, **421** quam si a, **423** debuerunt M_1, ni qua M, in qua m, **424** arva GR, **425** imperti A (imperii a) B_1, susis AbT, **426** iacerent LHosii, **427** pacis M.

410 Iunge: „quid rear esse nefas (si) cui fas", rell.

411 *Stabit* plenum dedecoris vocabulum quasi *prostibulum*; proprium *stare* etiam de meretricibus in lupanari, ut ex Iuvenale et aliis notum. Hinc iudicari poterit de coniectura Schraderi: *scandet — lectum.*

Ib. Plut. Pomp. 76 hoc solo quod e futura Corneliae ignominia petitur argumentum motum esse Pompeium dicit.

412 *Quamquam* oppositum ignominiae in v. 411: quamquam regia Venus, stimulata saevitia et titulis virorum (Corneliae) non vacabit ulli plus (quam Corneliae). Burm. *servitio* pro *saevitia* commendat, quod non intellegit quae *saevitia* significetur. Nimirum voluptas ignominiae inferendae. *Tituli* i. q. honores Crassi et Pompeii. Stimu*lante* pro „stimu*lata*" frequens confusio, sed propter addita *tit. vir.* praestat posterius.

414 Breviter pro: *dico* sive *addo* Parthum hoc recordaturum; similia Hor. Epist. I. 18. 58, Lucret. III. 117, Cic. Tusc. QQ. I. 17. 41, pro Archia init. fere (*et ne quis*).

417 Vulgo *haereat* interpretantur addendo *si*, cuiusmodi sententiae condicionales sunt satis frequentes, velut Horatius: „spes sit fallendi miscebit sacra profanis", supra IV. 186. Sed contraria condicio requireretur: non haereat i. e. fac non haerere volnus sortis miserabile, tamen non solum, rell. (418 sq.). Quare v. 417 (*haereat* —) separandus a sequentibus. Legendum videtur „*haeret et*" et hoc cum superioribus iungendum; *ceu* (415) pertinet ad *debita* (non ad *trahitur*): trahitur captiva cladis vetustae et haeret (manet propterea) volnus, rell.

420 „Nam *neque* apud populos" Bentl., quod parum venustum sit *nam quod — quam quod* (421), fallaci admodum argumento.

422 *Perit* perfectum, cf. ad X. 282.

423 „Ne qua vacarent" nempe hoc bello ad Crassum ulciscendum suscipiendo. „Nudare Dacis" dativus est. *Vel* i. q. etiam.

426 Cortius ex Cassell. Berol. recepit sine causa *virum* pro *ducum* (Crassorum).

Et, si Thessalia bellum civile peractum est,
Ad Parthos, qui vicit, eat. Gens unica mundi est,
De qua Caesareis possim gaudere triumphis.
Non tibi, cum primum gelidum transibis Araxen,
Umbra senis maesti Scythicis confixa sagittis
Ingeret has voces? „Tu, quem post funera nostra
Ultorem cinerum nudae speravimus umbrae,
Ad foedus pacemque venis?" Tunc plurima cladis
Occurrent monimenta tibi, qua maenia trunci
Lustrarunt cervice duces, ubi nomina tanta
Obruit Euphrates, et nostra cadavera Tigris
Detulit in terras ac reddidit. Ire per ista
Si potes, in media socerum quoque, Magne, sedentem
Thessalia placare potes. Quin respicis orbem
Romanum! Si regna times proiecta sub austro,
Infidumque Iubam, petimus Pharon arvaque Lagi.
Syrtibus hinc Libycis tuta est Aegyptus, at inde
Gurgite septeno rapidus mare submovet amnis,

428 thesalia AMBE, thessaliae M(Stht) U, thessali.a G, **429** vincit R, **430** possum T, **431** transibit T, araxem G, **432** infixa a, **436** quae O vulgo, trunca U (trunci u), **439** redidit M_1, istas GR, **443** armaque b, **444, 445** l. Prisc. 76.27 H, egiptes R, hinde A, **445** septeno gurgite l. Prisc. II. 414 H; septeno gurgite Nilus id. II. 416.1 H.

428 Grotius et reliqui praeter Weis. Cort.: *Thessalia*, sed *in Thessalia* interpretantes, quod qui *Thessaliae* probarant similiter fecerant, quasi *Thessaliae* locativus esse posset, quod non admittendum esse supra ad 108 demonstratum; *Thessalia* est: bellum ibi gestum. Infra 510: „Thessaliaeque reus". „Si bellum civile peractum, finitum est proelio Thessalico".

430 *De qua* iung. cum *triumphis*, vel potius *triumpho* ex hoc supplendum. Durum sed non dubitandum.

431 „Cum gelidum primum" hoc ordine Cort., male, sic enim obscuratur connexio vocabulorum *cum* et *primum* (ἐπεὶ τάχιστα). *Transiris* leg.?

434 *Nudae* inermes, inopes malim interpretari quam: insepultae.

436 Vulgo „*quae* maenia", sic inter monumenta unum est *maenia*; sed maenia continent potius monumenta, quare scripsi *qua*, et hoc concinnius est ante *ubi*.

438 Supra III. 261 „at Tigrim subito tellus absorbet hiatu, | occultosque tegit cursus, rursusque renatum | fonte novo flumen pelago non abnegat undas", II. 217 „redeuntque (redditque) cadavera campo" (ex amne qui defert). „Detulit in terras" potest intellegi de motu subterraneo, *reddidit* non admittit aliam explicationem; evomit fluvius cadavera. In Cortii et Burmanni explicatione, qui de vulgari cursu intellegunt, verba „ac reddidit" vacant. — *Ire per ista* Graecum ἰέναι διά τινος.

442 „Proiecta sub austro" cf. IX. 309, 432 „ora | sub nimio proiecta die", Heins. *porrecta* aliquando voluit, ipse sententiam revocavit ad Verg. A. X. 586. Burm. ad Val. Flacc. VIII. 90. Sil. VI. 645 „latis | proiecta in campis nebulas exhalat (Mevania). Bentl. quoque h. l. *porrecta*, quod sane recte dicitur. Sil. I 130 „Hesperio tellus porrecta sub axe".

443 *Petito* Heins. (de — tō cf. Praef.).

445 „Gurgite septeno" Distributiva pro cardinalibus usurpant poetae non tantum, sed Plinius quoque, cf. Mayor ad Iuv. XII. 109.

Terra suis contenta bonis, non indiga mercis
Aut Iovis; in solo tanta est fiducia Nilo.
Sceptra puer Ptolemaeus habet, tibi debita, Magne,
Tutelae commissa tuae. Quis nominis umbram
Horreat? Innocua est aetas. Ne iura fidemque
Respectumque deum veteri speraveris aula.
Nil pudet adsuetos sceptris. Mitissima sors est
Regnorum sub rege novo". Non plura locutus
Inpulit huc animos. Quantum spes ultima rerum
Libertatis habes! Victa est sententia Magni.
  Tunc Cilicum liquere solum, Cyproque citatas
Inmisere ratis, nullas cui praetulit aras
Undae diva memor Paphiae, si numina nasci
Credimus, aut quemquam fas est coepisse deorum.
Haec ubi deseruit Pompeius littora, totos

446 contempta T, **448** ptolom̃s A (lo vulgo codd.), de$\overset{a}{\textit{di}}$t M, dedita g, **449** quis ABG, qui M(quis m)VUC, **450** ne O, nec V, **451** veteris AVGC veteri (s. s. s) MU, aula U, aulae MAVGb, **452** nec pudet a, pudeat suetos R, **454** sors ultima G Prov., **455** habe*t* M, habes b, habet rell. vulgo, **457** immersere VR, **458** si fas est quemquam cepisse deorum l. Lact. Theb. IV. 288 (*omisso nom. auctoris*), undae venus (*ex* diva *corr.*) b.

446 Praeter alios Tib. I. 8. 26 „arida nec Pluvio supplicat herba Iovi" in Aegypto; Nilus sufficit.

447 „*Tota* est fiducia" Heins. Causam mutationis non perspicio.

448 Frequens error est *Phtol.*, quem nemo defendet, item *Ptolomaeus* perpetuum in codd. certe Lucani, quod defensores invenit. At in Graecis nominibus Graecam consuetudinem puto observandam; sunt vocabula Graeca, quae *numquam* a librario Romano recte scribuntur.

449 „Tutelae tuae" poprie M. Lepidi, sed cf. Liv. Epit. CXII „Cn. Pompeius, cum Aegyptum petisset, iussu Ptolemaei regis, *pupilli sui* — occisus est". Ampelius, 35.

450 *Nec* male Weis. *Veteri aula* Madv. Advv. Crit. II. 132 pro vulg. *veteris aulae*, Hos., partim cum MU (v. s.) (Iam probavit Burm.). Commendat Lentulus Ptolemaeum puerum, quod *non* habeat vitia veteris aulae. „Ne veteri aula quadam speres te fidem inventurum, nil pudet adsuetos sceleri". Sed apud hunc puerum invenies: „mitissima sors est sub rege novo". Postrema, quamvis longa, tamen in fine abrupta sunt. Nihil attinebat dicere *sortem subiectorum* mitem esse, nisi inde efficeretur, eum qui parcat subditis, etiam *erga socios* facilem esse et ductilem tanquam ceram. Tale quid expectamus in fine suasoriae, ubi nihil alienum a proposita quaestione mentem auditoris abducere debet. Mihi minus displiceret epilogus, si nihil post *sceptris* adderetur, ut opposita, h. l. necessaria, sententia iudicio lectoris relinqueretur; nunc aberrat auditor illis *mitissima — novo* adnexis. Sententia (gnome) videtur allexisse poetam sed sic, sine conclusione, est *ἀπροσδιόνυσος*.

454 Spes quae sola superest impellit ad libere loquendum. Scholion in V: „necessitas, dum sibi consulit, libere loqui compellit". „Sors ultima *rerum*" i. q. extrema miseria cf. V. 693: „sors ultima rerum | in dubios casus et prona pericula morti | praecipitare solet". *Sors* Guyet. cum G et Prov. Magis inducerer, ut altero loco (V. 6. 3) *spes* quam ut nostro *sors* reponerem; nec me movet Bentl., *sors* corrigens. *Habes* tueri videtur M; recepi cum Bentl. et Heins. Advv. p. 161.

457 *Cui* pro: cuius aris.

458 *Undae* nempe Anadyomene e mari appulsa est Paphon Tac. Hist. II. 3.

460 *Tortos* Heins. — „Totos Cypri scopulos" potissimum promontorium Curium, unde traiectus in Aegyptum brevissimus, recta ad Pelusium. Venerat Syhedris ex Cilicia iuxta oram occidentalem, deinde meridionalem Cypri.

Emensus Cypri scopulos, quibus exit in austrum,
Inde maris vasti transverso vertitur aestu;
Nec tenuit gratum nocturno lumine montem,
Infimaque Aegypti pugnaci littora velo
Vix tetigit, qua dividui pars maxima Nili
In vada decurrit Pelusia, septimus amnis.
Tempus erat, quo Libra pares examinat horas,
Non uno plus aequa die, noctique rependit
Lux minor hibernae verni solacia damni.
Comperit ut regem Casio se monte tenere,
Flectit iter, nec Phoebus adhuc nec carbasa languent.
  Iam rapido speculator eques per littora cursu
Hospitis adventu pavidam compleverat aulam.
Consilii vix tempus erat; tamen omnia monstra
Pellaeae coiere domus; quos inter Acoreus,
Iam placidus senio fractisque modestior annis,
(Hunc genuit custos Nili crescentis in arva

461 emensis M_1, **462** transfuso U, aesto M_1, **463** *supra* gratum *m. rec. scr.* casiu A, casum (s. s. i) UG (gratum g), (cassum antea scr. G), **464** vento u, **465** tenuit m (pro: tetigit), **469** solatia A, **470** *casio se* M, casio ma, cassio A, casto B_1, teneri BE_1, **471** langunt M_1, langent U_1 [adhuc] B, **472** equis M (s. s. c), **475** achoreus V, acoreus G, acoreos (supra ultimam o scr. u) MAB_1, (inte)r acoreus *omisit consulto U, vacuum spatium postea expletum*, **476** fractisque — annis l. Schol. Iuv. IV. 81, modestius T, **477** nunc F.

462 *Vergitur* Heins. Advv. p. 165, *nititur* Cort. Absurdum *verritur* Heinsio adscribit Burm. Nec reliqua satisfaciunt. Navigaverat legens oram Cypriam, nunc ora relicta *vertitur* in meridiem, obliquo vento et maris fluctu.

463 *Casium* falsa correctio est in aU (casum s. s. i), G (casium ex cassum corr.), quae offerret hanc absurdam sententiam: non tenuit Casium, itaque flexit iter in Casium, compara v. 470. Significatur Pharus prope Alexandriam. In monte Casio lucem luxisse nemo tradidit; sic tamen Oud. *Montem* parum apte Pharum dicit, quem errorem frustra viri docti corrigere conati sunt: *turrim*, *molem* (Bentl.), *portum*. *Flamine portum* Heins.

464 „Infimaque — vix tetigit". Vela daturus erat Alexandriam i. e. ad ostium occidentale, Canopi, nunc vento adverso vix attingit ostium Pelusiacum (orientale), quo Cypro advectus primum perveniebat.

466 „Septimus amnis" i. q. septimum ostium.

467 „Tempus erat" Pompeius occisus est d. 28 Sept. 48 a. C. (pridie natales ipsius 29 Sept. Vell. Pat. II. 53). Cum hoc Lucanus *satis* recte convenit (aequinoctium est 21 Sept.), nempe si neglegimus discrimen veri et adulterati temporis. Re vera nondum sol in Libra erat. — *Examinat* examine vel libra aequat.

468 „Non plus" i. e. non amplius uno die aequa (nocti et diei); per unum tantum diem (aequinoctium) aequat Libra noctem et diem.

469 Nocti hibernae lux minor (breviores dies) rependit solacia damni verni (iacturae a vere inde toleratae).

470 „Casio monte" cf. 539. *Flectit iter,* non amplius Alexandriam Pelusio vela dare conatur, sed orientem versus in montem Casium.

474 *Consiliis* Heins. Advv. p. 165, Cort. ex deterr. *Senium* (476) soli poetae pro aetate senili, optima pedestris oratio pro taedio tantum usurpat. *Fractis* alibi: „lassis".

477 Memphis ipsa dicitur custos Nili, i. e.

Memphis vana sacris; illo cultore deorum
Lustra suae Phoebes non unus vixerat Apis)
Consilii vox prima fuit, meritumque fidemque
Sacraque defuncti iactavit pignora patris.
Sed, melior suadere malis et nosse tyrannos
Ausus Pompeium leto damnare Pothinus:
„Ius et fas multos faciunt, Ptolemaee, nocentis,
Dat poenas laudata Fides, cum sustinet, inquit,
Quos Fortuna premit. Fatis accede deisque,
Et cole felices; miseros fuge. Sidera terra
Ut distant et flamma mari, sic utile recto.
Sceptrorum vis tota perit, si pendere iusta
Incipit, evertitque arces respectus honesti.

479 plebes A (phoebes a), plebis B, rexerat V, vexerat R, **480** fidem[que] B_1, **481** defuncto T, pignera G, **483** damnare A_1G, photinus MA (h a m. 2.) EV, pothinus UG, **484** ptolomeae E (*ut semper o in* 2 *syll.*), thpholomee G (*voluit* phtholomee), **487** terrae AB_1T, **488** destaret c, et flamma MVGCProv., ut flamma AU, **489** iussa B_1, **490** artes G (arces g).

observasse Nili incrementa quoniam habebat νειλομέτριον, apparatum, quo aquae adventus praevidebatur; cf. Strabo XVII. 48 (Cas. p. 817).

479 *Duxerat* („ex 2 melioribus") Heinsius p. 165, quod, quantum video, praestat. Novus Apis (vetere interfecto) aperit periodum lunarem, ab eo initio igitur *ducuntur* menses novae periodi. Sua cuique Api est Phoebe, i. e. periodus luna definita. *Vixerat* eo minus mihi aptum videtur quod tota ῥῆσις periphrasis est notionis *vivere*, in quali periphrasi ipsum vocabulum quod περιφραστικῶς quasi divinandum datur, non debet usurpari. Nolui tamen in re satis obscura nimis fidenter lectionem codicum mutare. Oud.: „*Sistra vexerat* vel *duxerat*", nempe τὰ σεῖστρα tenent et movent sacerdotes et Apis in pompa praecedit sacerdotibus (!) Apis post constitutam periodum mactabatur et novus in honorem succedebat. „Non est fas eum certos vitae excedere „annos, mersumque in sacerdotum fonte „necant, quaesituri luctu alium, quem sub„stituant". Plin. NH VIII. 184. Lunae formam corniculatae Apis monstrabat (Phoebes) ut notum.

480 „Vox prima fuit" i. q. primus dixit. Meritum et fidem Pompeii celebravit et foedera, quae Pompeius cum patre Ptolemaei inisset, et suasit ut reciperetur. Vid. Schol. Voss. Omisit L.: „sed non persuasit". „Sed (482) melior (quam Achoreus) suadere malis (his, huic malorum concilio), erat Pothinus". Frustra in *malis* haeret Burm.

483 Forma *Photinus*, quae hoc et aliis locis in codicum parte invenitur (Caes. Civ. III. 108, 112, Plut. Pomp. 77) manifesto corrupta est siquidem Φωτεινός (a φῶς) primam producit; nomen Graecum Ποθεινός. Natum mendum in aliis quoque propriis ex adspirationis μεταβάσει, cuius sunt exempla *phyto*, pro *pytho*. *Chalcedon* et *Calchedon*, alia (*cheruchus, Bosphorus* supra).

484 Ius et aequum nimia religione observata faciunt ut noxius videare. Dum Pompeium tueris, Caesari scelestus eris. *Nocens* pro *scelesto* I, 203, X. 474. Sententia magis philosophica: „ius et fas constitutum faciunt", rell. (opp. vera iustitia et probitate) ab hoc loco aliena. „Probitas laudatur et alget" Iuven.

486 *Deisque* I. 128 „victrix causa deis placuit, sed victa Catoni" (Hask.) Dei sunt subiecti fato.

487 *Terrae* Oud. Cort. Nihil probat locus Horatii (Cort.), apud quem constanter vocabula differentiae et distantiae dativum regunt.

490 *Incipis* Heins., Bentl. — *Arces* tutissima quaeque. De figurato usu vocabuli *arx*, qui est in „arcem occupare" pro „tyrannidem affectare" noli h. l. cogitare (Mayor Iuv. X. 307).

Libertas scelerum est, quae regna invisa tuetur,
Sublatusque modus gladiis. Facere omnia saeve
Non inpune licet, nisi dum facis. Exeat aula,
Qui volt esse pius. Virtus et summa potestas
Non coeunt; semper metuet, quem saeva pudebunt.
Non inpune tuos Magnus contempserit annos,
Qui te nec victos arcere a littore nostro
Posse putat. Neu te sceptris privaverit hospes,
Pignora sunt propiora tibi, Nilumque Pharumque,
Si regnare piget, damnatae redde sorori,
Aegyptum certe Latiis tueamur ab armis.
Quidquid non fuerit Magni, dum bella geruntur,
Nec victoris erit. Toto iam pulsus ab orbe,
Postquam nulla manet rerum fiducia, quaerit
Cum qua gente cadat; rapitur civilibus umbris,

491 iniusta ab, **492** sublatosque M_1, gladii A (gladiis a) BEVTCG, gladiis MbvU, sevae U, **493** exeat — pius (494) l. Prisc. 288.8 H, cum O vulgo, **494** volet a, **495** metuit b, *saeva* U, **496** impunet vos E, **497** *nec* M, ne ET, **498** potat U_1 nos abCU, te MAVGu, **499** propriora a, nilumque MTUA, nilonque VG, pharumque AMT, pharonquo VGU, **505** umbris MABC, armis mVUa(manu scholiastae), arvis G.

491 „Libertas scelerum" sc. committendorum. „Sublatus modus *gladiis*" (hoc sine dubio praestat prae: *gladii*, i. e. „quod intemperanter gladii sive vis adhibentur") novum subiectum efficiunt ante *est* iuxta „libertas scelerum".

493 Recte Schol. Lips. ap. Web.: „ni sis assiduus in faciendo". Id non inest in vulgata *cum* (i. q. quoties); praeferendum est *dum: quamdiu* summam rerum tenes, nemo rationes a te exiget. In ipsa iniuria committenda (*cum*) impune quisque est, nam tum superior est; hoc dicere nihil opus erat. Sensit Grotius, quem sequitur Burm. — Bentl. scribit (492): „facere omnia *quae vis* | non *Ptolemaee* licet nisi *cum* facis", non satis apparet, cur.

494 *Volet* Grot. Fortius est praesens. Alia ratio est futuri *metuet* (495), ubi de futuro facto agitur, non ut h. l. iussum proponitur.

495 *Quem iura movebunt* Bentl. pro: „quem saeva pudebunt", quia haec constructio verbi *pudere* non sit „saeculi Lucani". Nempe Terent. Ad. 754 „non te haec pudent?" et Turpilius ap Non. 21.25, v. 102 Ribb. „num illum illaec pudet?" (quod non sollicitandum) et saepius *pudet* personaliter (ut aiunt) ut „idne pudet te?" apud Plautum. Non tantum comicae dictionis est *pudendus* (et *poenitendus*). Quidni ex consuetudine vulgari L. *pudebunt*? Nam plebeius sermo talia tenet. Quod Bentl. proponit est temerarium. Sententia optima: tyrannus qui a caede (*saevis*) abhorrebit, semper metuet inimicos, quos tollere pudet.

498 Semicolon post *hospes* Hask. Vulgo rectius: „et — ne te sceptris privet hospes, — pignora sunt tibi propiora, quam Pompeius, soror", i. e.: „dico vel moneo pignora esse". Vid. supra ad 414. Cum Cleopatra de imperio tunc bellum gerebat Ptolemaeus. *Certe* (501) melius est huic quam exteris imperium tradere.

505 Pro *umbris* quod in mVUa est *armis* speciem habet interpretamenti, nec tamen *umbris* potest probari, quod, si intellego interpretes, de umbris occisorum accipitur Pompeium agitantibus; at de animabus, ne plura dicam, *rapitur* parum aptum, adiunctum *civilibus* paene ineptum est. Cf. Mnem. XIX. 33. Legendum puto: „rapitur civilibus UNDIS". Metaphoricae significationis vocabuli *unda* unum exemplum attulisse sufficiet Hor. Epist. I. 1.16 „nunc agilis fio et mersor civilibus undis". Nunc vix compos sui est, tempestas belli eum proripit. *Undis* iam Trillerus, quem refutat Cortius, nec tamen persuadet. Diversus est locus X. 336, quo provocat Oud. Cf. *rapimur*, 522.

Nec soceri tantum arma fugit: fugit ora senatus,
Cuius Thessalicas saturat pars magna volucres,
Et metuit gentes, quas uno in sanguine mixtas
Deseruit, regesque timet, quorum omnia mersit,
Thessaliaeque reus, nulla tellure receptus
Sollicitat nostrum, quem nondum prodidit, orbem.
Iustior in Magnum nobis, Ptolemaee, querellae
Causa data est. Quid sepositam semperque quietam
Crimine bellorum maculas Pharon arvaque nostra
Victori suspecta facis? cur sola cadenti
Haec placuit tellus, in quam Pharsalica fata
Conferres poenasque tuas? Iam crimen habemus,
Purgandum gladio, quod nobis sceptra senatus
Te suadente dedit. Votis tua fovimus arma.
Hoc ferrum, quod fata iubent proferre, paravi
Non tibi, sed victo. Feriam tua viscera, Magne,
Malueram soceri; rapimur, quo cuncta feruntur.
Tene mihi dubitas an sit violare necesse,
Cum liceat? Quae te nostri fiducia regni
Huc agit, infelix? Populum non cernis inermem,
Arvaque vix refugo fodientem mollia Nilo?

506 fugit *fugit* M, fugit tonet ora a, arma senatus C, **509** omina mE, agmina m(duae in M var. lect.), **511** perdidit MVUCG, **512** ptolemeoe M, querellae MA, **513** quod C, **514** maculat a, paron M(s. s. h), armaque B_1ET, arvaque O, **515** victori.M, victoris a, cadendi MA (cadenti a)BE, cadenti VUG, **518** pugnandum G (purg. g), **520** tunc ferrum g, **525** incermem M, *Post* 525 *sequuntur in M* 549—552, *linea transversa per singulos ducta et signa transponendi apposita*, **526** *refugo* M, fod. omnia B, mollia om. s. s. m. 1 E.

506 Haeret Burm. *ossa* proponens. *Ora* i. q. adspectum, pudet eum coram senatu.

510 *Thessaliae* i. q. calamitatis Thessalicae, cf. supra 428. *Perdidit*, vulgo, dubitanter Damsté; *prodidit* (A) odiosum magis videtur: „officio defuit tutandae Aegypti". Ex persona Pothini sic dici potuit. *Prodidit* Cortius, Weis.

513 Inde a „quid" apostrophe ad Pompeium absentem.

521 „Non tibi sed victo" non in te, quod Pompeius esses, sed in te, quia victus es i. e. debilis et inutilis.

524 „Cum liceat" cum victus sis et in potestate nostra. Hoc ipso iam probabatur necessitas violandi iuris; amicis Pompeio fidelibus erat, quod omnia a victore, Caesare, timerent; necesse erat eum interficere, si qui sibi consultum vellent. Grotius transposuit *an* et *cum*: „cum sit violare necesse, an liceat" bona sed admodum trita sententia. Bentl. „tene — iugulare" quod in pedestri oratione necessarium esset; licentiae enim poeticae est: „violare aliquem" pro „hospitii ius in aliquo violare". Cf. X. 454: „violasset quem non Alanus (= vim intulisset)". Mire inventa sententia.

525 *Inermis* vulgo est non: qui armis gerendis impar est, sed: „qui arma non tenet". Propterea *inertem* praeferrem. Sed nihil mutandum. Male tamen Cortius ad defendendam vulgatam provocat ad Drakenb. ad Sil. XIII. 76, cuius exempla omnia pro me faciunt, sic etiam Heinsiana ad Ov. Metam. V. 175. Utique non absurdum est: non cernis Aegyptios (vulgo) arma non ferre.

526 *Refluo* Weis. ex Argentinensi.

Metiri sua regna decet viresque fateri.
Tu, Ptolemaee, potes Magni fulcire ruinam,
Sub quo Roma iacet? bustum cineresque movere
Thessalicos audes, bellumque in regna vocare?
Ante aciem Emathiam nullis accessimus armis,
Pompeii nunc castra placent, quae deserit orbis?
Nunc victoris opes et cognita fata lacessis?
Adversis non deesse decet, sed laeta secutos.
Nulla fides umquam miseros elegit amicos."
  Adsensere omnes sceleri. Laetatur honore
Rex puer insueto, quod iam sibi tanta iubere
Permittunt famuli. Sceleri delectus Achillas,
Perfida qua tellus Casiis exultat arenis
Et vada testantur iunctas Aegyptia Syrtis,

529 quo U (qua u) G, qua rell. vulgo, cinerisque M_1 (ut vid.), moveri ABT, **530** tessalicas A (cos a) B_1, **531** atiam c, **532** pompei (*ut semper*) M, quem T, **533** victores U (correxit m. 1), hunc T, **534** de*esse* M, desse (e add. m. 2)AU, deesse EV, secutos (corr.: — tis) U, **536** omnis M, **537** licere MEA, liceret B, iubere VUG, **538** Achillas l. Prob. IV. 23.13 K, permittunt BEV, permittant, rell. vulgo, **539** exultatV(excurrit v m.2)Rg, excurrit rell. vulgo, **540** sortes a.

527 „Metiri" rell. „Regna (aeque ac privatos) decet metiri sua". *Sua* et *regna* divelluntur; ferendum eo, quod *metiri sua* fere proverbii vim habet. Non est igitur cur cum Benti. legamus „metiri sua *quemque*" violenta correctione. Si quid duri est in vulgata, facile excusatur festinatione.

528 Ov. Trist. I. 6. 5 „te mea supposita veluti trabe fulta ruina est". *Ruina* i. q. id quod minatur ruinam; inde „Magni fulcire ruinam" est praevertere ruinam Magni. Sub ruina quae nondum est, sed minatur, non potest quidquam *iacere*. Nimis fortasse subtile hoc videretur ad poetam corrigendum; at cum optio detur inter vulg. „sub *qua*" et „s. *quo*" posterius praetuli; ita UG. „*Iacere* sub aliquo" figurate dicitur, „iacere sub ruina" non item; in hoc *iacere* habet propriam vim.

534 Insigni brevitate obicitur („adversis — decet") et redarguitur („sed laeta secutos"): officium opem ferendi afflictis incumbit tantum in eos, qui ex prosperis fructum tulerunt.

535 I. q. non est fides (sive numquam pro fide fuit) miseros adsciscere amicos (sed misericordia).

537 Contra reliquos μ hoc quoque loco (cf. ad 528) U veram praebet lectionem, pro qua Weis. recepit *licere*, ab Heitlando quoque p. 524 defensum collato v. 524. „Permittunt ei *iubere*" planam habet et liquidam sententiam (Pompeium interfici); contra *licere* dure pro: „permittunt (ei) *credere* sibi licere". Permittimus, opinor, alicui, quod faciat ipse. *Permittunt* (*iubere*) vero Damsté; melius est quam *permittant*, verba enim e persona narrantis electa sunt.

539 *Exultat* ex VRg recepi cum Oud. ut difficiliorem lectionem, unde *excurrit* natum videtur. Scilicet *exultat*, explicatum per *exurgit*, *excurrit* peperisse credo; audacia translationis in Lucano non sufficit facile ad reiciendam lectionem; et vulgata offensione non vacat; *excurrere* enim, Lucano saepius usurpatum, est i. q. *prominere* nempe in mare; promontorium autem (et est Casius *θινώδης τις λόφος ἀκρωτηριάζων* teste Strabone) non fit arenis sed solida terra, scopulo, certe aptius est: exurgit *ex* arenis Casiis. Verg. A. III 557 „exultantque vada" sane diversum, et „exultat arenis pastor" Stat. Silv. I. 2.213 nihil huc facit (Hos.). Pro *perfida*: *fervida* Heins. Sed cf. Florus I. 39. 6 R (III. 4 D.) „perfidum glacie flumen", supra V. 415. *Exultat* i. q. tumet. Perfida tellus se effert, gaudet arenis, quibus tuta est.

540 Vada testantur propinquas esse Syrtes. Casius mons, ubi Pompeius interfectus est, multum distat a Syrtibus, sed cf. ad 543.

Exiguam sociis monstri gladiisque carinam
Instruit. O superi, Nilusne et barbara Memphis,
Et Pelusiaci tam mollis turba Canopi
Hos animos! Sic fata premunt civilia mundum!
Sic Romana iacent! Ullusne in cladibus istis
Est locus Aegypto, Phariusque admittitur ensis!
Hanc certe servate fidem, civilia bella:
Cognatas praestate manus, externaque monstra
Pellite, si meruit tam claro nomine Magnus
Caesaris esse nefas. Tanti, Ptolemaee, ruinam
Nominis haud metuis? caeloque tonante profanas
Inseruisse manus, inpure ac semivir, audes?
Non domitor mundi, nec ter Capitolia curru
Invectus, regumque potens, vindexque senatus,

541 monstro a, monstra g, cladisque Tg, **542** a superi c, **543** molles M_1, pelusiaci — canopi l. Stat. Silv. II. 7.70, **544** si B, **545** placent M, iacent m, nullusne RG (ullus g), **546** phariosque a, **548** prestata B_1, **549—552** *omissos in marg. supplet* M, *m.* 2ae *coaeva, scriptos tanquam prosariam orationem; ibi aliquot syllabae abscisae sunt, reliqua sine variet. Iidem versus in textum recep'i post* 525 (*vid. supra*) *habent varietatem infra scriptam,* **549** repellet et si M, **551** autum vis M, metuit E_1, **552** *inpune* M, aut semivir G, **553** ne domitor g, capitalia BU (s. s. o), **554** reg.umque M.

541 „Sociis monstri". Quaeritur quod *monstrum* significetur. Achillas? parum recte, ille est enim subiectum: „Achillas carinam instruit sociis *monstri*" male pro: suis. An Ptolemaeus? sed is puer est nec auctor facti, nimis credulus, sed non maleficus. Guyetus: *monstris*, Heins. Advv. p. 165: „sociis monstri *cladisque*", quo difficultas non tollitur; coniecceram „*tonsis* gladiisque" (*sociis* dativus = sociis navalibus); sed Burmanni correctionem *monstrum* = Achillas ut simpliciorem praefero.

543 „Pelusiaci — Canopi". Non distinguit L. extrema ostia Nili, Pelusiacum et Canopicum. Constat ex Plutarcho, Dione, Caesare prope Casium, ubi tunc Ptolemaeus sororem bello premebat, non longe a Pelusio interfectum esse Pompeium. Cf. Oud. ad 463. Stadiis 1300 Canopus illinc abest. Hinc explicatur quod Syrtes v. 540 in vicinia collocat. Alii Lucani exemplo „*Pelusiacum* Canopum dicentes peccarunt (cf. Cort.) Hoc quidem versu diligenter loca erant distinguenda.

545 „Fata premunt *crudelia* mundum" Bentl. quod *civilia* versu abhinc tertio legitur, et „aliud sub *civilia* latere credit" Cortius. *Civile* Lucano non tantum significat quod est *civium*, sed etiam quod est *civilium* (bellorum), sic *crimen civile* VII. 538, *civile nefas* VII. 432, al., idque non est magis durum quam *Augustus* pro *Augusteus* et multa alia. „Fata civilia" i. q. fata s. calamitas belli civilis. „*Sic* fata" nempe ut sit locus Aegypto in mundo regundo. V. 547 „hic certe" malebat Heins.

549 „Si meruit — nefas" Quoniam Magnus meruit non ab inferiore viro, quam Caesar est, occidi. Cum *nefas* i. e. id in quo nefas committitur cf. *crimen* et *scelus*: id in quo peccatur (verwijt).

552 „*Exseruisse* manus, impure *o* semivir" vel (?) „*impune*" volebat Heins. teste Burm. „Caelo tonante" quamvis Iupiter regnet s. dum I. in caelo est. *Inseruisse* i. q. admovisse; cf. IX. 1072.

554 „*Legumque* potens" Heins. — Bentl.: „rerumque potens". Non assequor; gloria erat Pompeio reges devicisse. „Capitolia ingressus" (553) ut notum est, mos erat invehi in Capitolium triumphantem imperatorem ut lauream deponeret in templo Iovis Capitolini. Ceterum tota periodus 553—556 aberrat quodammodo ab instituta oratione: in mente habebat poeta: non domitor mundi, non regum potens, non etc., (sed) Romanus erat. Notus usus est negationis *non* pro *non dicam* vel *ne dicam*, gr. *οὐχ ὅτι* vel *οὐχ ὅπως*. Obscuratur haec constructio insertis verbis „Phario — poterat" clausulae praemissis.

Victorisque gener, Phario satis esse tyranno
Quod poterat, Romanus erat? Quid viscera nostra
Scrutaris gladio? Nescis, puer inprobe, nescis,
Quo tua sit fortuna loco: iam iure sine ullo
Nili sceptra tenes: cecidit civilibus armis,
Qui tibi regna dedit.
Iam vento vela negarat
Magnus, et auxilio remorum infanda petebat
Littora, cum contra non longa vecta biremi
Adproperat scelerata manus, Magnoque patere
Fingens regna Phari, celsae de puppe carinae
In parvam iubet ire ratem, littusque malignum
Incusat bimaremque vadis frangentibus aestum,
Qui vetet externas terris advertere classis.
Quodnisi fatorum leges intentaque iussu
Ordinis aeterni miserae vicinia mortis
Damnatum leto traherent ad littora Magnum,

557 scrutari U (s e corr. add.), **558** nam iure T, illo T, **562** quem O vulgo, longe AET, longa a c. rell, biremis a, **563** adpulerat O vulgo, **564** celsa ABEGT, celsae MVA, caelsa U, **566** hestum R, **567** externis (corr. in — as) AB_1, excelsas v, adpellere MABRg, expellere G advertere Ua, **568** quo nisi AB, **569** misere M, vicina M_1B_1, **570** le^{t}go R, magno M, magnū m, *Post* 570 *sequitur in A v.* 573, *verus ordo litteris abcd praepositis restituitur,* B (corr. b).

557 „Nescis — nescis" I. 521 „*danda* tamen venia est tantorum *danda* pavorum".

558 „Iam iure sine ullo". Haec sic dicuntur, quasi victo Pompeio irrita futura essent omnia eius acta. Dederat Pompeius, mortuo eo regnum Aegypti redit ad senatum. Ingeniose Schrader: „cecidit *si vilibus* armis" nec tamen vere; nam vilibus (interemtoris) armis nondum ceciderat P. sed bello.

560 Navis Pompeii ad littus advehitur remis, ut mos in mari ignoto. Huic ex adverso (quem, Pompeium, *contra*) „adpulerat scelerata manus" non intellegi potest, nisi de accessu ad navem Romanam. Primum usus verbi *appellere* est dubius, significaret „ad navem appellere"; cymba Aegyptiorum navem Romanam assecuta erat; deinde plqperf. vitiosum est quia Pompeius littus nondum appulerat, sed appellebat (si verbo sic licet uti). Conieci *adproperat*, idque vidi iudicio Bentleii confirmatum. Potissimum alterum argumentum me movet. Et pro *quem contra* requiritur fere: „*cum* (quom) contra". In sequentibus subiectum est *manus,* facile quisque intellegit: ducem eius verba facere. Vocabulum *adproperat* opportunum est corruptelae, per compendium sic scriptum *adpperat* (*pro* per comp.); omissa una P, ut saepe neglegentia, ADPERAT correctum *adp(ul)erat.*

566 „Bimarem" utrinque a promontorio. Dictum pro: vadis frangentibus utrumque mare in aestum (branding), ut aestus existeret. *Externas,* nempe externis nautis non erant cognita vada et mitissimum appellendi tempus.

567 *Advertere* contra auctoritatem reliquorum paene omnium ex U cum Hosio recepi, contra consente Heitlando p. 154; *appellere* hac quidem sententia librariis magis familiare erat quam *advertere; advertere* sententiae magis aptum, quae est: inter aestus et vada navem dirigere, cursum tenere. Hos. affert Aen. V. 34, VII. 35, alia.

569 „Ordinis aeterni" de serie causarum intellege a mundi origine constituta cf. ad VI. 606. Simplicius: nisi fatale esset Pompeium interfici. Favent fato omnia, ut nunc occaecatio comitum. Si secus fuisset, ne *ullum* quidem sociorum, ne stultissimum quidem fugissent praesagia, hoc potissimum: venturum fuisse, rell. *Deerant* condicionale.

Non ulli comitum sceleris praesagia deerant;
Quippe, fides si pura foret, si regia Magno
Sceptrorum auctori vera pietate pateret,
Venturum tota Pharium cum classe tyrannum.
Sed cedit fatis, classemque relinquere iussus
Obsequitur, letumque iuvat praeferre timori.
Ibat in hostilem praeceps Cornelia puppim,
Hoc magis inpatiens egresso deesse marito,
Quod metuit clades. „Remane, temeraria coniunx,
Et tu, nate, precor, longeque a littore casus
Expectate meos, et in hac cervice tyranni
Explorate fidem." Dixit. Sed surda vetanti
Tendebat geminas amens Cornelia palmas:
„Quo sine me, crudelis, abis? Iterumne relinquor,
Thessalicis submota malis? Numquam omine laeto
Distrahimur miseri. Poteras non flectere puppim,
Cum fugeres alio, latebrisque relinquere Lesbi,
Omnibus a terris si nos arcere parabas.
An tantum in fluctus placeo comes?" Haec ubi frustra
Effudit, prima pendet tamen anxia puppe

571 nonnulli AM_1BR, pressagia M_1, aderant R, derant A (e s. s. a), deerant EVU, qui erant (corr. m: deerant) M_1(Stht), **574** pharium sociosque G (s. s. classem g), **575** ce..dit M, cedit U, **576** *iuvat* M, [que] ABM_1, **577** puppem VR, **579** cladis (*corr. ex* clades) U, **580** e litore MVUg, a AGc, **582** surda MAU, dura Vg, vetata M_1, **583** ardens cornelia G, **584** relinquo*r* M, ab is M (ab his?), **585** manus B_1, omne A (i add. a), homine E_1R, **586** puppem VU (- pim u), **587** alio MVA al*i*o E, alto BUTG (alio g), **588** a terris MUAR, e terris V, **590** effu.dit M.

575 *Sociosque* pro *classemque* Cortius ex deterioribus aliquot MSS. et editionibus. *Classis* de una nave certe dicitur in formulis quibusdam ut „(me pater) classe releget" i. e. nave Hor. C. III. 11.48, ductor classis Orontes apud Verg. A. VI. 334 etsi unam tantum navem habere libro I. 113 dictus erat (cf. Serv. ad VI. l. l.) i. e. praefectus navalis. Sed fuerit a Lucano abusive dictum, tamen probabilius est quam vocabulum librariis deberi. Et cf. infra 592 „stetit anxia classis", quod omne dubium praecidit.

577 *Ibat* de conatu: parabat ire sive transscendere in hostilem navem.

580 „*E* littore" est ineptum, qui e littore adspicit, ipse in eo est; qui primus scripsit *e litt.* vulgarem formulam „prospicere e littore" temere secutus est. „A littore" longe remoti debent prospectare vel *expectare.* Nihil faciunt exempla Cortii h. l., quod nusquam verbum *spectare* in proximis est, idque ducit ad falsam iuncturam. *E* praeter Oud. reliqui.

582 *Dura* pro *surda* ex det. Cort., Weis.

586 „Non flectere puppim — si nos arcere parabas", praestabat *non* devertere ad Lesbum, si me abductam postea vetares ullam in terram (tecum) escendere.

587 *Alto* strenue defendit Cortius, ante *alio* levius distinguit et *alio* cum *latebrisque* iungit Hos., fort. typographi errore. Non *alio,* ut dicit Cort., sed *alto* abundaret. „Cum fugeres alio" nempe non Lesbum. Cur deflexisti a cursu proposito, si mihi nihil prodest? *Latebraque* Heins. teste Burm., melius „omnibus, *ah* | terris". Sed quidquid onerat sententiam hanc exquisitam, intellectui nocet.

590 Puppe extrema, quae erat in littus

Adtonitoque metu nec quoquam avertere visus,
Nec Magnum spectare potest. Stetit anxia classis
Ad ducis eventum, metuens non arma nefasque,
Sed ne submissis precibus Pompeius adoret
Sceptra sua donata manu. Transire parantem
Romanus Pharia miles de puppe salutat
Septimius, qui (pro superum pudor!) arma satelles
Regia gestabat posito deformia pilo,
Inmanis, violentus, atrox, nullaque ferarum
Mitior in caedes. Quis non, Fortuna, putasset
Parcere te populis, quod bello haec dextra vacasset,
Thessaliaque procul tam noxia tela fugasses?
Disponis gladios, ne quo non fiat in orbe,
Heu, facinus civile tibi. Victoribus ipsis
Dedecus, et numquam superum caritura pudore
Fabula: Romanus regi sic paruit ensis,
Pellaeusque puer gladio tibi colla recidit,
Magne, tuo. Qua posteritas in saecula mittet
Septimium fama? scelus hoc quo nomine dicent,
Qui Bruti dixere nefas? Iam venerat horae

591 ne quoquam M, avertere MAUG, advertere V, **592** expectare c, **593** adeventum orr.: eventum) R, **595** donare T, par*a*ntem (*a* m. 2) M, **596** pharia.miles M, **597** septimus $B_1M_1U_1R$, et sic 609 et 668, proh V, **598** portabat G (gestabat g), **599** inmanes M_1, nullique V_1, **600** caede a, **601** haec s. s. m 2 M, [haec] ET, vacaret MAVRG, vacasset m (3^a m) aEUg, **603** ne quod G, **607** recedit M, recidet mb, **609** ducent T, **610** quid T, n*ef*as M.

conversa, ut in subducendis quoque navibus fiebat. Pendet corpore extra navem porrecto.

591 „Attonitos visus" Bentl. e libris „aliquot" sic etiam man. alt. in F (Vat.) Hosii; simplicius est „attonito metu", quia id praemissum divisioni per *nec — nec* ad utrumque membrum pertinet, *attonitos* contra ad prius tantum referendum a loco legitimo revulsum est. „Attonito metu" comparat Oud. cum „curae attonitae" Sil. III. 132, „ululatus att." ib. IV. 692. Paulo tantum licentius est quam „manus attonitae", „vultus attonitus" et simm. de quibus nemo dubitabit. Cf. Oud. „Quoquam", nempe in alios praeter Pompeium, i. q. alio. *Visus* plur. pro oculis III. 6, IX. 987.

592 „Stetit—classis" i. e. socii navales cf. supra ad 575.

595 Redit ad momentum, quo narrationem v. 575 abruperat.

601 Rursus U melius quam M; etsi Bentl. praefert *vacaret*, quod tres deinceps versus in *asset* desinant, de quo non querendum est, si sententia elegantiam istam non patitur. Miles non *tunc* bello *vacabat*, sed cum ad Pharsalum pugnabatur *vacaverat*.

603 Partiris sic gladios (nunc inter Thessaliam et Aegyptum) ut nulla in orbis parte desit nefas (removebas Septimium a Thess. ut in Aegypto peccare posset). *Tibi* dativum ethicum esse puto nec opus coniectura quamvis elegante Bentleii: „(heu facinus!) civile *nefas*." De *civilis* vid. supra ad 545. „Civ. nefas" ut h. l. VII. 432.

610 „Qui Bruti dixere nefas" Bruti sc. factum, quod ex „scelus" suppletur. Brutus civis Romanus occidit Caesarem, quod nefas visum, quanto turpius si satelles barbari regis Pompeium iugulavit! Ad 612 „iura" cf. II. 463 („ius sui perdidit Umbria"). Pro *tunc* Burm. *cum*, quoniam *tunc* tertio ab-

Terminus extremae, Phariamque ablatus in alnum
Perdiderat iam iura sui. Tunc stringere ferrum
Regia monstra parant. Ut vidit comminus ensis,
Involvit voltus, atque indignatur apertum
Fortunae praestare caput, tunc lumina pressit
Continuitque animam, ne quas effundere voces
Vellet et aeternam fletu corrumpere famam.
At postquam mucrone latus funestus Achillas
Perfodit, nullo gemitu consensit ad ictum,
Respexitque nefas, servatque inmobile corpus,
Seque probat moriens, atque haec in pectore volvit:
„Saecula Romanos numquam tacitura labores
Attendunt, aevomque sequens speculatur ab omni
Orbe ratem, Phariamque fidem. Nunc consule famae.
Fata tibi longae fluxerunt prospera vitae;
Ignorant populi, si non in morte probaris,

611 ablactus (a s. s.) M, **612** cum stringere BETg, ferum U, **613** ensem G, ensis M, enses m, **614** ivolvit U, indignatus O vulgo, indignatos (s. s. u) U, **615** praebere MAUG, monstrare V, **616** timuit (*sic pro*: continuitque animam) ne — famam (617) l. Serv. A. XI. 418, **617** *in* U *ab alia manu scriptus,* vellet Serv. AMUTG, possit aVgR, corrumpere.... famam (f a 2a m) M, **618** sed aMVUR, at ABG, **619** consentit aG (— sit g), concessit C, **620** respexitque ORT, **621** probans T, **624** ne *corr. in* nec, *deinde in* nunc M, non B_1, **625** secula c (pro: prospera), **626** probares A (— ris a) E (— ris e) T.

hinc versu (615) sequitur, nisi pro *tunc* (615) *sua* legatur.

614 Vulgo: *indignatus. Indignatus* tum cohaeret cum *pressit*, ut ab *atque* novum membrum incipiat: „atque indignatus — caput tunc lumina pressit" in quo *tunc* esse vitiosum sensere Burm. Cort. Bentl. Quibus assentiens cum Bentl. dedi *indignatur.* Loco sic constituto non necesse unam aut alteram correctionem Burm. (vid. ad 610) admittere. Bentl. „libenter" quoque „legeret": „*haud* indignatus *opertum*" i. e. non pudebat eum caput tegere. Recepta vulgata praestat: pudebat eum coram Fortuna, inimica, ulla signa doloris in facie ostendere, ne inferiorem se fateretur.

617 *Posset* Burm. Weis., *ferret* Heins. teste Burm. *Vellet* i. q. cuperet; clausit lumina, ne adspiceret plagam venientem et sponte eiularet; „lumina pressit continuitque animam" sic iungenda ut *ne* utroque pertineat. „Effice ut velis" praeceptum est Senecae, cf. Cortius.

619 *Consentire* interpretantur: „simul spirare", „conspirare" (si intellego) aut: „se submittere, non repugnare" ac si „consentire" de facto dici possit. Verbum corruptum. Commentator: *concessit* legit i. e. se submisit; hoc quoque contortum. Placet (sed non satis certum): „nullo gemitu *concussus* ad ictum (est) *respexitve* nefas". „*Quati* singultu, gemitu" notum; „non respexit" i. q. non oculos vertit in n. *Despexit* Burm. Cort, quod in proposita lectione non opus.

621 „Seque probat" i. e. qui sit, s. se vere Pompeium esse.

622 „Saecula", rell. Melius utique quam Imp. Napoleon („soldats, du sommet de ces pyramides trente siècles vous regardent") quatenus certe futura et viva, non mortua dicit, quae attendant.

625 „Prospera" pro adverbio. *Vitae* oppositum verbis *in morte* (626).

626 *Ignorent* Bentl.; non obtempero: „numquam populi te in adversa fortuna *viderunt*; nunc praesta te virum". Heins.: „*ignorent* — *proberis*". Sed *probaris* activa forma est = probaveris (te scire pati).

An scieris adversa pati. Ne cede pudori,
Auctoremque dole fati. Quacumque feriris,
Crede manum soceri. Spargant lacerentque licebit,
Sum tamen, o superi, felix, nullique potestas
Hoc auferre deo. Mutantur prospera vita,
Non fit morte miser. Videt hanc Cornelia caedem,
Pompeiusque meus. Tanto patientius, oro,
Claude, dolor, gemitus: natus coniunxque peremptum
Si mirantur, amant." Talis custodia Magno
Mentis erat, ius hoc animi morientis habebat.
  At non tam patiens Cornelia cernere saevom
Quam perferre nefas miserandis aethera conplet
Vocibus: „o coniunx, ego te scelerata peremi,
Letiferae tibi causa morae fuit avia Lesbos,
Et prior in Nili pervenit littora Caesar.
Nam cui ius alii sceleris? Sed, quisquis in istud
A superis inmisse caput, vel Caesaris irae

627 sciris (e s. s.) M, **628** auctoremve A (*m.* 2 que, marg.) ETg, dolae U, ferires U_1. **629** manu b, iacerentque A (lac. m 2), **630** o felix superi G_1, **631** vita MCGVU, vitae mBEA, **632** non sum (*ex* non fit *ut vid. corr.*) AB_1e, **633** meos a, **634** clude M (a s. s. m. 2ª)R, claude AB, gnatus V, **636** ius hoc T, **637** notam M (n s. s. m. 2), **638** complent (m 2 marg) a, **640** laetafera B, obvia U, **642** nam si a, ounis (cui ius?) a (2 *m. marg*) *cuiius* E (s *a m.* 3), cuius M(Stht)R, cui ius e (marg.) VUG, al.i U, **643** in.mis... se M, (corr. inmisse, immississe M_1Stht), immisse (e s. s.) A.

627 „Ne cede pudori", roll. „ne pudeat te tui, deplora potius auctorem fati", Caesarem, nempe qui se ignominia opplerit. Sententia Stoica ac paene Christiana; qui putat peccatum solum esse dolendum, iudicabit beatiorem qui (nulla cum ignominia) moritur. — Negationem ad prius tantum membrum pertinere apparet. Cf. III. 569, IV. 604, 735, VI. 756, VII. 680, IX. 147, 497. Aliter Grotius: „ne te pudeat quod iusso pueri, decreto spadonum, manu desertoris occideris; non illis adscribenda mors est, sed Caesari."

631 „*Vitae vicissitudine* amittuntur prospera" Prospera mutantur sc. *adversis*, quod e *contextu* facile suppletur. *Vita*, non *mors* facit infelicem. *Vita* (non *vitae*, quod Weis. praetulit c. Heins. Adv. p. 166) Commentator cum optimis. — „Non fit morte miser" egregia sententia: mors delere potést, non infelicem reddere eum, qui non est aut non sentit. Explica: non fit quis morte miser. Nihil omissum, sed *miser* abstractum est generale pro: *miseri* (ὁ ἄϑλιος). Locum tentavit male Burm.

633 *Tantum* ex dett. Cort., male. *Claude* i. q. cohibe.

635 „Talis *constantia*" suspicatur Hos. Sine dubio lectius vocabulum est *custodia*: „tantopere cohibere mentem poterat", melius significat intentionem obluctantis, quam *constantia*. *Mentis* est. gen. obiectivus.

636 „Ius", roll. i. q. tantum poterat in animum morientem.

637, sq. Ludit Heins. Advv. p. 166: „quam *vir*" (sic Schrad. quoque) vel „*hic* quam". Hask. supplet: „quam perferre *fuisset*". Sed iam nefas passa erat re vera, nam quod vir vincebatur, amanti uxori videbatur nefas.

641 Caesarem prius in Aegyptum venisse quam Pompeium nunc demum credit Cornelia, quod alius ausurus non fuerit Pompeio vim inferre; non convenit cum nuntio Ptolemaei v. 563, sqq.

Vel tibi prospiciens, nescis, crudelis, ubi ipsa
Viscera sint Magni; properas, atque ingeris ictus,
Qua votum est victo. Poenas non morte minores
Pendat, et ante meum videat caput. Haud ego culpa
Libera bellorum, quae matrum sola per undas
Et per castra comes, nullis absterrita fatis,
Victum, quod reges etiam timuere, recepi.
Hoc merui, coniunx, in tuta puppe relinqui?
Perfide, parcebas? te fata extrema petente,
Vita digna fui? Moriar, nec munere regis;
Aut mihi praecipitem, nautae, permittite saltum,
Aut laqueum collo tortosque aptare rudentes,
Aut aliquis Magno dignus comes exigat ensem;
Pompeio praestare potest, quod Caesaris armis
Inputet. O saevi, properantem in fata tenetis?
Vivis adhuc, coniunx, et iam Cornelia non est

645 sunt MU, sint AGREV, **646** quod votum c, **647** pen*dat* M (pendit M_1Stht), culta A (culpa *m.* 2. *marg.*), **648** ubera bellorum AB, **649** comis M_1, nullisque b, **653** fui digna MA (corr. m. 2) B_1E_1 digna fui vita T, morior *ut vid.* B_1, maior T, munera reges M_1(Stht), geris a, **654** permitti*te s*altum M, **655** artare AB, aptate G, rudentis M, **656** at E_1, ense B_1, **658** inputent a, **659** vivi*t* U.

644 „Ubi ipsa viscera sint Magni" nempe apud me; si Pompeium vexare vis, me pete: „Vel *tibi*" i. e. vindictae tuae.

646 „Qua votum est victo", cui nil gratius est quam cladi non superesse. „Poenas penderet Pompeius morte maiores si me adspiceret interfectam. „Pendat (imprt.) poenas illas, et videat antea (ante suam mortem) caput meum poenas pendens".

651 „*Quo* merui" Heins. Mihi vel si liberum esset optare, placeret magis vulgata; *hoc* est dictum cum contemtu quodam; hocine merui oro omni amore? *Coniunx* est vocativus, non appositum ad subiectum.

653 Heins. Advv. p. 166: „moriar *ne* munere regis, | aut mihi", rell. Nil offendit in vulgata; *nec* sc. *moriar*.

655 *Ar*(*c*)*tare* praeter AB tres deteriores ap. Cort., quod tam propter „latinitatem" (*artare* enim solet habere in acc. rem, quae stipatur, non quae stipat, h. l. *rudentes*), quam maiorem fidem Montepessulani spernendum est. *Aptare* Ov. Met. X. 381 „aptabat pallenti vincula collo" (Burm.) *Aptate* G contra sententiam; hoc frustra petisset; tantum cupit ut sibi veniam dent voluntariae mortis.

656 „Exigat ensem" i. q. transigat, ut saepe *exigere* pro *agere penitus* apud epicos post Vergilium.

657 Uno dono potest utrumque obligare tam Pompeium quam Caesarem. „Pompeii uxori potest donare mortem (exoptatam Pompeio) *eamque* Caesari expensam ferre (Caesari sic gratificari). *Imputare* i. q. in rationes referre (in computum), in rekening brengen. (De „ferre" et „referre expensum" cf. M. Voigt, K. Sächs. Ges., B. X. N°. VII 1877 p. 561). *Inputare* cf. omnino Iuv. V. 14, sq., parvam mercedem laboris a patrono accipit parasitus, nempe cibum „inputat hunc rex et quamvis rarum, tamen inputat" (hij houdt het hem na). Praecipue clarum est: „qui dat aliquid et inputat, contumeliam magis quam beneficium dedit". Sexti Ench. 327 ap. Mayor ad Iuv. l. l. Hask. ad h. l. Prava significatio in vocabulo h. l. non inest: si Caesar contendat in Aegyptum, potest se commendare interfector, dicendo se eius inimici uxorem iugulasse. Vid. Schol. Voss.

658 „Properantem" sc. me.

659 *Vivit* U, sed *t* ex corr. Omni ex parte praestat invocatio in 2a pers.; transitus ad 2 pers. v. 660 minus aptus; porro invocat coniugem tanquam testem iniuriae.

Iuris, Magne, sui. Prohibent accersere mortem,
Servor victori". Sic fata interque suorum
Lapsa manus rapitur, trepida fugiente carina.
At Magni cum terga sonent et pectora ferro,
Permansisse decus sacrae venerabile formae,
Iratamque deis faciem, nil ultima mortis
Ex habitu voltuque viri mutasse fatentur
Qui lacerum videre caput. Nam saevus in ipso
Septimius sceleris maius scelus invenit actu,
Ac retegit sacros scisso velamine voltus
Semianimis Magni, spirantiaque occupat ora,
Collaque in obliquo ponit languentia transtro.
Tunc nervos venasque secat, nodosaque frangit
Ossa diu, — nondum artis erat, caput ense rotare, —
At postquam trunco cervix abscisa recessit,
Vindicat hoc Pharius dextra gestare satelles.
Degener atque operae, miles Romane, secundae,
Pompeii diro sacrum caput ense recidis,
Ut non ipse feras? O summi fata pudoris!
Inpius ut Magnum nosset puer, illa verenda
Regibus hirta coma, et generosa fronte decora

660 arcessere AR, arcersere BE_1M, accersere UVG, **661** servo a, **662** trepide AB_1M_1, **663** sonant c (sonent c, *aliud scholion*) pectora M, **664** sacrae decus G_1, **665** aciem (*s. s.* oculorum) U, nihil G, **670** semianimi *deleta postrema s* Mb, semianimus A (-mis a), semianimis VUG, **671** oblique M_1, trastra M_1, **675** vendicat aV, gestare *add. m.* 2^a M, satellis A, **676** *in litura ant. m. scriptus* U, **677** recedis M_1, pompei (*ut semper*) A, pompeii V, sacrum diro U, **679** ille B, **680** irta AUE.

665 „*Certantemque*" Bentl., ea sententia qua Madv. Advv. II. p. 132 minus feliciter *aequatamque* proposuit *Iratam* corruptum; sententia potius *placatam* requiritur, vide modo v. 630. *Aciem* cum U Heins. Oud. inepte. — *Nam* v. 667 ad *lacerum* pertinet. *Iam* Heins. sine idonea causa.

671 „Transtro" Pompeium cum e lembo egrederetur confossum tradidit maiore cum probabilitatis specie Plutarchus in Vita quam Lucanus, qui in navicula etiam amputatum caput dicit, sed maiore et praeparata saevitia, qualis est Senecae cf. e. g. Thyest. 712 sqq. Abscidebant Romani securi capita, sub Caligula saevitia orientalis penetrasse Romam videtur; Caligula (Suet. Cal. 32) inter cenam „militem decollandi artificem" admirans imaginem satrapae cuiusdam refert. Parvus gladius militis Romani huic labori minus aptus quam acinaces. Speculatores sive custodia corporis Imp. hoc artificium postea callebant. Suet ll. „miles e custodia decollandi artifex quibuscumque capita amputabat" (sic leg., vulgo *e custodia* ponitur post *quibuscunque*). *Rotantes* uno giro gladii vivum caput amputant. Ceterum cf. Triller ad 673.

675 Ex *vendicat,* quae orthographia est frequens in codd. Heins. Advv. p. 166 *venditat* malebat. „Pharius satelles" est Achillas, cf. 538.

677 „Ut non ipse feras" cedens honore ferendi divinum caput Achillae (ut = sic, ea condicione ut). Non facile est videre indignitatem multo minorem fuisse futuram, si ipse Septimius (qualis Romanus!) caput gestasset. Non *poterat* hoc ius sibi vindicare miles „operae secundae."

Caesaries conprensa manu est, Pharioque veruto,
Dum vivunt voltus atque os in murmura pulsant
Singultus animae, dum lumina nuda rigescunt,
Suffixum caput est, quo numquam bella iubente
Pax fuit; hoc leges, campumque et rostra movebat,
Hac facie Fortuna tibi Romana placebas.
Nec satis infando fuit hoc vidisse tyranno:
Volt sceleri superesse fidem. Tunc arte nefanda
Submota est capiti tabes, raptoque cerebro
Adsiccata cutis, putrisque effluxit ab alto
Humor, et infuso facies solidata veneno est.
  Ultima Lageae stirpis perituraque proles,
Degener, incestae sceptris cessure sorori,

681 *alia sed antiqua m. scriptus in U,* conprensa mV, conpressa MAUG, **682** hos T, pulsat aT, **685** *postea scriptus m. simili primae* U, **688** volt M (vult m), vuolt G, sceleris MGT, sceleri ABVU, arte..nefanda M, **690** assicata M, asicata A, at siccata B, assiccata VE, ac sicc. G, exsiccata Uga, **693** sorori AMBCT, sororis a(M Stht).

681 „Manu est, Pharioque veruto" sic leg., cum distinctione post *est*; duae sunt actiones: prehenditur caput manu, et suffigitur veruto. *Conpressa* etiam optimi codd. Sed ut caput tollatur in altum prehenditur caesaries; *premere* eam non sufficit. Bentl. v. 681 legit *canities* pro *caesaries,* quo vitium si quod est (*coma* iuxta *caesaries*) non tollitur.

682 „Os in murmura pulsant | singultus animae". Facilior Ovidio parata est excusatio, qui Orphei capiti murmura adscribit Metam. XI. 52 „flebile lingua | murmurat exanimis" quam Lucano, qui portenta loquitur. Utrum tale quid narratum fuerit, an merum sit inventum poetae non liquet. Superstitiosa aetate talia facilius fidem inveniunt.

683 „Lumina *nuda*" horrorem augent, sunt: non clausa. Ad pietatem erga mortuos pertinet eorum oculos claudere.

685 „Leges movebat" i. e. sollicitabat, abrogabat; quae hic memorantur omnia ad operam forensem pertinent, in qua magnae partes oculorum, vultus, vocis, eloquentiae omnino. *Reges,* quos huc adscivit Oud., ab h. l. alieni. Satis *campus* et *rostra* definiunt vocabulum *leges.*

686 „Hac facie": sub hac (Pompeii) facie Romae apparens contenta eras s. beata tibi videbare.

688 *Sceleri* aptius est quam *sceleris*; otiosa est notio *τοῦ super*, si *sceleris* legitur: sufficiebat: *esse, exstare.* Hoc vult: *diutius* exstare monumentum quam memoriam facti. Palaeographicis rationibus praestaret *sceleris,* quod littera (*s*) facilius socordia omittitur quam additur. *Sceleris* Oud. Burm. Hos.

690 Optime Hos. *adsiccata,* vulgo *exsiccata* (debebat scribi *exiccata*, ut a *seco*: *exicare* (*arundinem*) simm.). Ex *adsiccata* reliqua varietas facilius explicatur (*acsiccata, et sicc., exsic.*) quam ex *exiccata.* Praepositio *ad* in composito huic loco accommodata est, significans: in superficie, ut in *adurere, adtondere.* „*Rapto* cerebro" i. q. erepto, extracto.

Ib. „Ab alto" a vertice; caput pronum cogitatur; cerebrum et omnis putredo per nares extrahebatur hamo quodam, ut auctores et monumenta Aegyptiaca docent.

692 *Periura* Heins. acute; sed *peritura* i. q. in eo ut pereas, ut in „periturae maenia Troiae"; equidem praeferrem tamen *periura. Sororis* male Weis. Hi duo versus (692, sq.) summae sententiae praeponuntur, quae est: „cum tibi (ult. Lag. st.) Alexander sacrato monte servetur et regum cineres et Ptolemaeorum manes pyramides claudant, littora Pompeium (tua opera) feriunt!"

Cum tibi sacrato Macedon servetur in antro,
Et regum cineres extructo monte quiescant,
Cum Ptolemaeorum manes seriemque pudendam
Pyramides claudant, indignaque Mausolea,
Littora Pompeium feriunt, truncusque vadosis
Huc illuc iactatur aquis? Adeone molesta
Totum cura fuit socero servare cadaver?
Hac Fortuna fide Magni tam prospera fata
Perculit, hac illum summo de culmine rerum
Morte petit, cladesque omnis exegit in uno
Saeva die, quibus inmunes tot praestitit annos;
Pompeiusque fuit, qui numquam mixta videret
Laeta malis, felix nullo turbante deorum,
Et nullo parcente miser. Semel inpulit illum
Dilata Fortuna manu. Pulsatur arenis,
Carpitur in scopulis, hausto per volnera fluctu,

694 dum T, **695** et regum — claudant (897) l. Serv. D. A. XI. 849, instructo ET, **698** trucusque (n s. s. m. 2) M, **701** fide . magni M, fidem B_1, **702** pertulit vulgo O, **703** morti B_1, omnes M, **704** dies BG, **709** scopolis M_1.

694 Cf. X. 19, unde intellegetur, h. l. Alexandrum postponi Pompeio.

695 „Regum" pharaonum, Ptolemaei deinceps sequuntur. „Extructo monte" pyramidem significat. Multis pro sua coni. *mole* pugnat Cortius, quam non tam praefracte damnaverim quam Burm. — „Extructus" acerbe et per oxymoron pyramidem notat.

698 „*Aequora* Pompeium" Schrad. Non mutaverim. Corpus in vadosa aqua tardo motu natans modo hinc modo illinc declivi arena *repellitur*; vide proxima et 708 „pulsatur arenis."

702 „*Hac* fide" i. e. nulla. *Pertulit* vulgo, quod Weis. explicat suppleto „ad exitum", eodem i. e. nullo iure possis supplere „ad culmen", ita Cort. fere *pertulit* accipiendum putans reiecit, et *protulit* dedit; Heins. ad Sil XIV. 630 *protulit* sed alia sign.: extendit; Burm. aliena admiscet, quibus *perferre* est ad finem tolerare. Dissensus interpretum iam suspectus. Non multum tribuo tribus deterioribus ap. Cort. *perculit* praebentibus, sed *c* et *t* tam in unciali quam minuscula scriptione adeo similes sunt, ut mutatio paene nulla sit. Secutus igitur sum Beroaldum et Guyetum; *perculit* i. q. adflixit, stravit. Sic confunduntur, *cingere* et *tingere* in Veneta supra I 619, *causa* (*cā*) et *tam* (*tā*) Drakenb. ad Liv. VIII. 14. 1, *retrimentum* (a terendo, post tritionem residua) et *recrimentum* Keil ad Varr. RR. I. 64. *cumulus* et *tumulus* Prop. IV. 16. 29 (Lachm.), *crux* et *trux* Voss. 2 Liv. IX. 18. 5, cf. „R. Unger Sinis" p. 14, 217.

703 „*Sorte* petit" Heins. l.l., et Advv. p. 166, Marklandus *sorte dedit* („de culmine = proiecit?), Burm. „monte *premit*", Bentl.: *praecipitat* (hac sc. fide). „Hac morte petit illum fortuna" pro „plectit eum hac morte" satis insolens cum praesertim *de* sic *post* significet, sed incerta correctio; malim: morte *rapit* (iung. cum *de culm.*). — *Exegit* repetivit quasi debita; hoc simplicius quam: prorsus exercuit, effudit, quod Cortio videtur placere, sane non contra Lucani consuetudinem. *In imo* Modius. „Quibus" (704) pendet ab *inmunes*.

708 „Dilata manu" i. e. poena vel vindicta. *Inpellere* i. q. prosternere cf. ad IV. 67, VI. 122. *Semel* (oppositum est *identidem*) eens vooral, Senecae frequens Cort. ad VI. 756. *Carpitur* (709) depascitur, per frustula minuitur.

Ludibrium pelagi, nullaque manente figura
Una nota est Magno, capitis iactura revolsi.
  Ante tamen Pharias victor quam tangat arenas,
Pompeio raptim tumulum Fortuna paravit,
Ne iaceat nullo, vel ne meliore sepulcro.
E latebris pavidus decurrit ad aequora Cordus,
Quaestor ab Idalio Cinyraeae littore Cypri
Infaustus Magni fuerat comes. Ille per umbras
Ausus ferre gradum, victum pietate timorem
Conpulit, ut mediis quaesitum corpus in undis
Duceret ad terram traheretque ad littora Magnum.
Lucis maesta parum per densas Cynthia nubes
Praebebat, cano sed discolor aequore truncus
Conspicitur. Tenet ille ducem conplexibus artis,
Eripiente mari; tunc victus pondere tanto
Expectat fluctus, pelagoque iuvante cadaver
Inpellit. Postquam sicco iam littore sedit,
Incubuit Magno, lacrimasque effudit in omne

713 *post hunc v. in U unus versus* (*postremus in pag.*) *deletus fort* 685, **715** co*drus* M codrus VU, cordus (u *ex* i) BAGT, **716** (y)icario, O (etiam M, errat Stht) *cireneae* MUV, cinireae R, cinyrei A, cyrinei B, cynireae G, cinyraei C (cirenei c), cyrenei ET, litt. ponti AB (i ex o)ET, cypri a, **717** infaustos R, iufaustusque g, inf. fugae Rg, **718** gravem B_1, gradus E, victe M, victum m, **720** terras G, litore MBE, in litora VT, **721** perdenss*as* M, scinthia R, **724** *nunc* M, nunc G *marg. a* U, tunc ATV, iustus T, **727** imbuit B_1, effundit M (Stht), effudit MABEVUGm (Stht).

714 „Vel" si Caesar in tempore affuisset, Caesar melius sepulcrum ei parasset. Rectius de Caesare h. l. iudicat Luc. quam alibi. *Cordus* prox. v. est Romanum, *Cŏdrus* Graecum, numquam ō, cf. Iuv. I. 2.

715 Apud Plutarchum Philippus libertus, comes Pompeii, sepulturae curam habet, supervenit autem postridie Lucius Lentulus a Cypro (c. 80). *Cordus* Lucani contra Quaestor erat in Cypro, nunc secutus Pompeium, sed infelix (*infaustus*) comes in lembum cum Pompeio ingressus, eo peremto effugerat, nuno latebat. Annotatio Bentleii ad h. l. tam confusa est quam narratio ipsa. *Quaestor* hic rursus *iuvenis* dicitur 743.

716 *Idalio* correxit Micyllus, *Acidalio* Heins. Advv. p. 166. *Cinyras* vetustus Cypri rex notus.

717 „Infaustus*que fugae*" (vid. Rg) recepit Burm., *maestus* (716) pro *quaestor* proponens.

720 *Ducere* aptum de corpore natante leniter et sensim moto, cf. „equidem me duco (laten glijden) de arbore". Plaut. Aulul. v. 708.

724 *Eripere* de conatu accipiendum, ut δοῦναι pro *offerre* multaque alia Graece. Pro vulg. *nunc* recepi ex AVT *tunc*; *nunc* alienum a sententia: *nunc—nuuc—*(*modo—modo—*) et apud poetas raro semel positum *nunc* (Hand. Turs. IV. 342 sq.) de alternante actione, ut h. l. si modo *tenuisset*, modo *expectasset*, tunc rursus tenuisset, rell. Sed sunt singula momenta actionis quae indicantur, nam *fluctus*, quos expectat, sunt aestus (*vloed*; *veniliam* dicebat Varro), vel accuratius „aestus accessus"; hic pellit corpora ad littora; Cordus (in aquam ingressus) adiuvat impetum aestus accedentis manus vel humeros supponens: „*inpellit* cadaver". Sine causa Hos.: *attollit* vel *ext.* coni. et Burm. „*motos* exp. fluctus" et Oudend. (723): „*nunc nexibus* artis eripiente mari, nunc." — Ceterum *erip. mari* int. de aestus recessu (*eb*), qui corpora secum in pelagus trahit.

727 *Incubuit* cf. VI. 565, IX. 57.

Volnus, et ad superos obscuraque sidera fatur:
„Non pretiosa petit cumulato ture sepulcra
Pompeius, Fortuna, tuus, non pinguis ad astra
Ut ferat e membris eoos fumus odores,
Ut Romana suum gestent pia colla parentem,
Praeferat ut veteres feralis pompa triumphos,
Ut resonent cantu tristi fora, totus ut ignem
Proiectis maerens exercitus ambiat armis.
Da vilem Magno plebeii funeris arcam,
Quae lacerum corpus siccos effundat in ignis,
Robora non desint misero, nec sordidus ustor.
Sit satis, o superi, quod non Cornelia fuso
Crine iacet, subicique facem conplexa maritum
Imperat, extremo sed abest a munere busti
Infelix coniunx, nec adhuc a littore longe est''.
Sic fatus, parvos iuvenis procul adspicit ignis
Corpus, vile suis, nullo custode cremantis.
Inde rapit flammas, semiustaque robora membris

731 odoris M_1, **732** et v, **733** proferat a, perferat T, ferialis B. **734** tristi cantu AMGT, in (*pro* ut) V_1, ignis AVUBEG, ignem Mbg, *deest versus in R et post* 743 *collocatus*, **736** plebei UR, plebi T, **737** ut (*pro* in) b, **740** subiitque G, subicit g, **741** funere busti MUvRg, munere VEABG, **743** aspicit VU (*ut solet*), aspigat T, ignis M_1R, **744** sui U, cremantes A (— is a, *marg*).

728 *Obscura* cf. 721.

729 *Sepulcra* i. q. sepultura, non necesse ut capiatur de rogo.

732 *Parentem* patrem patriae malim interpretari, quam locum intellegere de filiis patris cadaver portantibus.

733 *Praeferat* cum fastu, Tib. I. 1. 54 „ut domus hostilis praeferat exuvias." „Triumphos" per titulos.

734 „Ut resonent" Hor. Sat. I. 642 „at hic si plostra ducenta | concurrantque foro tria funera, magna sonabit | *cornua* quod vincatque *tubas*". In foro oratio funebris habebatur.

735 Decursio militaris significatur qualis fiebat ad tumulum caesorum (Verg. A. XI. 189, Tac. Ann. II. 7); ob oculos habet sine dubio exequias unius e domo Imperatoria fortasse adversarii Pompeii, Iul. Caesaris, de quo cf. Suet. 84. *Proiectis* accipio „coniectis in rogum, ut crementur". Suet l. l; de submissis telis (ut fasces *submittuntur*) non usurpari potest, nam *proicere* subinde est: ante se extendere, non: subicere aut invertere, pugnat hoc cum sign. praepositionis. *Protentis* Hos. coll. Stat. Theb. VI. 189, 204, ubi *obtentis* armis (i. e. clypeis), visus nefastus tegitur, quod hic non aptum.

737 *Siccos* unguentis destitutos.

740 *Sŭbici* res nota, cf. Müller Metr.² p. 291. Cf. VII 574 „manu sŭbicit gladium", *ŏbicis* VIII. 796, *ŏbicit* IX. 188. Reliqua composita *adicio coicio traicio proicio* apud Luc. (in praes. temp.) non inveniuntur. Ceterum apparet ex illa quantitate *i* non sonuisse *ji*, ut est in *Pompei*, *plebei*, genetivis aliis, hoc est *PompeI, plebeI* (a *plebeius*) quae secundum nunc receptam litteraturam melius per *ii*, opinor, scribuntur.

Ib. „Conplexa maritum" vult in rogo coniugis et ipsa cremari.

741 Errat Burm. „munere" de dono ferali in rogo posito intellegendum dicens, *busti* est genetivus definitivus; *bustum* ipsum sive rogus est *munus* mortuo oblatum. „Sit satis" (739) scil. ad iram vestram placandam.

744 *Cremantis* iung. cum *ignis*.

Subducens „Quaecumque es, ait, neglecta, nec ulli
Cara tuo, sed Pompeio felicior umbra,
Quod iam conpositum violat manus hospita bustum,
Da veniam; si quid sensus post fata relictum est,
Cedis et ipsa rogo, paterisque haec damna sepulcri,
Teque pudet sparsis Pompeii manibus uri".
Sic fatus, plenusque sinus ardente favilla
Pervolat ad truncum, qui fluctu paene relatus
Littore pendebat. Summas dimovit arenas,
Et collecta procul lacerae fragmenta carinae
Exigua trepidus posuit scrobe. Nobile corpus
Robora nulla premit, nulla strue membra recumbunt,
Admotus Magnum, non subditus, accipit ignis.
Ille sedens iuxta flammas: „O maxime, dixit,
Ductor, et Hesperii maiestas nominis una,
Si tibi iactatu pelagi, si funere nullo

746 subducit OBE, (subducens g, (subducens Vu Stht errore), quacunque U, **748** violet AB, conpositam U_1, bustus (vel busty) U, **749** relictum est (relictūst) MEABUG, relictum V, **750** prodas v (*ad* cedis), **751** *ante* uri *littera erasa* U, **752** fatus MAUBEGT, fatur V, **753** *p*ervenit var. lect. in AHosii, **754** *ad* dimovit, *ut vid.*, *pertinet* si *in marg. scr. in* A, *voluit fort.* semovit, **756** exigua posuit scrobe l. Serv. Georg. II. 50, exigua scrobe Schol. Bern. Georg. II. 50, Mart. Cap. III. 305, Placidus, CGl. V. 147, 243 — exiguam — scrobem Mart. Cap., struem Plac. p. 147, **757** praemit a, premunt UVMABEC (ad 768), **758** ignes M_1, **760** hesperi (i s. s.) M, **761** funere nudo G (— llo g).

746 Pro *neglecta* Bentl. *nec fleta,* Hos. *neclecta* (*nec lecta*?) neutrum necessarium. Participium *subducens* pro *subducit* Grotius. Solus ex meis habet Gemblacensis pro var. lect. In fine versus Schrad. *ulla* pro *ulli*, frustra; *tuo* est substantivum, *ulli* attributum; quibus finibus prosa oratio hunc usum circumscripserit nihil attinet. *Cura* (747) non male Witt. ap. Oud.

747 „Pompeio felicior" quod certe in patria erat mortua. „Quod — bustum" pendent a „da veniam." „Conpositum bustum" i. q. rogum structum, si ligna iam tum disiecta fuissent nulla „violatio" esset facta. Haec propter Burm., qui male se extricat ex ficta difficultate.

750 „Cedis" sc. Pompeio; quidquid titionum superest, sponte (*ipsa*, umbra) Pompeio trades.

753 Cadaver aestu crescente erat subvectum, depositum in littore, cf. 726; truncus iam si „relatus" est, factum est fluctu contrario (eb). Sed est hoc nimis artificiose excogitatum, brevi illo tempore quo ignem Cordus affert, fluctus mutatus esset. Haec plane a poetica discriptione aliena non videntur ferenda, cum praesertim mutatio sit facilis; corrige LEVATUS (nempe sensim increscente aestu) pro RELATUS. Praeterea *relatus* vulgo i. q., in locum suum reductus" non ut h. l. esset *ablatus, abstractus.*

756 „Nobile corpus" — 758. Parsimoniam in funere haec indicant; ligna sunt tam pauca, ut corpus non in iis, sed in arena iaceat, ignis tam exiguus, ut flammula corpore superposito extingueretur. Iam Burm. animadvertit robora supra corpus ponere non moris fuisse; itaque cum Dorvillie *premit* legendum esse, ut quis dicitur e. g. „torum premere" pro incumbere toro; explicat ipse poeta: „nulla strue membra recumbunt." *Premit* ex a commendavi Mnem. XIX. 34. *Arripit* (758) mallet Burm., sed consulto id poeta vitavit, minus aptum de tenui fomite. Hask. *robora* de asseribus loculi accipit, precario vel propter voc. *premere.*

761 „Funere nullo" i. q. funeris defectu

Tristior iste rogus, manes animamque potentem
Officiis averte meis; iniuria fati
Hoc fas esse iubet, ne ponti belua quidquam,
Ne fera, ne volucris, ne saevi Caesaris ira
Audeat; exiguam, quantum potes, accipe flammam,
Romana succense manu. Fortuna recursus
Si det in Hesperiam, non hac in sede quiescent
Tam sacri cineres, sed te Cornelia, Magne,
Accipiet nostraque manu transfundet in urnam.
Interea parvom signemus littore saxum,
Ut nota sit busti; si quis placare peremptum
Forte volet plenos et reddere mortis honores,
Inveniat trunci cineres et norit arenas,
Ad quas, Magne, tuum referat caput". Haec ubi fatus,
Excitat invalidas admoto fomite flammas.
Carpitur et lentum Magnus distillat in ignem,
Tabe fovens bustum. Sed iam percusserat astra
Aurorae promissa dies: ille ordine rupto

763 adverte aM_1(Stht), incuria c, **765** volucris M, volucres rell. vulgo, **767** succensa RT, manu est MAT, **768** quiescant V, **770** transfundat U_1, **771** litore saxa M_1B, parvo s. litora saxo vulgo, **772** buste B, busto URg, busti VMAGE, **773** f. orte M, **775** fatur E_1, **777** distillat MV, magnus lentum VU, **779** aurora B_1VT, promissa A (praem. corr. a) E_1VMB, praemissa UGCRT.

(funere negato), peior est iste rogus quam mari iactari aut omnino sepulcro caruisse. „Pulvere nudo" Bentl. quo nihil lucramur. ‚Officiis averte meis', ignosce huic debili conatui.

765 „Volucris" iam Bentl. Schrad. pro vulg. *volucres*. Pluralem defendit Oud. quod una volucris non sufficiat ad corpus discerpendum. Collectivum est.

766 Heins. Advv. p. 166 „exiguae—flammae". Sed sententia: „exiguam fl., hoc solum potes" nihil ultra conceditur. Waddelius *potis*, sine causa.

770 „*Propriaque* manu" Bentl., multo melius Cort.; *castaque* manu. Sancte promittit Cordus quid *ipse* sit facturus (*quiescent, accipiet*), cum quo melius *nostra* convenit = mea ope.

771 Vulgo: „parvo signemus litora saxo" quod nemo intellegeret, nisi contigua iuvarent. „Littus signare uno lapide" res est inepta et verba insolita (*signare* foret *distinguere*). Burm. invitus (nam vult defendere) refutat vulgatam, dicens: non ipsum saxum, nam plura in littore iacuisse veri simile est sed titulus quo signavit nota fuit." *Parvō* exstitit ex *parvo*, secutum est *saxum* pro *saxo*; *litore* habet M. 1ª manu, et confusio est frequens ut *corpore* et *corpora*, *pectore pectora* in Luc. codd. Ov. Met. II. 326 „corpora dant tumulo signantque hoc nomine saxum."

777 *Distillat* cf. IX. 772.

Ib. Ignis, utpote parvus, erat *lentus* in comburendo; „fovens bustum" i. q. alens flammam tabo.

779 „Aurorae praemissa dies" Cort. Weis. Hos., vere ὕστερον πρότερον: aurora nuntiat diem, non dies auroram, hoc ita tritum, ut poeta non metuerit ne male intellegeretur scribens „aurorae promissa" (i. e. ab aurora) et quidam nasuti lectores crederent *aurorae* esse dativum accipientis. Restitui igitur quod Oud. Burm. habent. Si auctoritate pugnandum, MA alii stant pro *promissa*. *Aurora* abl. (vid. var. l.) pro „ab aurora" de persona (qualis cogitatur dea) non rectum.

Funeris, adtonitus latebras in littore quaerit.
Quam metuis, demens, isto pro crimine poenam,
Quo te fama loquax omnis accepit in annos?
Condita laudabit Magni socer inpius ossa;
I modo securus veniae, fassusque sepulcrum
Posce caput. Cogit pietas inponere finem
Officio. Semiusta rapit resolutaque nondum
Ossa satis nervis, et inustis plena medullis
Aequorea restinguit aqua, congestaque in unum
Parva clusit humo. Tunc, ne levis aura retectos
Auferret cineres, saxo conpressit arenam,
Nautaque ne bustum religato fune moveret,
Inscripsit sacrum semiusto stipite nomen:
Hic situs est magnus. Placet hoc, Fortuna, sepulcrum
Dicere Pompeii, quo condi maluit illum
Quam terra caruisse socer? Temeraria dextra,
Cur obicis Magno tumulum, manesque vagantes
Includis? Situs est, qua terra extrema refuso
Pendet in Oceano. Romanum nomen et omne

781 clemens B_1, **782** omnis (*mutatum in* omnes) MA, **783** laudebit U, **785** coget M_1, inpore (ne s. s.) M, inpone U_1, **786** semusta (i erasa) MBE, sed iusta C, **787** inustas M_1, inistis B_1, plena s. s. m. 2 M, sed U, **788** restringuit B, restrigit E_1 [que] B. **789** clusit (a s. s. m. 2) M, clasit (u s. s.) U, reiectos Rg, **790** conpresit (s. s. s m 2) M, clausit (m. 2 clusit) A, **791** removeret B, **792** inscribit Schol., semusto MVU, **793** l. Prisc. 551.6 H, placet — sep. l. C. Inscr. VI. 10969.11, **794** quo . condi . . M, **796** vaga*tis* (n s. s.) M.

782 *Exegit* Heins. pro *accepit*. Accepit tanquam gratum donum, de quo perpetuo loquatur. Satis insolens, expectes *suscepit* aut *transmittet* (sc. *te* pro: memoriam tui). Nihil mutandum.

785 „Cogit pietas inponere finem" to put the finishing stroke to. Hask., ne animadverteretur luce increscente sepulcrum.

787 Heins. recte distinxit post *nervis*, vulgo fit post *satis*. *Inustis* = non ustis; alibi est part. ab *inuro*; de aliis ambiguis veluti *indictus* ab *indico* et = *non dictus* monui ad Plaut. Aulul. 275, p. 29.

789 *Parva humo* parvo tumulo aut terra infusa exigua, quod scrobes non erat profundus. — „Retectos" retegeret et auferret.

793 „Placet hoc" cum contemtu, hoc quidquid est, non tam honestum, ut Caesaris iram posset movere, s. tam vile, ut Caesar eo contentus esse posset, cum vix melius sit quam mari iactari.

797 Omisit poeta significationem paene necessariam τοῦ *etiam*, *vel*: ubique, *etiam* in extrema terra. Si in verbis haeres, haec contra verum tumulum Pompeii collocant ad extremum Oceanum. — *Pendet* circumdatur undique fluctibus, non adhaeret continenti; cogites oram prominentem, quae per aestuaria saepe mersa a terra firma disiungatur. Sed non intellego, quid hoc *pendere* magnopere ad rem faciat. Magis probarem panditur pro pendet in i. e. quaqua terra panditur, extenditur vel ad extremum Oceanum. *Refuso* est circumfuso, ut Verg. A VII 225 (refuso oceano"), VI. 107. — *Obicis* (796) non pro *inicis*; tumulus quasi obex est, quo prohibetur anima evadere. Toto hoc loco ob oculos est Periclis dictum ap. Thuc. II 43: ἀνδρῶν ἐπιφανῶν πᾶσα γῆ τάφος.

Imperium Magno tumuli est modus. Obrue saxa,
Crimine plena deum. Si tota est Herculis Oete,
Et iuga tota vacant Bromio Nyseia, quare
Unus in Aegypto Magni lapis? Omnia Lagi
Rura tenere potest, si nullo caespite nomen
Haeserit. Erremus populi, cinerumque tuorum,
Magne, metu nullas Nili calcemus arenas.
Quodsi tam sacro dignaris nomine saxum,
Adde actus tantos, monimentaque maxima rerum,
Adde trucis Lepidi motus, Alpinaque bella,
Armaque Sertori, revocato consule, victa,
Et currus, quos egit eques, commercia tuta
Gentibus, et pavidos Cilicas maris. Adde subactam
Barbariem, gentesque vagas, et quidquid in euro
Regnorum boreaque iacet. Dic semper ab armis
Civilem repetisse togam, ter curribus actis
Contentum multos patriae donasse triumphos.
Quis capit haec tumulus? Surgit miserabile bustum
Non ullis plenum titulis, non ordine tanto

799 tumuli est AMVURT, est tumuli G, sax U, **800** crimina U, hercolis A_1, **801** nisheia A, vagant B, **802** est magni M, magni est ARTU, magno maE, [est] VG, **803** rura tenere AMBEG, arva VU, **805** magnae U, **807** adtie U, **808** truces MAB(?)VU, trucis E (ex silentio), **809** sertoris A (sertori, sertorli a) B, sertorii EV, **810** equos g, **812** barbariam BM_gERT, barbariem VU, in . ^{r}euo (e et r *a m.* 2) M, (orro M_1Stht), **815** donare T, **816** tumulis G (tumulus g), **817** nonnullis A_1.

799 „Est tumuli" Burm. Weis. *Modus* i. q. modulus. *Obrue* conde arena; *plena,* sq. quia sivorunt Pompeii corpus in tam ignobili iacere loco.

801 In Nysa non sepultum esse Dionysum animadvertit Hask. Sententia igitur: si semidei ot Dei non particulas montium sed totos obtinent, quidni totam Aegyptum divus Pompeius?

802 Significantius *Magni* quam *Magno*; lapis alicui erectus magnificus, unus lapis in bonis nihil.

804 „Erremus populi" de loco, ubi situs est, in errore versemur.

808 *Trucis* sine dubio vera lectio, nec auctoritas codd. multum valet: librarii invenerunt *trucis* idque pro accusativo male habuerunt. Lepidus est is qui Sulla mortuo eius acta rescidit, victus ad urbem a Pompeio. „Alpina bella" cum in Hispaniam ad Sertorianum bellum profectus est. Sertorius victus a Metello opem ferente Pompeio: „additus Metello Gnaeus Pompeius" Flor. (II 10 R, III. 22 D) „Currus agere" i. q. triumphum agere; „eques" nondum senator cf. VII. 17.

811 „Pavidos maris" Pompeio id classe tenente. *Barbaries* ad Hispaniam et Africam, *gentes vagae* ad bellum Africum contra Marianos gestum, *eurus* et *boreas* ad orientem subactum et Mithridatem (Pontum) pertinere videntur. Conferendus locus, ubi Pompeius suis rebus gloriatur II. 546, sqq. Insolens „*in* euro" pro *ab* vel *ad*, ut „in oriente."

814 *Ter* cf. IX. 599, VIII. 553, a. 673/81 ex Africa, 683/71 ex Hispania, 693/61 ex Asia, vid. Fasti Cap. Tri. Natus erat a° 106. *Multos donasse,* remisisse, non exegisse, cum posset, cf. ad IV. 764. VII. 850.

817 „Ordine tanto" „Ordo fastorum" certus secundum tempora, quem fere sequebantur in elogiis; splendidam seriem magistratuum

Fastorum; solitumque legi super alta deorum
Culmina et extructos spoliis hostilibus arcus,
Haud procul est ima Pompeii nomen arena,
Depressum tumulo, quod non legat advena rectus,
Quod, nisi monstratum, Romanus transeat hospes.
Noxia civili tellus Aegyptia fato,
Haud equidem inmerito Cumanae carmine vatis
Cautum, ne Nili Pelusia tangeret ora
Hesperius miles ripasque aestate tumentes.
Quid tibi saeva precer pro tanto crimine tellus?
Vertat aquas Nilus, quo nascitur orbe, retentus
Et steriles egeant hibernis imbribus agri,
Totaque in Aethiopum putres solvaris arenas.
Nos in templa tuam Romana recepimus Isim,

818 factorum U (fast. u), elegi M_1, *super* M, **820—829, 847—856** *adsunt in* F^m *saec. X, fol.* 1, *cf.* „*J. Ständer chirographorum in Bibl. Monast. catal.*" *N.* 716, *Berl. Philol. Wochenschr.* 1890, *Sp.* 96. *Varietatem infra notavi. Cf. IX.* 418, **821** impressum VUF^m (s. s. dep.), hoc tumulo F^m (s. s.), **822** romanos U_1, **823** *post* noxia s. s. est F^m, **824** merito MBEGRT, inmerito m, carmina AM_1B_1, **825** cautum est F^m, **826** hesperies M, hesperius m, aetate (s add. 2^a m.) M, tumentis M_1, **827** precor Schol., qui tibi E (*corr. ex*: quid tibi), **829** stereles M_1A, ut v, **830** salvaris B_1U_1, **831** recepimus RV, accepimus, rell., item A_1, isim MAURT.

multorum secundum fastos intellegi quisque videt.

818 „Super culmina" i. e. in summis culminibus, nempe templorum, in quibus donaria suspensa, veluti in templo Iovis Capitolini: IOVI O. M. VICTIS (HOSTIBUS) D. D. (VICTOR). — *Super* i. q. in, de loco sublimi, ut sub (sub inferis simm.) de depresso. Sic *sub pectus. Circa* = *in* de circumiacenti: „legati circa iusulas mittuntur", „circa vicinas gentes" Liv. I. 9. 2.

821 „Depressum tumulo" i. q. depresso, humili tumulo. — *Rectus* i. q. erectus, stans.

825 Sibyllae carmen vetabat regem Ptolemaeum, a suis eiectum, multitudine (i. e. exercitu) restitui; quo artificio hoc iussum eluserit P. Lentulus, vid. ap Cic. Fam. I. 7. 4. Lucanus sic accepit quasi in posterum numquam liceret militibus Romanis Aegyptum ingredi, ne ullum commercium Romanis cum scelerata regione esset. Plane hoc pugnat cum testimoniis, nam primum constat duas legiones Aegyptum tenuisse Tac. Ann. IV. 5, porro nuper cognitum Cornelium Gallum „primum praefectum" exercitu seditionem Aegypti repressisse. Inscr. Philis inventa inter alia: DEFECTIONIS THEBAIDIS INTRA DIES XV QUIBUS HOSTEM S[UBE]GIT (potius [A]S[PEC]SIT) VICTOR.... EXERCITU ULTRA NILI CATARHAC[TEN D]UCTO.... Cf. P. Mahaffy Athenaeum N 3568 p. 352, Philologi vol LV (96) p. 122. Quod Tacitus Ann. II. 59 refert de senatore et illustri equite vetitis iniussu principis Aegyptum ingredi huc non pertinet.

826 „Aestate" non quemadmodum reliqua flumina vere cf. ad X. 222 et VI. 475. Non reputavit hoc Gronovius commendans *carentes* Obs. IV. 5. Additamentum hoc „ripas tumentes" ostendit interdictum pertinuisse ad totam Aegyptum, non tantum ad os Pelusiacum prope quod interfectus Pompeius.

828 „Orbe" zona. „Et steriles" rell. Hac imprecatione non opus erat, cum vulgo desit pluvia.

831 Codd. praeter RV „accepimus", sic Oud. Weis. Hos. Insolitum dictum „accipere in templa" apparet corruptum esse ex praegresso A; ex ROMANARCEPIMUS (nam *re* per comp. scribi potuit) factum *Romanaccepimus*. Durus est etiam pro Lucano versus „Romana accepimus Isim."

Ib. *Isim* cf. IX. 156.

Semideosque canes, et sistra iubentia luctus,
Et quem tu plangens hominem testaris Osirim;
Tu nostros, Aegypte, tenes in pulvere Manes.
Tu quoque, cum saevo dederis iam templa tyranno,
Nondum Pompeii cineres, o Roma, petisti,
Exul adhuc iacet umbra ducis. Si saecula prima
Victoris timuere minas, nunc excipe saltem
Ossa tui Magni, si nondum subruta fluctu
Invisa tellure sedent. Quis busta timebit,
Quis sacris dignam movisse verebitur umbram?
Imperet hoc nobis utinam scelus, et velit uti
Nostro Roma sinu, satis o nimiumque beatus,
Si mihi contingat manes transferre revolsos
Ausoniam, si tale ducis violare sepulcrum.
Forsitan, aut sulco sterili cum poscere finem
A superis aut Roma volet feralibus austris,
Ignibus aut nimiis, aut terrae tecta moventi,

832 semideosque canes OCE, deos (*pro*: canes) a, inventia a, **833** plangis AB_1, plan*gens* M, osirim MAVU, osirem U_1GR, **837** exul-ducis l. Phocas V. 414.25 K, **838** victores a, saltim A, **839** necdum ABET, fluctus B, **840** qui busta e, **841** umbram AUVG, urnam avg, merebitur V, verebitur v, **842** *uti* M, **843** omniumque M_1BT, beates (ꝫ s. u) M, **844** revulsus B, trasferre U, **845** ausoniae aEVT, **847** a roma B_1, astris B_1, moventa. M, movente corr. in — ti F^m, **848** nimis (i add 2 m) M, aut E, terrae s. s. m. 2 M.

832 „Semicanesque deos" ex ant. edd. Weise; pertinet ad Anubin, deum capite canino deformem, i. e. *semicanem* aut *semideum* prout lubet. *Semideus* tamen defenditur ab Oud. quod Anubis sit dignitate inferior quam Isis et Osiris (cf. Mayor ad Iuv.) Accedit quod a Iuvenale XV. 3 Anubis *canis* dicitur „oppida tota canem venerantur". Propertius, IV. 10. 41 „latrantem opponere Anubin".

834 „Nostros manes" intellege de solo Pompeio, nam *manes* plur. num. etiam de uno homine dicuntur, cf. 796.

835 „Saevo tyranno" Iulio Caesari in orientali parte fori Romani. Prox. versu *piasti* pro *petisti* dicitur probasse Scaligerus. *Romane* pro *o Roma* Bentl.

837 „Saecula prima", unum saeculum praeterierat; in hac re ut erraverit L. fieri non potest; statuendum est igitur pluralem eum posuisse, similiter ac *populi* subinde pro *populus*. An *saecula* i. q. aetates?

840 *Sedent* absorpta sunt, negatio ut pertineat ad *sedent*, pro perfecto verbi *sidere* (verzinken) usurpato; vulgo *nondum* iungitur cum *subruta* et *sedent* pro „reposita sunt" accipiunt.

Ib. Ad „quis busta timebit" supple ex prox. *movisse*, quare post *timebit* minor distinctio requiritur, *urnam* Burm. Plura molitur Cort.: „quis *sacrum dignus* movisse *videbitur* umbram?" Hoc est: „non invenietur qui dignus sit". Cum quo male convenit 842: mihi (*quasi dignissimo*) haec provincia inponatur. Aptius vulgata: „nobis *qui audemus*", rell. Irridens ficticium metum per ironiam: *scelus* (842) et *contingat* mihi *revellere* et *transferre* (856), *violare* 845.

846 Iunge: cum Roma volet poscere a superis finem aut sulco sterili aut feralibus austris (dativ.), aut ignibus nimiis, aut terrae moventi tecta" (terrae motui). Austri, Libytinae quaestus acerbae, Septembribus horis febres adducebant (Hor.); „ignes nimii" solis torrentis agros, si pluvia deficit. Imbribus sine idonea causa Withof.

Consilio iussuqe deum transibis in urbem,
Magne, tuam, summusque feret tua busta sacerdos.
Iam quis ad exustam Cancro torrente Syenen
Ibit, et imbrifera siccas sub Pleiade Thebas,
Spectator Nili, quis rubri stagna profundi,
Aut Arabum portus mercis mutator eoae,
Magne, petet, quem non tumuli venerabile saxum,
Et cinis in summis forsan turbatus arenis
Advertet, manesque tuos placare iubebit,
Et Casio praeferre Iovi? Nil ista nocebunt
Famae busta tuae. Templis auroque sepultus
Vilior umbra fores; nunc es pro numine summo.
Hoc tumulo, Fortuna, iaces. Augustius aris
Victoris Libyco pulsatur in aequore saxum.
Tarpeiis qui saepe deis sua tura negarunt,
Inclusum Tusco venerantur caespite fulmen!

851 nam quis OCF^{m}, in G ex nan corr., sy^{e}nen M, syenem C, syenem (s corr. m. 3) E, **852** imbriferas M_{z}aC, umbrifera R, pliade AR, umbrifera Schol., **856** turbatur U_{1}T, **857** avertet OER, iubebit MAEG, iuvabit A (ex corr.) eVU, libabit R, libebit g, videbit T, **858** casto a, **859** sepultis M_{1}, **860** *est* a m. 2. M_{1}, et A (*corr. ex* es *vid.*) R, es BA_{1}(ut vid.)UEC (ad 863), est VG, nomine MRTG, numine mrg, **861** iacens O vulgo, **862** victoris (s a 2 m) M, **863** tarpeis UA, tarpais . qui R, negarant (*ex* negarunt *corr*) MG, **864** t(h)usco OT, tusquo C, venerantur MAG, flumen AB_{1}, fulmen aGMVU.

851 Iam „iam nunc, dum in Aegypto situs est. *Nam* (vulgo) admitteret precario hanc interpretationem: cineres tui sine dubio Romam deportabuntur, nam nemo non curat, cum Aegyptum visit. Sed ex 858: „nil ista nocebunt" apparet, gloriandi causa haec dici, non probandi. Correxi igitur *iam*. Archaismum „nam quis" pro „quisnam" semel ab Horatio usurpatum non licet Lucano adscribere.

852 „Siccas" vel sub Pleiade, imbrifero sidere. Ad 854 „Arabum" cf. X. 314.

856 „In summis turbatus arenis" itaque male habitus; ossa et cineres vix sepulta in summa arena sunt; *turbatus* permixtus, nempe arenis. Sententia: quem non neglectus cineris afficiet. *Avertet*, supplendum esset: de itinere, a merce, inepta sententia; vix credibile narraret Lucanus. *Advertet* necessarium vel contra codd.; saepissime *adversus, aversus* permutantur et aliae formae; *iubebit*, subiectum *cinis*. *Iuvabit* non valde aptum per se, duram facit constructionem.

860 „Nunc es" manifesto: Pompei! ut ex opposito „umbra fores" apparet, quare „hoc tumulo fortuna iacens" (sic vulgo) non potest adiungi, nisi cum nescio quo interpetum *fortuna* aequiperes *Pompeio*, quasi „fortuna Pompeii" incredibili artificio. Quare correxi *iaces* pro *iacens*: hoc tumulo apparet, Fortuna, quam nihil possis; iaces (prostrata); gloriam non potes auferre. In idem incidit Peskett ap. Heitland. l. l.

861 „Aris victoris" quam arae Caesaris.

864 Heins. p. 166 „*ceu clusum* Tusco *venerentur* caespite *fulmen*" vel „inclusum ut Tusco — fulmen". Cur tandem Luc. Pompeium cum infausto fulmine compararet? hoc fuisset aptum Caesari, cf. I. 155. Hinc sequitur ut *venerentur fulmen* sit reiciendum; *venerantur* recte se habet. Est genus epiphonematis. Caesarem neglegunt, Pompeium humilem venerantur; sic sunt qui Deo Opt. M. tura negent, at venerentur fulmen conditum. Tertium comparationis est inconstantia venerantium. Ita nihil opus est mutatione. *Tusco* frustra suspectum Sulpitio (qui *fusco*) Weisio et Hask., *numen* quod cum Sulpitio iidem proba-

Proderit hoc olim, quod non mansura sepulcri
Ardua marmoreo surrexit pondere moles.
Pulveris exigui sparget non longa vetustas
Congeriem, bustumque cadet, mortisque peribunt
Argumenta tuae. Veniet felicior aetas,
Qua sit nulla fides saxum monstrantibus istud,
Atque erit Aegyptus populis fortasse nepotum
Tam mendax Magni tumulo, quam Creta Tonantis.

865 sepulcri ABE, *sepulcri* M, futuris aGR(MStht), **868** mortesque M_1, cadit U_1, **869** felicor U_1, **870** illud 2 m. M, **872** tonanti. PAULUS CONSTANTINOPOLITANUS EMENDAVI MANU MEA SOLUS MANNAEI LUCANI LIB̄ VIII EXPLICIT. INCIP̄ LIB. VIIIJ. LEḠTI VITA ET P̄FECTURA. SCRIPTORI VITA ET FORTUNA M. cf. Vol. I p. XXXIV, sq.

runt, non necessarium. Cf. de re supra I. 608 et Gron. ibi laudatus, qui male *venerentur* scribit.

872 „Creta" quod Iovis incunabula se vidisse fabulatur. Ceterum Lucanus videtur ignorasse quod refert Plutarchus in Vita Pomp. fin. Corneliam cineres Pompeii urna in Italiam transportasse et deposuisse in Albano (*περὶ τὸ Ἀλβανόν*, i. e. in Albano Pompeii). In hac re non facile Lucanus potuit errare.

M. ANNAEI LUCANI

PHARSALIA.

LIBER NONUS.

At non in Pharia manes iacuere favilla,
Nec cinis exiguus tantam compescuit umbram;
Prosiluit busto, semiustaque membra relinquens
Degeneremque rogum sequitur convexa tonantis,
Qua niger astriferis conectitur axibus aer,
Quodque patet terras inter lunaeque meatus
Semidei manes habitant, quos ignea virtus

2 nec pulvis s. s. V, **3** semiustaque M_1A, semustaque VU, **4** tonanti a, **5—9** l. Prisc. 217.3 H, **5, 6** l. Lact. Theb. IX. 641, conectitur OBE, conexis Lact., aether aC, **6** quaque (*sic*) — orbes (9) l. Serv. D. A. V. 735, quodque O Prisc. E, *etiam* G, *contra* Hos. patens e, iacet g.

4 „Degener" de re, ut „toga d." I. 363. *Sequi* i. q. petere.

5 „Qua niger — aer". Septentrio, polus caelestis vertit ipse caelum, ut poetae loquuntur, quia caelum vertitur circa illum, inde (poetice) *fert astra.* Inter terram et aethera aer est et congeries nubium, inde pluvia et ostenta. Sic Seneca N. Q. VII. 21, Lucanus IV. 74, sq. *Aer* igitur *conectitur* polo. *Niger* dicitur vulgo de solo colore, qui si indicium est horrendi („symbolisch", ut nunc loquimur), *ater* usurpatur („atri ignes", „cerberus", al.). At argentea aetas non tantum *niger* subinde pro aversando, sed etiam pro *obscuro* posuit. „Niger horror" Luc. V. 564, „auster" IX. 320, „nigri ignes Saturni" I. 662 i. e. obscuri, sine splendore, „nigrae littora Thules" Stat. Silv. IV. 4. 62 i. e. nebulis obscuratae; „niger occasibus (solis) oceanus" Theb. I. 686 (cf. Baehrens Praef. ad Stat. Silv. p. XV) Itaque *piger,* quod olim placebat (et sic Bentl.) non est necessarium. Sen. Q Q. l. l. „(circa septentrionem) plurimum est aeris pigri". Cf. *segnis* infra 540.

6 Post 5 evagatur poeta in descriptione sedis beatae usque ad *perveniunt* (10), tum ad animam Pompeii redit: *illic*, rell. Continuatur sententia a *qua* (5) pendens: et ubi spatium (*quod patet*) inter terras et lunam habitant heroes, non divites nec splendidi (non divitiae nec splendor exequiarum illuc aditum dant). Post hanc descriptionem pergit narratio: *illic*, sqq. *Patens* ex scholio MS. et quibusdam ignotis codd. adsciscit Gronovius, Obss. I. 14 (p. 88 ed. Lips.), iungens: „quodque, patens inter — meatus, habitant manes". Non audit Bentl. Weis. parenthesin statuit: „semidei — fecit (9)". Sic perverse „et aeternos — orbes" ad unum Pompeium referuntur, et male mediae descriptioni inseruntur.

7 „Quos ignea virtus — orbis". Nemo interpretatur illud *imi.* Puto supplendum esse *statim*; purgatur quisque in sublunari spa-

Innocuos vitae patientis aetheris imi
Fecit et aeternos animam collegit in orbis;
Non illuc auro positi, nec ture sepulti
Perveniunt. Illic postquam se lumine vero
Inplevit stellasque vagas miratur et astra
Fixa polis, vidit quanta sub nocte iaceret
Nostra dies, risitque sui ludibria trunci.
Hinc super Emathiae campos et signa cruenti
Caesaris ac sparsas volitavit in aequore classis,
Et scelerum vindex in sancto pectore Bruti
Sedit, et invicti posuit se mente Catonis.
Ille, ubi pendebant casus, dubiumque manebat,
Quem mundi dominum facerent civilia bella,
Oderat et Magnum, quamvis comes isset in arma,
Auspiciis raptus patriae ductuque senatus;
At post Thessalicas clades iam pectore toto
Pompeianus erat; patriam tutore carentem
Excepit, populi trepidantia membra refovit,

8 vitae D, innocuos — orbe (9) l. Lact. ad Stat. Theb. VI. 882, Myth. Vat. III. 6. 17 p. 183 B, **9** fertur (*sic*) — orbes l. Lact. ad Stat. Theb. VI. 112, *et aeter*nos M, animum B_1, animas Myth., **10** non — perveniunt (11) l. Serv. A. V. 735, **11** postquam — implevit (12) l. Serv. A. IV. 358, VI. 640, illac M_1, sol cumine vuero C, **12** induit (*pro* inplevit) Serv. A. VI. 640 (*ubi Cassell.* implevit), implebit AB, miratus MCV, **13** ut (*sic*) vidit — dies (14) l. Serv. A VI. 127 (ut *est Servii*), polo G (— lis g), lateret D, **16** classeis M_1, **19** pandebat E_1, **20** dominum mundi AmG, **24** totove R_1, **25** excepit et mRV, excipit et v.

tio donec ad excelsa (aethera) tollitur, ut ait Seneca Dial. VI. 25; sed hi statim ad confinia aetheris et aeris (aethera imum) sublevantur. Sen. Ep. 102.24 „nondum caelum nisi ex intervallo *pati* possumus. — *Ignea* cf. Verg. A VI. 730 „igneus — vigor et caelestis origo". Virtus communis omnibus heroibus eos sive animas eorum collegit in aeternos orbes, i. e. ut simul in aeternum orbibus caeli (*περιφορά* ap. Plat. Phaedr. 247 C, al.) circumferantur. Adscivi *animas* pro *animam* ex Myth. Vaticano; ad unum Pompeium haec referri non possunt 1º quia homo animum colligit in se aut in exiguum spatium, non in *orbes*, 2º quia ad Pompeium relata intempestive abrumpunt descriptionem. — Relativa constructio relicta = et quorum.

8 *Vitae* pro vulg. *vita* requiri Grot. Bentl. Burm. senserunt.

9 „Orbes" Etsi de fatis animorum post mortem Lucano cum Seneca convenit, veluti Dial. XI. 9.3, VII. 20.2 et potissimum VI. 25.1 (Hos.) tamen quaedam in Lucano colorem habent Platonicum, nempe *orbes*, *ignea virtus* (7), „lumine *vero*" (11), „quanta sub nocte iaceret nostra dies (lux, 13)", quae iter caeleste animorum in Phaedro 247 D sqq. eschatologiam in Rep. X, p. 614, sqq. mythum de tenebroso specu Rpbl. VII init. in memoriam revocant, item oppositum *τὸ ὡς ἀληθῶς τῷ δοκοῦντι.*

11 „Lumine vero" Verg. A, VI. 641 „solemque suum, sua sidera norunt". Et cf. 14.

12 *Miratus* Bentl. „si enim *miratur*, inquit, oportet ET *vidit.*" Sed apodosis incipit a *vidit*, *miratur* pendet a *postquam*, quod, ut apud alios, apud Luc. VIII. 504, III. 659, cum praesenti construitur; variata constructio (*implevit miratur*) nihil habet offensionis, cf. VI. 237.

14 „Ludibria" ridiculam violationem.

21 „Oderat et" = etiam, praeter Caesarem: „ille (19) — oderat et Magnum, at", rell.

Ignavis manibus proiectos reddidit enses,
Nec regnum cupiens gessit civilia bella,
Nec servile timens. Nil causa fecit in armis
Ipse sua: totae post Magni funera partes
Libertatis erant; quas ne per littora fusas
Colligeret rapido victoria Caesaris actu,
Corcyrae secreta petit, ac mille carinis
Abstulit Emathiae secum fragmenta ruinae.
Quis ratibus tantis fugientia crederet ire
Agmina? quis pelagus victas artasse carinas?
 Dorida tunc Malean et apertam Taenaron umbris,
Inde Cythera petit, Boreaque urgente carinas
Creta subit: Dictaea legit cedentibus undis
Littora. Tunc ausum classi praecludere portus
Inpulit ac saevas meritum Phycunta ruinas
Sparsit, et hinc placidis alto delabitur auris
In littus, Palinure, tuum (nec enim aequore tantum

28 sevire M_1, servile R, servire M rell. vulgo, causae VU, **29** ille MRGVU illa AB_1, sui M, suae BVU, magni post M, **30** *per* M, **31** astu D, arcu G (actu g), **32** qua mille E, hac R, **36** et — umbris l. Placidus CGl. V. 196 G, maleon M_1U, maleam D, opertam (o *ex a corr.*) MaE, **38** creta fugit O *vulgo*, **39** clausis A (classi m. 2) B_1, praetendere G, **40** saevas — rapinas l. Prisc. 396.9 H, phycuncta MABE Prisc., phyconta VR, phitota D, ruinas M (rapinas *s. s. et deletum*)VU (*rapinas v*), rapinas rell.

28 *Servile* pro vulg. *servire* apparet nunc in solo R. non dicam casu; utique *servile* ignotum librariis facile depravari potuit. Non servi instar timebat, nempe ne sibi mors aut adversu fortuna a victore instaret. Claud. de bello Gild. (XV) 365 „servile gemens". In vulgata nihil est Catoni gloriosum: iustissima de causa sumit quis arma „servire timens." De Stoica libertate vulgo explicant, quod non satis intellego. *Servire* oppositum verbis „regnum cupere" habet politicam significationem parendi aliis. Trillerus: „sed servire timens".

35 Mare navigabile angustius fiebat; *artare* i. q. angustum reddere.

36 „Apertam umbris" ubi umbris (manibus mortuorum) descensus est ad inferos. Verg. Georg. IV. 456 „Taenarias etiam fauces, alta ostia Ditis."

37 „Urgente *ceruchos*" frustra Bentl.

38 Locus in libris corruptus, qui scribunt: *fugit* „Creta fugit" ex oculis; hanc reliquerunt; per „Dictaea littora" eo reditur. Si per epexegesin aliquid addendum videbatur, plqperf. *legerat* requirebatur et verba „Dictaea—littora" erant uncis includenda. Schrader: *Barcaea* pro *Dictaea* i. o. Africana, in quo quod ad sententiam nihil desiderandum restat. Sed lenior est medicina Heinsii, quam adhibui: *subit*, quam frustra impugnat Schrad., neglegens *tunc* male pro: *itaque*. Phycus ipse iacet in Africa; transitus in Africam colligitur ex proximis. „Cedentibus undis" nempe: carinae.

40 M habere *ruinas* contra Steinh. affirmo; diserte ex M enotavi. Vulgo *rapinas*; probabilius est hoc ad interpretandum esse adscriptum quam *ruinas* (ad *rapinas*). Schrad. a moribus Catonis (infra 297) alienum ostendit expilare urbem (*rapinas*) et propterea *ruinas* commendat. — *Meritam* femin. Schrad.; Graecum genus sequitur; *Ὀποῦς*, *Φυκοῦς* tam necessario masc. ac *Σκοτοῦσα* (*-σσα*), *Ἀργινοῦσαι* feminina. *Inpellere* cf. ad I. 147 et V. 757, VIII, 707, X. 60.

42 *Palinure.* Merito dubitatur an deceptus sit L. nominum similitudine *Palinurus* et *Paliurus*; huius nominis fuit pagus in Marmarica *Παλίουρος* teste Strabone XVII p. 838 et Ptolemaeo. *Palinuri* promonto-

Ausonio momenta tenes, portusque quietos
Testatur Libye Phrygio placuisse magistro)
Cum procul ex alto tendentes vela carinae
Ancipitis tenuere animos, sociosne malorum
An veherent hostis. Praeceps facit omne timendum
Victor, et in nulla non creditur esse carina.
Ast illae puppes luctus planctusque ferebant,
Et mala vel duri lacrimas motura Catonis.
 Nam postquam frustra precibus Cornelia nautas
Privignique fugam tenuit, ne forte repulsus
Littoribus Phariis remearet in aequora truncus,
Ostenditque rogum non iusti flamma sepulcri,
„Ergo indigna fui, dixit, Fortuna, marito
Accendisse rogum, gelidosque effusa per artus
Incubuisse viro? — laceros exurere crines?
Membraque dispersi pelago conponere Magni?
Volneribus cunctis largos infundere fletus?
Ossibus et tepida vestis inplere favilla,

43 portusque — magistro (44) l. Serv. A. I. 601, monumenta M, monimenta AVUBE, **44** ostendit (*pro* testatur) Serv., libi(y)ae M Serv. BEU, **46** sociosque a, **52** privigine^{n}que M, revulsus mu, **53** aequore (*ex* — ra *corr.*) M, **54** visi V, iussa u, **59** fluctus M (fletus m).

rium novimus fuisse in Italia de Aeneae gubernatore ibi merso dictum Verg. A. V. 840, sqq., VI. 381. *Portusque* = sed p. ut hoc libro 147, 385 et saepe alibi. De Palinuro plura Heins. Advv. p. 497. *Magister* (44) i. q. gubernator ut Verg. A. VI. 353. *Marito* Bersmannus et Modius et Gron. (cf. Cortius) in suis codicibus invenerant et partim probarunt coll. Ov. Met. XIV. 79.

47 „Praeceps" iung. cum „victor." „Quod Caesar semper festinabat". *Tremendum* ex coni. Cortius.

51 Operae est conferre cum his Cic. Tusc. III. 66, ubi constare dicit Pompeii comites eo mortuo nihil aliud egisse, nisi ut aufugerent, Tyrum domum advectos lamentari coepisse.

52 *Privigni.* Duo filii fuere superstites Pompeio Gnaeus et Sextus, uterque ex Mucia, et privigni Corneliae, ex quibus minor, Sextus, cum Cornelia Lesbi fuerat. Uterque cognomen Magni a patre habuit.

Ib „Nautas privignique fugam" libere pro: „nautarum privignique" i. e. nautas et privignum a fuga prohibuit.

52 *Ne*, dubitanter *si* Burm. Nihil mutandum, laxior iunctura = „timens ne forte se profecta truncus remearet" ut in Propertiano noto (II. 7. 3) „flemus uterque diu ne nos divideret" (sic leg.).

55 „Ergo" „expostulantis" dicit Hask. Neque hoc loco, nec in Horatiano: „ergo Quinctilium perpetuus sopor | urget" (C. I. 24.5), sed ab initio posita particula abrumpit praegressam meditationem; est eius qui tandem acquiescit inevitabili. Similiter ab initio *nempe* apud Horatium „nempe incomposito dixi pede currere versus" (Sat. I. 10. 1(9). „Ergo sollicitae" — Prop. IV. 6. 1.

56 „Adscendisse" MS. Cortii. Ad *effusa* cf. „effundi, effusus membra comas".

57 „Incumbere" VI. 565 „Thessalis incubuit membris." „Laceros crines" nempe meos (propter Bentl.); crinium consecratio Graeca magis quam Romana (Hask.); spargere cineres rogi in templis quoque peculiare huic loco, ad invidiam, opinor, diis faciendam (62).

60 Tib. I. 3. 5 „non hic mihi mater | quae legat in maestos ossa perusta sinus".

Quidquid ab extincto licuisset tollere busto
In templis sparsura deum? Sine funeris ullo
Ardet honore rogus, manus hoc Aegyptia forsan
Obtulit officium grave manibus. O bene nudi
Crassorum cineres! Pompeio contigit ignis
Invidia maiore deum. Similisne malorum
Sors mihi semper erit? numquam dare iusta licebit
Coniugibus? numquam plenas plangemus ad urnas?
Quid porro tumulis opus est aut ulla requiris
Instrumenta, dolor? non toto pectore portas
Inpia Pompeium? non imis haeret imago
Visceribus? quaerat cineres victura superstes.
Nunc tamen, hinc longe qui fulget luce maligna
Ignis, adhuc aliquid, Phario de littore surgens,
Ostendit mihi, Magne, tui. Iam flamma resedit,
Pompeiumque ferens vanescit solis ad ortus
Fumus, et invisi tendunt mihi carbasa venti.

61 tolleret M_1, **64** bona R, **67** erat M_1, *i*usta M, iusta UGSchol. Voss., busta BAEV, **68** numquam — urnas l. Acro Hor. C. II. 3. 26, ornas U_1, et urnas R, **70** toto in MRD, toto pectore AGVU (in p. Stht), gestas G, **71** nominis V. L. in B, pompei a, **72** victima B_1, **73** hunc tamen E (ex corr.), hic GV (*non* U), **74** limite MA (m. 2 litore) B_1E, **75** residit R, **76** pompeumque M_1, **77** *post* venti *signum, quod refertur ad versum partim abscisum in marg. m.* 3 *positum:* [linq]uere si q^{a} fides pelusia littora nolo (cf. 83) M, tendent A_1BM (u s. s. m. 2).

66 Male Barthius probatus Burmanno explicat; non est: „dum magis invidetur diis" sed „ut magis invideant" misericordiae causa sublata. Apparet ex praegressis: Crassi sunt feliciores insepulti, Pompeius quomodocunque sepultus aliquam invidiam movet. Abl. cons. pro *per* s. *cum*. „Malorum sors" cf. IX. 491. *Sors* est pars attributa, *μοῖρα*.

68 „Numquam—urnas" Num semper cenotaphium offeram, ut Crasso priori marito. *Iusta* sine dubio verum est; *dare busta*, inquit Heins. ad Ov. Trist. IV. 10. 80 cf. Advv. 184, vix Latinum est" etsi ipse impugnare cupienti arma suppeditat, dum aliquot locos affert, ubi *busta dare* legitur, sed sensu poetico ductus *iusta* magis probabat, et U cum G et Schol. (Voss. 2) *iusta* commendat; in M *busta* ab initio fuisse videtur.

69 Praeferrem *requirit*; duplex illa apostrophe in interrogationibus, quarum altera alteram supplet, durissima est.

70 *Instrumenta* doloris significandi manus crederes, quibus plangitur, crines, qui velluntur et sic porro. Sed tumulus sic dicitur quia inferiae eo feruntur quibus dolor alitur. Vel sic tamen tam frigidum hoc vocabulum, ut quaeram: num NUTRIMENTA?

Ib. Nulla causa est inferciendi *in* post *toto*, quod praeter MRD est in plerisque apud Burm. Cort.; fortasse „TOTUM pectore". — *Inpia*, quia crediderat bustum necessarium, sepultus est Pompeius in corde uxoris, cui nihil opus est tumulo, brevi interiturae: „quaerat cineres victura superstes" (72). Cf. ad 103.

72 Post *superstes* (72) per momentum subsistit et secum reputat esse *tamen* aliquid flammam etiamnunc de rogo surgentem videre. Similiter post *tui* (75) voce est sub sistendum, nisi praesens *residit* malis, contra libros praeter R. Id Heins. et Burm probant, sed incertum quo tempore acceptum velint. *Sidit* hodie constat semper praesens esse. — *Maligna* (73) parca. Bentl.: „*num* tamen *hinc* — tui?" qua quaestione quid opus erat?

Non mihi nunc tellus Pompeio si qua triumphos
Victa dedit, non alta terens Capitolia currus
Gratior; elapsus felix de pectore Magnus;
Hunc volumus, quem Nilus habet, terraeque nocenti
Non haerere queror: crimen commendat arenas.
[Linquere, si qua fides, Pelusia littora nolo.]
Tu pete bellorum casus, et signa per orbem,
Sexte, paterna move: namque haec mandata reliquit:
[Pompeius vobis in nostra condita cura:]
„Me cum fatalis leto damnaverit hora,
Excipite, o nati, bellum civile, nec umquam,
Dum terris aliquis nostra de stirpe manebit,
Caesaribus regnare vacet. Vel sceptra, vel urbes
Libertate sua validas inpellite fama
Nominis: has vobis partes, haec arma relinquo.
Inveniet classis, quisquis Pompeius in undas

79 tenens A(terens m. 2)BE, *post* 79 *sequitur versus* 83 A (m. rec.)EUD, **80** magnos U_1, *post* 80 *inserit* 83 bG, **81** nunc a B_1E_1 *quem n. habet* U, iacenti c, **83** om. M (cf. ad 77) A (cf. 79) BU (cf. 79) G (1a m. add. in marg.) E (cf. 79) K, **86** *adest in* MU (contra Stht.) et rell., **87** *versus in marg. scr.* 3 *m.* 2ae *coaeva, cf. ad* 484 M, *litterae* na (*in* damn.) *abscisae sunt; versum inter lineas ant. m.* U, *om.* R, **88** gnati C, **93** invenit M_1, invenient c, clases M.

78—81 Haec cohaerent sic: „non mihi nunc tellus —, non currus gratior (sed) hunc volumus" i. q. non tam mihi grata tellus, non currus, quam Pompeius, quem Nilus habet, hunc volumus". *Currus* (79) triumphalis ut saepe apud Luc. *Colimus* Heins. Advv. 184, ubi erudite in utramque partem disputat.

81 „Terraeque nocenti" rell. Queror quod non retineor in terra nocente, „cuius arenas scelus mihi commendat" i. e. quod Pompeium interfecit et ossa eius continet littus mihi gratum est. Post v. 81 sequitur in recentioribus D, duobus Cortii, uno ap. Oud. et Web. II. p. 584 versus: „quam manet Aegyptus, quae Magni possidet artus" sine idonea auctoritate et nexu obscuro, qui apto cohaereret cum 82, si pro *quam* legeretur *me*. Cf. Mnem. N. S. XVII. 58, sq. Non melior est:

83 Adest in V, sed manifesto est interpolatus, multis indiciis sorex se prodit, sed ineptissimum quod formula „si qua fides" non obtestationi inservit, ut solet, sed debilitando promisso: fortius est *nolo* simplex quam, per condicionem enuntiatum. Et quis *relinquit* regionem, in qua non est? Tolerabilior esset h. l. spurius ille: „me manet" rell. cf. ad 81. Causa his versibus fingendis fuit *tu* v. 84, ad quod sine causa oppositum membrum desiderabant.

86 Spurium iudicarunt Cort., Burm., Hos. — Heins. emendat: „*sed* nostrae *credita* curae", quo lucramur sane quod iunctura „mandata vobis" minus molesta est; *nobis*, aliquot libri solito mendo. Versus mihi quoque spurius, etiam propter illa „in nostra condita cura", intellegerem: „nostro *corde*", non hoc. *Vobis* pluralis, ubi coram unum Sextum compellat, offensione non caret. Cur interpolatores in his versibus 82 sqq. tam libero grassati sint, causa esse potest primi exemplaris condicio.

87 Minus elegans ordo verborum; posito ab initio *me* exspectas verbum unde pendeat in primaria sententia, at obiectum verbi *excipite* trahit moleste post se aliud obiectum: „bellum civile".

90 *Urbes* significantur „civitates liberae" vel „liberae et inmunes" quae dicuntur in imperio Romano, praecipue in Africa et Hispania.

93 „Quisquis Pompeius" i. q. quisquis Pompeii nomen gerit.

Venerit, et noster nullis non gentibus heres
Bella dabit, tantum indomitos memoresque paterni
Iuris habete animos. Uni parere decebit,
Si faciet partes pro libertate, Catoni."
Exsolvi tibi, Magne, fidem, mandata peregi,
Insidiae valuere tuae, deceptaque vixi,
Ne mihi commissas auferrem perfida voces.
Iam nunc te per inane chaos, per Tartara, coniunx,
Si sunt ulla, sequar; quam longo tradita leto,
Incertum est; poenas animae vivacis ab ipsa
Ante feram. Potuit cernens tua volnera, Magne,
Non fugere in mortem: planctu contusa peribit,
Effluet in lacrimas; numquam veniemus ad ensis

97 faciat B, facies D, **98** *mandata peregi* U, **99** *versus in marg. m.* 2 M, invidiae R, patuere G, **100** *in marg. m. ant.* 2*ae* *coaeva* M, om. R, nec mihi A_1, **102** sint U, **104** potui MAE (t add. m. 3)VR, potuit BU (ut vid.), funera M, vulnera AEu [vulnera] B, **105** confusa C, percussa D.

97 „Faciet partes" cf. infra 228 „partesque favore | fecimus" i. q. instruere vel eligere partes in bello. Ceterum bene haec ficta sunt, ut etiam post mortem Pompeius aliquid valeat, nec nimis detrahatur eius splendori.

99, sq. In pag. 104v codicis U numerus versuum est 34 (77—111) pro vulgari 32, unde sequitur duos esse spurios praeter 87, qui inter lineas scriptus, nam qui versus numerum solitum superant, in exemplari cod U fuerunt post adscripti (cf. Mnem. N. S. XVIII p. 5, 7). Ex his duobus unus est 83; alter esse potuit unus ex his 99, 100; res minime certa confirmatur eo quod M v. 99 in marg. habet, alia manu quam 100 scriptum; probabile est in exemplari codicis U similiter esse desideratum aut solum 99 aut solum 100. Quidquid est videtur una causa esse utriusque versus; non probabile alterum spurium, alterum genuinum esse. Vid. infra.

99 *Insidiae*, dolus a te commissus, ut impedires, ne mihi statim post tuum discessum manus inicerem. *Decepta* a te, *vixi* i. e. vivere perrexi, non deposui vitam. „Arte cum hoc cohaeret v. 100: „vixi, ne mihi commissas auferrem (mecum in sepulcrum, eoque irritas facerem) perfida voces". — Apparet hos versus eo consilio scriptos esse, ut Cornelia defenderetur et simul explicaretur, cur non statim mortem oppetivisset. — Sunt istae argutiae Lucano non indignae, nec facile possunt alium auctorem habere. Cur autem in archetypo codicis M (et U) omissi fuerint, causa esse potest, quod a poeta ipso in margine scripti fuerint, sed res dubia propter U; solius M, qui saepius incuria versus omittit (cf. Praef. p. XXXII 1) auctoritas non sufficit. Propterea omisi vol. I, p. XXXI.

101 Quod Burm. ad Luc. p. 97 ostendit, *iam* habere subinde morae significationem, idem cadit in *iam nunc* (iam: nu eerst, nunc nu dan ook), non in *nunc iam; iam nunc* tamen interdum pro *nunc iam* (nu reeds), non contra *nunc iam* (nu reeds); pro „morativo" *iam nunc* (nu eerst) usurpatur. Res Handio non animadversa.

102 „Quam longo", rell. Haec quoque arguta: ne dicatur vivere marito superstes, vitam, quae supersit, mortem dicit. „Longum letum" est: vita quae ad mortem ducit. Huiusmodi est quod philosophi quidam dicunt, vitam esse praeparationem mortis non tantum, sed etiam tardam mortem.

103 Male vivam, animae male erit; puniam eam quod me (sua) sponte in morte Pompeii non deseruit. Quinctilianus VI prooem. 3 vitam quam defuncto filio ducit „inpiam vivacitatem" appellat.

104 *Potuit* unice verum (non *potui*) sc. anima; haec est culpa, qua poenas (103) meretur.

105 *Contusa*, cf. II 38, 335, III. 718 Heins. (Advv. p. 185) *concussa* cum D deteriores apud Cort., Weis. *Diffluet* v. 106 Heins.

Aut laqueos, aut praecipites per inania iactus.
Turpe mori post te solo non posse dolore.
Sic ubi fata, caput ferali obduxit amictu,
Decrevitque pati tenebras, puppisque cavernis
Delituit, saevomque arte conplexa dolorem
Perfruitur lacrimis et amat pro coniuge luctum.
Illam non fluctus stridensque rudentibus eurus
Movit, et exurgens ad summa pericula clamor,
Votaque sollicitis faciens contraria nautis
Conposita in mortem iacuit favitque procellis.
  Prima ratem Cypros spumantibus accipit undis,
Inde tenens pelagus, sed iam moderatior, eurus
In Libycas egit sedes et castra Catonis.
Tristis, ut in multo mens est praesaga timore,
Adspexit patrios comites e littore Magnus,
Et fratrem; medias praeceps tunc fertur in undas:
„Dic ubi sit, germane, parens, stat summa caputque
Orbis, an occidimus Romanaque Magnus ad umbras
Abstulit?" Haec fatur. Quem contra talia frater:

111 alto MeV₁, arto A (aram? *in marg.*), **112** l. Lact. Theb. XII. 195, **113** curis E₁, **114** insurgens D, **117** cypros M, cyprus (u supra) EU, **120** timori AB₁, **121** a littore AMD **122** et medias ABE, ad undas G, **124** urbis g, **125** contra quem G₁.

108 „Solo non posse dolore". Quasi vero enses, laquei, praecipites saltus non doloris indicia essent. Sed excusatur Lucanus in his omnibus quod dolor externat animum et saepe tam absurdus est in sui opprobrio quam in consolatione.

111 „Conplexa dolorem" i. e. fovens s. nutriens. „*Arte* conplexus" VIII. 723. Ad „*decrevit* pati tenebras" (110) cf. Vergilianum, „decrevitque mori" IV. 475 Aen., Aptius tamen Vergilius; in „decrevit pati tenebras", *decrevit* nimis grave verbum pro re.

116 „Conposita" „Se componere in habitum aliquem" est „habitum alicuius assumere"; nam proprie de amictu togae dictum videtur, quo quis affectus animi exprimit, laetitiam aut dolorem, aut consilium prae se fert; „componere se in civem" est modestam togam civis induere; inde „componere civem" de quo ad VII. 267. Reflex.—passivum est *compositus*, ut „in dissimulationem sui conpositus". Tac. Ann. XIII. 25. Multis nominibus nostrum *plooien* et *zich plooien tot iets* conferri possunt. Cum grano salis, quad aiunt, conferendus Cortius ad Plin. Ep. V. 6. 7. „Favit procellis" iam vehementibus, cf. *pericula* 114 et post 118 „iam moderatior."

121 *Magnus*, maior filiorum Gnaeus, qui ante Pharsalicam pugnam a patre in orientem missus erat II. 631. Bentl. *Gnaeus* pro „Magnus", item v. 145, quod alterum filium quoque praenomine appellat VI. 420, 827, IX. 85. Casu factum puto quod Sexto nusquam Magni nomen dat.

122 Usu notissimo „*mediae* undae" dicuntur in quibus *medius* erat Gnaeus; Weis. *ad* undas", melius *in* undas; cupidus audiendi mare ingreditur Gn. „Dicere *contra* aliquem" pro *ad al.* vel *alicui* Bentl. negat latinum esse (125) et coll. VIII. 186 reponit: „*contra cui* talia frater." Recepissem nisi „*contra quem*" pro „cui ex adverso" nempe e navi Lucanus posuisse credi posset; sic „stare contra al." usurpatum, certe antiquitus. Respondet alter de navi.

O felix, quem sors alias dispersit in oras,
Quique nefas audis; oculos, germane, nocentis
Spectato genitore fero. Non Caesaris armis
Occubuit dignoque perit auctore ruinae:
Rege sub impuro Nilotica rura tenente,
Hospitii fretus Superis et munere tanto
In proavos cecidit donati victima regni.
Vidi ego magnanimi lacerantis pectora patris,
Nec credens Pharium tantum potuisse tyrannum,
Littore Niliaco socerum iam stare putavi,
Sed me nec sanguis, nec tantum volnera nostri
Adfecere senis, quantum gestata per urbem
Ora ducis, quae transfixo sublimia pilo
Vidimus; haec fama est oculis victoris iniqui
Servari, scelerique fidem quaesisse tyrannum.
Nam corpus Phariaene canes avidaeque volucres
Distulerint, an furtivus, quem vidimus, ignis
Solverit, ignoro. Quaecumque iniuria fati
Abstulit hos artus, Superis haec crimina dono:
Servata de parte queror." Cum talia Magnus
Audisset, non in gemitus lacrimasque dolorem
Effudit, iustaque furens pietate profatur:
„Praecipitate ratis e sicco littore, nautae,
Classis in adversos erumpat remige ventos,
Ite, duces, mecum, numquam civilibus armis

126 in undas g, **127** nocentis M_1, **130** regna MV(U Stht), **131** ospitii A (h m. 2) M(Stht), hospitiis EVUMCGb, **133** pectore M_1, patres a, matris B_1, **136** non sanguis G, **137** patris Rg (*pro*: senis), urbes V, orbem R_1, **138** deformia A (subl. m 2)Bg, **140** sceleri m(Stht), sceleris rell. vulgo, servasse c, tyranno b, **141** phariine g, avidaeque AB, **142** ignes A_1, **144** dona R, **147** effundit b, **149** erumpant D, **150** nusquam MA_1UvG (nunquam g).

131 *Hospitiis*, in codd. paene omnibus, natum videtur ex accommodatione ad *superis* et defensorem invenit Oud., qui *superis* interpretatur „superioris temporis", quod si latinum, certe inutile est, non minus quam *Superis* = *deis* post *hospitiis* cf. VII. 168, II, 80. — „Munere tanto" cf. VIII. 448.

137 Putida diligentia Burm. computat Sextum hoc (gestata per urbem) nec videre nec scire potuisse. *Urbes* Bentleio probari miror. Quam urbem cogitaverit L. difficile dictu Pelusium an Alexandriam. *Deformia* v. 138 Cortii est correctio nata ex male intellecto *sublimia*, quasi esset in bonam partem dictum.

140 *Sceleri* pro *sceleris* cum Bentl. dedi, nec persuadet Burm. defendens vulgatam ex VIII. 688, VII. 726, infra 204, quae apta essent, si *sceleris fides* significaret „caput Pompeii", ut Burm. dicit; potius est: „sceleri suo conciliasse fidem."

144 „Superis—dono" i. q. ignosco diis. Donare = remittere, infra 1088: „nefas" al. — „Servata pars" caput.

147 „Effundit" sine idonea causa Bentl. *Que* = sed, ut saepe Lucanus. Vid. ad 730.

Tanta fuit merces: inhumatos condere manes,
Sanguine semiviri Magnum satiare tyranni!
Non ego Pellaeis arcis adytisque retectum
Corpus Alexandri pigra Mareotide mergam?
Non mihi pyramidum tumulis evolsus Amasis
Atque alii reges Nilo torrente natabunt?
Omnia dent poenas nudo tibi, Magne, sepulcra.
Evolvam busto iam numen gentibus Isim,
Et tectum lino spargam per volgus Osirim,
Et sacer in Magni cineres mactabitur Apis,
Suppositisque deis uram caput. Has mihi poenas
Terra dabit: linquam vacuos cultoribus agros,
Nec, Nilus cui crescat, erit, solusquo tenebis
Aegyptum populis, genitor, Superisque fugatis."
Dixerat, et classem saevus rapiebat in undas,
Sed Cato laudatam iuvenis compescuit iram.
  Interea totis, audito funere Magni,
Littoribus sonuit percussus planctibus aether,
Exemploque carens et nulli cognitus aevo
Luctus erat, mortem populos deflere potentis.

153 pellaeas arces O vulgo; rectumque B, **155** cumulis M_1U, evulsas A_1B_1, **156** nilo reges G, natabant B_1, **157** om. B, add. b, **158** evolvam — Osirim (159) l. Lact. Inst. Div. I. 21. 21, involvam m, isin vAG, isim MaVU, **159** vulnus v, osirin G, **160** *ante* 159 *in* M, *verus ordo signis indicatus, idem in* GVU, **162** dabis R, **163** tenebit m, **164** aegypton G, genitor populis MAG, **165** saevus V, saevas rell., **170** populos M.

151 „Tanta fuit." rell. tantum praemium propositum est, nempe manes turbatos pacare et simul tyrannum interficere. Guyetus parenthesi adhibita iungit: „ito condere". Incisa *κατὰ κόμματα* oratio et exclamatio cum animi motu magis convenit.

153 „Non ego *Pellaeas arces*" vulgo; insolitum, „arces mergere", quare Schrad., „Pellaeos reges", sed de his post. v. 156. „Pellaeas *arcas*" felici invento Cort., *arca* cum contemtu cf. VIII. 736 „plebeii funeris arcam", Hor. Sat. I. 8. 9, quam coniecturam si minus timidus fuisset, perfectam a se (*Pellaeis arcis*) recepisset Burm., nunc suum ipse inventum postposuit longe repetitae et improbabili interpretationi. Sed mutatio paene nulla est, *arcis* tam est acc. ab *arx* quam abl. ab *arca*, idque decepit librarios, qui de *arce* cogitantes, *Pellaeis* huic accommodabant. De corpore Alexandri cf. Suet. Aug. 18, ex „conditorio" proferebatur Augusto; „adytisque" = penetrali Suet l. l.

156 „Atque alii", Markl. Ep. Crit. p. 250, Schrad.: „ac Pharii". Tolletur tamen offensio magnam partem animadvertendo *alii* esse i. q. *reliqui*, praeterea „Amasis ac Pharii reges" non recte; Amasis est ipse Pharius rex. „Atque *alii*" pro *reliqui* in notissimo quoque Horatiano est: „Eupolis atque Cratinus, Aristophanesque poetae atque alii, quorum, rell. Sat. I. 4 init. Cf. infra X. 228.

158 *Isim* VIII. 831 codd. consensu, *Osirim* ib. 838 boni, cf. Neue I. 208.

161 *Deis* signis deorum. *Populis* (164) = cultoribus cf. ad VII. 207.

165 „Rapiebat — sed" pro: rapuisset nisi. *Saevus* Oud. certe melius quam inscita coni. Bentl. *laevas*. Non dubitavi cum Hos. recipere.

170 *Potentis* domini, cf. ad I. 111 (quem

Sed magis, ut visa est, lacrimis exhausta, solutas
In voltus effusa comas Cornelia puppe
Egrediens, rursus geminato verbere plangunt.
Ut primum in sociae pervenit littora terrae,
Collegit vestis miserique insignia Magni
Armaque et inpressas auro quas gesserat olim
Exuvias pictasque togas, velamina summo
Ter conspecta Iovi, funestoque intulit igni.
Ille fuit miserae Magni cinis. Accipit omnis
Exemplum pietas, et toto littore busta
Surgunt, Thessalicis reddentia manibus ignem.
Sic, ubi depastis submittere gramina campis
Et renovare parans hibernas Apulus herbas
Igne fovet terras, simul et Garganus et arva
Volturis et calidi lucent buceta Matini.

171 lacrimis exhausta solutis Var. L in U, **172** puppe M (puppi m) AGVU, **175** mise[ri]que M, **176** inpressis B_1, **177** velamine R, **179** miseri B_1, **180** e toto G, **181** thaesalicis M, **182** gramina *om. supplevit m.* 2 U, **185** et — Matini l. Acro Hor. C. I. 31.6, IV.2.27, iam calidi Acro *altero loco*, callida M_1, bucerta B, bucceta VU.

locum laudat Min. Felix Octav. 18). Erant inter dolentes etiam subiecti populi. „Populos deflere" explicat *luctus.*

171 „Sed magis" iung. cum „plangunt."

173 „In voltus" non solum propter metrum, vid. IX. 353.

176 sq. „Inpressas auro exuvias pictasque togas" de uno genere togae, triumphali, quae erat palmata (cf. Schol.) et auro picta vel inpressa.

178 „Ter" cf. ad VIII. 814.

179 „Omnis pietas" i. q. omnium; omnium grata recordatio libenter obsequitur monito. *Accipio* = probo, fere ut in „accipio omen." „Busta surgentia" manifesto rogi.

182 sqq. „Sic ubi", rell., apta comparatio propter similitudinem lucis et successionis utrobique observatae. Semel accenso igne ab agricola Apulo lucent statim Garganus et Matinus mons et Voltur satis ab illis remotus (in confiniis Apuliae et Lucaniae Hor. C. III. 4. 9 coll. Sat. II. 1. 34). Alluditur ad morem pastorum etiamnunc in aridis (unde *calidus* 185 explic.) et extentis pascuis in Transvalia receptum urendi residua gramina sub adventum veris, ut nova gramina pullulent. — „Submittere" contra vulg. usum, quo *terra* subiectum verbi est, pastori adscribitur.

183 *Renovare.* Verbum rusticum: „*novare* agrum" („agri novales") satis notum diversum est ab illo propterea quod „novare *plantas*" (ut h. l. renovare herbas) non dicitur, sed agros. „Hibernas" non est „in usum hiemis proximae" (Hask.) sed „quae per hiemem manserunt." „Urunt (inquit Sil. It. VII 365 in loco simili) *ad* pinguia pabula pastus." Ceterum cf. Verg. Georg. I. 85 „(saepe profuit) levem stipulam crepitantibus urere flammis."

184 „Arva" *arua* sunt campi arandi, pascuis opposita. Fortasse hoc quoque loco *arva* proprie intellegendum, siquidem ad agri quoque culturam e. g. erica uritur.

185 *Buceta.* Sulpitius *buxeta* dedit a *buxus* ut *vinetum, virgetum, arboretum, quercetum, olivetum, nucetum, aesculetum, pinetum, raboretum, spinetum, iuncetum, arundinetum, salicum* (ex *salicetum*) et alia. Ita *buxetum* locus est consitus planta, quae *buxus* appellatur aut arbore buxo. Varro tamen bis vocabulum a *bos* ducere videtur apud Gell. XI. 1. 1, ubi de nomine Italiae agit, quam dicit abundasse *bobus, ἰταλοῖς* et *bucetis* et de LL. V. 164 „quod ea (porta) pecus in *buceta* (cir)cum antiquum oppidum exigebant." Sic A. Spengel, libri *in bucitatum antiquum*, rell. Parum tamen abest quin credam Varronem sibi consuetudine, quae *buxeta* in *buceta* verterat,

Non tamen ad Magni pervenit gratius umbram
Omne quod in Superos audet convitia volgus
Pompeiumque deis obicit, quam pauca Catonis
Verba, sed a pleno venientia pectore veri.
„Civis obit, inquit, multum maioribus inpar
Nosse modum iuris, sed in hoc tamen utilis aevo,
Cui non ulla fuit iusti reverentia: salva
Libertate potens, et solus plebe parata
Privatus servire sibi, rectorque senatus,
Sed regnantis, erat. Nil belli iure poposcit,
Quaeque dari voluit, voluit sibi posse negari.
Inmodicas possedit opes, sed plura retentis
Intulit. Invasit ferrum, sed ponere norat.
Praetulit arma togae, sed pacem armatus amavit.
Iuvit sumta ducem, iuvit dimissa potestas.
Casta domus, luxuque carens, corruptaque numquam
Fortuna domini. Clarum et venerabile nomen
Gentibus et multum nostrae quod proderat urbi.
Olim vera fides, Sulla Marioque receptis,

186 pervenit..gratius (*ex* pervenet *corr.*) M, umbram bD, umbras rell., **187** convitia ORTc, auget c, **190** multum O, **192** non nulla MaE(ex corr.)VUG, **193** prebe V_1 (phebe corr.) **196** dare A_1, voluit *alt. om.* Prov., **200** l. Serv. A. I, **203** summa g, **204** fide A (fides a), fides illa B (*post* s *deleta* c).

induci passum esse. *Bucitum* per *i* apud Varr. l.l. verum esse non potest. Apparet veteres *bucetum* (fortasse male) non *buxeum* scripsisse.

186 *Umbram* Burm. Pluralis eo potest defendi, quod *manes* etiam de uno homine plurali numero usurpatur. Sed cf. 216, omissiones et temeraria supplementa in fine versuum frequentia esse constat. Sententia: lubentius Manes Pompeii audiverunt pauca verba a veraci Catone prolata quam quod totum vulgus diis propter Pompeium convitiatur.

190 Burm. ut „intricatiori constructioni" medeatur *culti* pro *multum* substituit. Mihi hoc remedium peius morbo videtur. „Multum discors" legitur VI. 687, „multum dissimiles" Hor. Epist. I. 10. 3. Qui legebant Lucanum optime noverant Pompeium moris publici ignarum et parum in foro versatum a Varrone commentarium isagogicum accepisse, ut disceret quid consul in senatu „facere dicere[que] deberet", Gell. XIV. 7. — *Nosse* pendet ab *inpar.*

191 *In hoc* nempe „quod salva libertate potens erat"; quare semicolon posui post: *reverentia. Aevo* i. q. suis aequalibus.

192 *Nonnulla* Heins. Advv. p. 185 sine argumentis.

193 Iunge: et solus (secus quam Sulla et Marius) plebe parata sibi (Pompeio) servire, privatus. Etsi haec possunt voce adiuvari ut *privatus* omnem emphasin accipiat, tamen contorti ordinis culpa vix absolvetur auctor.

198 *Intulit* in aerarium. Retinebat igitur quaedam P. e praeda. Laus est debitae probitatis sed sine dubio saepe desideratae. — „Invasit ferrum" i. q. arma induit cf. I. 242 „invadunt clupeos (Ariminenses) curvataque cuspide pila."

202 „Clarum", sqq. Continuantur his antitheta (196—200): subiecti (*gentes*) venerabantur, cives (*urbi*) augebantur opibus.

204 „Fides libertatis" i. q. fiducia posita

Libertatis obit, Pompeio rebus adempto
Nunc et ficta perit. Non iam regnare pudebit,
Nec color imperii, nec frons erit ulla senatus.
O felix, cui summa dies fuit obvia victo,
Et cui quaerendos Pharium scelus obtulit enses!
Forsitan in soceri potuisses vivere regno.
Scire mori sors prima viri, sed proxima cogi.
Et mihi, si fatis aliena in iura venimus,
Fac talem, Fortuna, Iubam; non deprecor hosti
Servari, dum me servet cervice recisa".
   Vocibus his maior, quam si Romana sonarent
Rostra ducis laudes, generosam venit ad umbram
Mortis honos. Fremit interea discordia volgi;
Castrorum bellique piget post funera Magni,
Cum Tarcondimotus linquendi signa Catonis

206 et nunc ABC, efficta R, pudebat A_1, **210** potuisset MBAE, **211** coci a, viris MV, viri est AB, viris et UG, **213** non — recisa (214) l. Lact. Theb. VIII. 116, iura a (marg.), fac talem VU (errat St.)MA, da talem uG, fatalem R, **214** serviri M_1, **215** roma^{na} sonarent M, **217** volgi M_1, **219** t(h)arc(h)on motus OBGRD, tarcondimotus E (di *del.* e).

in libertatis viribus, sive: persuasum erat omnibus libertatem, etsi in tempus obscuratam, tamen superiorem futuram. Haec fides post Sullam et Marium labefactata erat, non *vera* erat, species tamen supererat, nunc species quoque (*ficta*) periit; nemo nunc fidem libertatis (obiect.) prae se ferebat.

207 „Color" species, praetextus. Sine pudore se regnare dicent, sine pudore assentabuntur (senatores potissimum). *Color* rhetoribus est, ut brevi dicam, gezichtspunt; differt sub qua luce rem videas, et oratori sub qua causam. Affinis est huic usui vocabuli *color*, qui post Ciceronem demum percrebruit in rhetorum scholis, significatio fallacis speciei s. praetextus. *Color* etiam de luce solis. Cic. Or. II. 60 „ut, cum in sole ambulem, etiamsi ob aliud ambulem, fieri natura tamen (solet), ut colorer, sic sentio illorum (librorum) tactu orationem meam quasi colorari." Cf. supra VI. 828. „Frons" per metonymiam pro impudentia, saepius: „qua fronte — videbunt?" simm., sed h. l. est (honesta) species. Pers. V. 103 „exclamet Melicerta perisse frontem de rebus."

208 *Felicem* cui" (om. *o*) Cort., sed non est generalis sententia (cf. vers. prox.), quare non opus. *Victo* „ut semel victus est"; nulla est oppositio inter victum et victorem. *Quaerendos* ne iunxeris cum *obtulit*, attribitum est = desiderandos.

210 Fortasse a se impetrasset ut sub socero viveret, ei se subiceret; hoc dedecus procul ab eo fuisse per pugionem Achillae gaudet Cato. Num consequitur hinc ut P. sit vituperandus, qui manus sibi inicere non ausus sit? Hoc ut caveatur Cato proxima (211) addit, quae elogium aut certe excusationem continent. Summa quidem, inquit, felicitas est ad mortem esse paratum, proxime accedit *cogi*, i. e. „scire cogi", ut si a morte voluntaria repugnet animus, iniunctae necessitati pareas et fortiter cervices praebeas. Aliis verbis (III. 147) „si quidquid iubeare velis". Stoicus Cato quantum potest Pompeio largitur. *Viris* paene omnes MSS, quae lectio exstitisse videtur ex *viri est*, sic AB; cur enim pluralis praeferatur, nihil est; contra *viri* in plur. opponitur vulgo mulieribus; virilis praestantiae significatio solet singulari *vir* indicari. De vocabulo *sors* supra ad 67.

213 *Fac talem* i. q. ita affice. „Da *t.*" Burm. Cort. Weis. Iuba pro hoste omnino ut periculosus maxime Pompeianis.

216 *Rostra*, cogitat *laudationes* sollemnes, quae in Foro habebantur.

219 *Tarcondimotus* Cic. Fam. XV. 1. 2. Flor. II. 13 15 R (IV. 2. 5 D). Originem

Sustulit. Hunc rapta fugientem classe secutus
Littus in extremum tali Cato voce notavit:
„O numquam pacate Cilix, iterumne rapinas
Vadis in aequoreas? Magnum Fortuna removit:
Iam pelago pirata redis." Tunc respicit omnis
In coetu motuque viros; quorum unus aperta
Mente fugae tali conpellat voce regentem:
„Nos, Cato — da veniam — Pompeii duxit in arma
Non belli civilis amor, partesque favore
Fecimus. Ille iacet, quem paci praetulit orbis,
Causaque nostra perit; patrios permitte penates,
Desertamque domum, dulcesque revisere natos.
Nam quis erit finis, si nec Pharsalia, pugnae,
Nec Pompeius erit? Perierunt tempora vitae,
Mors eat in tutum, iustas sibi nostra senectus
Prospiciat flammas; bellum civile sepulcra
Vix ducibus praestare potest. Non barbara victos
Regna manent, non Armenium mihi saeva minatur,
Aut Scythicum Fortuna iugum: sub iura togati
Civis eo. Quisquis Magno vivente secundus,
Hic mihi primus erit, sacris praestabitur umbris

224 redis MABEVG, redit ag, redis U (s e corr.), reditum resp. R, omnis MUg, **227** nos — veniam l. Serv. A. VI. 104, **228** favori Mb, favores a, favoris D, **230** poenatis A, **234** mos a, senatus G (— ec — g), **238** sub iuga D, **239** seccts M (secutus?).

erroris in codd. monstrat lectio codicis U in Argumento libri: „discessum Tarchontis dimoti" nempe malam divisionem vocabuli, cum *dimoti* pro partic. habentes librarii metrum corrigerent omisso *di*. Argum. in M habet *Tarchondimoti*. Nomen apud Dionem passim et ap. Plut. Anton. 61 varie corruptum, sed ubique sine aspiratione in secunda: *Ταρκόνδημος, Ταρκονδήμοτος*. De nummis vid. Pauly v. Tarsus, VI. 1621. Grotius primus ex suo P restituit. Apud Caes. Civ. III. 4 lectio incerta.

220 „Rapta classe" iung. cum *fugientem*; raptim dum naves conscendit Tarc., Cato ab extremo littore eum compellat; cf. paulo post „omnes in coetu motuque viros" i. e. dum conglomerautur et moventur in classem. Non sequor Burmannum, de animi motu explicantem.

225 „Aperta mente fugae" nempe per verba quae omittit L. „Regentem", Catonem consilio regentem abeuntes.

227 De correpta *o* finali in iambico *Cato* cf. 221, 250 II. 285, L. Muller[2] p. 285.

228 „Partesque" negatio non continuatur. De *partes facere* cf. supra ad 97.

230 „Causa" periit, quia Pompeius pro causa erat.

232 „*Pugnae*" iung. cum *finis*, cf. ad V. 300. VIII. 313. *Pharsalia* bellum ad Pharsalum sive in Pharsalica regione gestum ut VII. 407. „Pharsalia tanti | causa mali."

234 „Mors eat in tutum" mors nostra sit secura de debitis sibi, de iustis exequiis, ut ipse L. explicat: „iustas sibi flammas" i. e. rogum. „Tempora vitae" (233) tempora diversa i. e. vicissitudines vitae, diversum a simplici *vita*.

238 *Togati* cf. VII. 267 ipsius Caesaris verba et V. 382.

240 „*Hic* mihi" „*nunc* mihi" Heins.

Summus honor; dominum, quem clades cogit, habebo,
Nullum, Magne, ducem. Te solum in bella secutus,
Post te fata sequar; nec enim sperare secunda
Fas mihi, nec liceat. Fortuna cuncta tenentur
Caesaris; Emathium sparsit victoria ferrum,
Clausa fides miseris et toto solus in orbe est,
Qui velit ac possit victis praestare salutem.
Pompeio scelus est bellum civile perempto,
Quo fuerat vivente fides. Si publica iura,
Si semper patriam sequeris, Cato, signa sequamur,
Romanus quae consul habet". Sic ille profatus
Insiluit puppi, iuvenum comitante tumultu.
[Actum Romanis fuerat de rebus, et omnis
Indiga servitii fervebat littore plebes.]

241 coget c, ab evo R, **242** ducum U, **243** tua fata b, sequor c, nec enim MVU, **248** pompei B_1E (corr. ex pompeo), **249** quod a, poscit R, **250** patr. seq. (hoc ord.) MABE, seq. patr. VU, sequamur MVU, petamus BAG, **251** romana M_1, romanis A (– nus m. 2) B_1, **253, 254** *in marg.* 3ª *manu* 2ªᵉ *coaeva cf. ad* 435 M, *subducta linea notati in V, in marg.* G, *om* R, **254** indigna VD.

243 „Post *tua* fata" b, Thuan. ap. Burm., non recte, opposita: „te solum" v. 242 (non quaerens, quae tua fortuna esset, tibi uni fidelis) et „fata" omnino, non amplius personam ullam, non sequor Caesarem sed fortunam. Bentl. *tua,* distinguens (241): „habebo. | Nullum, Magne, ducem, te solum in bella secutus, post *tua* fata sequar." Supplet ad *ducem*: „alium", quod obscure omittitur et oppositio inter *dominum* (241) et *ducem* (242) perit. Tum „post tua fata" ambiguum. Praeterea „fata tua", Pompei, nimis magnifice; in posterum (*sequar*) enim nihil ex fatis Pompeii nisi mortem orator poterat sequi, hoc non vult qui tutam speret senectutem. *Sequor* sine causa Cortius.

243 „Sperare secunda" mihi tanquam Pompeiano, quoniam bellum civile esset duraturum, vid. 248. „Nec liceat", si velim vel si fas esset. Eventu appareret mihi non licere, frustra sperarem.

244 „Cuncta *feruntur*" dett. ap. Burm. et Cort. „Non male" iudicat Burm. *Tenentur* est: in statu suo tenentur. Nulla spes est ut ruat fortuna Caesaris.

246 „Clausa fides miseris" ad fidem Pompeii aditus praeclusus est (fidem non invocare possumus). Metaphora ab aditu templi sumta, a quo quis arcetur. Refellitur his Heins.: *cassa.*

249 Pompeio vivente „fuisset bellum fides" i. e. documentum fidei nostrae erga P. De indicativo condicionali cf. ad II. 617.

250 „Signa petamus vulgo"; *sequamur* est aptius et certius. — Caesar creatus erat consul in comitiis Romae V. 392, Pompeiani in senatu Thessalonicae habito auctore consule Lentulo, cuius annus mox erat finem habiturus, dixerant Pompeium *ducem* V. 47, Consulem senatus iure creare non poterat; si quis igitur „publico iure" contendere vellet, cum Caesare ei faciendum erat.

252 „Tumultu." Pro tempore mutavit Vergilianum „iuvenum comitante caterva." Cilix credendus est dum navem conscendit aliquamdiu increpante Catone substitisse, nunc insilit navi et milites tanquam in contione ad verba ducis tumultuantur. Cf. ad 220.

253 sq. Hi duo versus in M adscripti sunt manu secundae coaeva aut antiquiore quae alibi genuina etiam adscripsit, cf. ad 484. Etsi in AUE adsunt, tamen, quales nunc sunt, spurios iudico. „Indiga servitii" tamen Lucanum refert; reliqua non perfecta et ab imperita manu suppleta. Condicionalis *fuerat* postulat paene pro apodosi omissa aliud quam *erupere* (= ni erupisset); „*Romanis* de rebus" grandilocum, sed propterea non statim damnandum, nec *plebes*, cf. VI. 114. Ex classe φ om. RG, notat V, incertum an 2 m. Damnat Kindler p. 28 et Hosius. Ad sententiam verborum *ind. serv.* cf. 262 „nescis sine rege pati."

Erupere ducis sacro de pectore voces:
„Ergo pari voto gessisti bella, iuventus,
Tu quoque, pro dominis, et Pompeiana fuisti,
Non Romana manus? Quod non in regna laboras,
Quod tibi, non ducibus, vivis morerisque, quod orbem
Adquiris nulli, quod iam tibi vincere tutum est,
Bella fugis, quaerisque iugum cervice vacante
Et nescis sine rege pati? Nunc causa pericli
Digna viris. Potuit vestro Pompeius abuti
Sanguine, nunc patriae iugulos ensesque negatis,
Cum prope libertas? Unum Fortuna reliquit
Iam tribus e dominis. Pudeat! Plus regia Nili
Contulit in leges, et Parthi militis arcus.
Ite, o degeneres, Ptolemaei munus et arma
Spernite. Quis vestras ulla putet esse nocentis
Caede manus? Credet facilis sibi terga dedisse,

255 erupuere D, **256** l. Prisc. 223.9 H, 339.17 H, II. 100.26 H, **257** pompeia fecisti B_1, **258** labores B_1, **260** totum M (tutum m), **261** vacanti AVU, vaganti BD, **264** non m (delevit ead. m.) A, **268** *d*egeneris A, **269** stnit . e M, sternite AG (spern. g), putat BE, putet . $\overline{ee}$ U.

256 „Ergo (ŏ, alibi Luc. producit) pari voto" atque Caesariani. Explicatur prox. versu verbis „pro dominis". Catone iudice Pompeius sustinet causam libertatis. Plane obliviscitur C. in hac oratione se non ad cives sed ad subiectos verba facere, qui dominum tantum mutabant.

258 „In regna laboras" nitimini pro imperio, ut sub rege sitis.

259 „Vivis morerisque" proverbialiter pro extrema omnia patimini. De morte subeunda nunc his desertoribus sermo esse non poterat; non video cur cum editionibus Bersmanno antiquioribus et Damstéo *moriensque* probandum sit.

260 „Quod iam *tibi*". Hoc *tibi*, dativus iungendus cum *vincere*, habet omnem emphasin: tibi non domino. Ad *tutum est* cogitatione repetitur *tibi*. *Tutum*, tuta possessio. *Adquiris nulli* nulli domino, is pro quo pugnabatis, mortuus est.

262 Sententia: nescis in libera regione vivere." „Sine rege pati ', Pati te esse sine rege, sive sine rege durare. Cf. Seneca Thyest 470: „immane regnum est posse sine rege pati" et alia ad V. 313.

263 „Vestro abuti sanguine" nempe ad monarchiam stabiliendam. Ad *patriae* (264) cf. monita ad 256.

268 Ironica expostulatio: spernite (si potestis a vobis impetrare) a Ptolemaeo datam libertatem (eundi quo velitis) eiusque arma (caedem ab eo patratam). Poterant se vendere Ptolemaeo vel Caesari, quod propter lucrum non facile erant omissuri. Bentl. „ite o degeneres, munus Ptolemaei, per epexegesin" i. e. vos, qui estis munus P. — Ptolemaeus tamen miserat quidem naves ut B. ostendit, sed non Cilices.

269 „Quis vestras — manus" (270). Ex adversa factione nemo credet vos potissimum dignos esse suo odio, quasi ex sodalibus suis aliquem interfeceritis. Vestra manus est innocua, quia timida.

270 „Credet", rell. Non facile dictu est, quid sit huius verbi subiectum. Haskinsius annotat: „sc. hostis"; quo iure viderit ipse; ex „quis putet?" = „nemo putabit" elici potest contrarium: *omnes*, et (explicatione alia, minus recta, quam supra proposita, ut *arma* sit bellum) *Ptolemaeus* subiectum esse potest, sed *hostis* non probandum videtur. *Cui* autem dederant terga? opinor *Caesari* in acie Pharsalica. Quo porro haec anaphora *credet*? Asseveratio inutilis, obiecta „terga dedisse" (270) et „fugisse" reapse eadem sunt, alterum *credet* plane supervacaneum. Suspicor illud exstitisse ex

Credet ab Emathiis primos fugisse Philippis.
Vadite securi, meruistis iudice vitam
Caesare, non armis, non obsidione subacti.
O famuli turpes, domini post fata prioris
Itis ad heredem. Cur non maiora mereri
Quam vitam veniamque libet? Rapiatur in undas
Infelix coniunx Magni, prolesque Metelli,
Ducite Pompeios, Ptolemaei vincite munus.
Nostra quoque inviso quisquis feret ora tyranno,
Non parva mercede dabit. Sciat ista iuventus
Cervicis pretio bene se mea signa secutam.
Quin agite, et magna meritum cum caede parate;
Ignavom scelus est tantum fuga". Dixit, et omnis
Haud aliter medio revocavit ab aequore puppis,
Quam, simul effetas lincunt examina ceras,
Atque oblita favi non miscent nexibus alas,
Sed sibi quaeque volat nec iam degustat amarum
Desidiosa thymum; tunsi sonus increpet aeris,

271 philippos (corr. — pis) AB_1, **273** caesaris B, **276** raptatur M_1U, **278** manus B, **279** feret s. s. m 2 U, **280** sciet ABG, **282** concede R, **283** [est] E, omnis A, **285** ephetas R, examine B_1, lincunt R, **286** oblita fui R, alis a, **287** amaram G, **288** phrigii (frigii) UVERG, phrysii g, phrygii *corr. m. rec. in*: tu(n)rsi M, tum si ABED, increpat OBE.

C̄sret i. e. *Caesar et*; additum non valde aptum *ab*, cum locus truncatus esset. Apprime convenit „meruistis iudice vitam Caesare" (272), et „heredem" (275).

277 „Prolesque". *Que* est explicativum; Cornelia erat filia Cornelii Scipionis adoptati a Metello (filia Q. Caecilii Metelli Pii Scipionis). *Ducite* fere = raptate. Hoc verbum (*raptare*) v. 276 restitui malebat Heins.: *raptetur* (M_1U *raptatur*). Proprie *ducere* dici om. *in carcerem, in ius* notum est. *Pompeios*: Gn. et Sextum.

278 *Munus* Caesari a Ptolemaeo oblatum. Caesari potes capita duorum Pompeiorum offerre. „Cervicis pretio" sc. meae, magnitudine pecuniae, quam pro meo capite accipiet. *Bene* cum lucro.

283 *Tantum fuga,* fuga solummodo, dum nihil accedit. Iungatur caedes fugae. Etsi Latinis minus proclive fuit adverbia attributive substantivis iungere quam Graecis, quos articulus ab omni ambiguitate tutos praestabat (ἡ ἀεὶ δουλεία, simm.) tamen si verbalis natura substantivo est aut datur, adverbia attributiva vi ponuntur: cf. ad VIII. 330, „semper lenitas", simm. — Lucano *fructus* V. 794 et VIII. 345, *spolium* III. 132, *fuga* h. l., *caedes* V. 532 actionem significant.

284 „Medio-puppes" itaque pars iam naves conscenderant.

285 „*Effetas* ceras" quae sobolem produxerunt. Columella IX. 9. 1 „(alvearia) postulant (curam) diligentiorem, cum vernant et exundant novis fetibus, qui nisi curatoris obsidio protenus excepti sunt, diffugiunt". *Cerae* = favi. *Alas* (286) i. q. volatum. Cf. etiam Verg. Georg. IV. 20 sqq.

287 Thymum praescribit apibus Col. IX. 4; non ingratum est apibus, si fides Columellae l. l. et Varroni RR. III. 16. 14, a quibus non dissentire videtur Lucanus.

288 Recepi admodum memorabilem lectionem Montepessulani correcti *tunsi*, verbum admodum aptum, „tundere cymbala" et „tympana rauca" dixerunt Prop. III. 17.36 B (IV. 16.36 M) et Ovid. Fast. IV. 183 *Tursi* (corr. in *tunsi*) explicandum e forma litterae r Langobardicae: eius finale punc-

Adtonitae posuere fugam, studiumque laboris
Floriferi repetunt, et sparsi mellis amorem;
Gaudet in Hyblaeo securus gramine pastor
Divitias servasse casae; sic voce Catonis
Inculcata viris iusti patientia Martis.
  Iamque actu belli non doctas ferre quietem
Constituit mentes serieque agitare laborum.
Primum littoreis miles lassatur arenis;
Proximus in muros et maenia Cyrenarum
Est labor; exclusus nulla se vindicat ira,
Poenaque de victis sola est, vicisse, Catoni.
Inde peti placuit Libyci contermina Mauris
Regna Iubae; sed iter mediis natura vetabat
Syrtibus, hanc audax sperat sibi cedere virtus.
  Syrtis vel, primam mundo natura figuram

290 floriferae AB_1EG, amore A (— rem m 2) B_1, sacri mellis uR, **291** gaudet..in M, gra..mine (ni ut vid. erasum) M, **293** incalcata a, iusta a, **295** seriemque AB_1GD, laborem aB_1, **297** sed moenia a, **298** excussue D, **299** devictis U, catonis A (— ni m 2) B, catonem V_1M_1Dc, catoni (*del.* s) EvG, **300** libici BMA, lybicis UV, amuri a, **301** vetarat R, **302** has *vulgo*, hanc aUG, var. lect. C, spera B_1, **303** primum M_1B_1.

tum deorsum productum formam litterae n repraesentat cf. *en*(*yo*) et *er*(*inys*) permutata sub finem libri I. Locum Vergilii Georg. IV. 64 „tinnitusque cie et Matris quate tympana circum" omnes Scholiastae laudant, inde credo *Phrygii* iam untiquitus interpolatum. *Mater* est Phrygia, de cuius cultu a Gallis instituto omnia nota, cf. e. g. Ov. l. l. Similem veri explicationem palaeographicam lectionis *Phrygii* non invenio. *Tumsi* in μ ex *tunsi* exstisisse videtur. Heinsius *tunsi* coniectura erat assecutus teste Burmanno, sed *Phrygii* id. Advv. p. 185. *Tum si* Bentl.

Ib. *Increpat* fortasse pro coniunctivo, quem iure desiderabant, a librariis habitum; utique coniunctivus requiritur condicionalis, ut sensit fortasse (cf. V. L.) scholiastes Gemblacensis; in eo codice: — *si* — (sic) scriptum est supra (*Phry*)*gii*; de condicione sine part. cond. cf. IV. 186. *Increpĕre* non extat. Abrumpitur constructio instituta v. 285, ubi poeta in mente habebat: „simul increpat aes, posuere fugam". Ceterum indicativus condic. in alacri oratione („lectus genialis in aula est, nil ait" Hor.) ab hoc loco alienus.

290 *Florilegi* Heins. ad Sil. XIV. 375. Advv. l. l. *Sparsi* sc. in floribus, flores melliferos sparsos circueunt. „Floriferi laboris" magis poeticum quam *floriferae* in μ praeter M.

291 Pastor ille in pascuo (gramine) Hyblaeo (laxius adiunctus ut e. g. ap. Hom. γέγηθε δέ τε φρένα ποιμήν) accedit, ut Cato ipse cum eo comparetur.

294 Cohaerent haec sic, ut Guyetus transposita voluit: „Iamque actu belli serieque agitare laborum | constituit mentes non doctas ferre quietem". Non doctas i. q. non solitas, non assuefactas.

298 *Labor*. Expeditio Cyrenas suscepta exercendi militis causa; ea in oppugnationem urbis exiit, cum exercitus non reciperetur. *De victis* breviter dictum; certamen esse institutum diserte memorare non necesse erat. *Devictis* Hos.; illud defendit Heitl. l. l. *Catonem* (pro *Catoni*) falsam emphasin efficit extremi vocabuli; laudi fuisset victis Catonem esse victorem. Sola poena, quam Cato sumebat, erat quod victorem ageret, se superiorem ostenderet.

302 *Hanc* dedi cum Bentl. Cort., Hos., sc. naturam, magnificentius quam *has*.

303 *Vel* respondet alteri quod est v. 311, sed post longas ambages. — Vulgo v. 305 *nam* — usque ad *sui* v. 311, parenthesi includuntur, minus recte, nam verbis „sic male deseruit" (310), respicitur ad verbum extra parenthesin: *reliquit* (304).

Cum daret, in dubio pelagi terraeque reliquit;
Nam neque subsedit penitus, quo stagna profundi
Acciperet, nec se defendit ab aequore tellus;
Ambigua sed lege loci iacet invia sedes,
Aequora fracta vadis, abruptaque terra profundo,
Et post multa sonant proiecti littora fluctus.
Sic male deseruit, nullosque exegit in usus
Hanc partem natura sui; vel plenior alto
Olim Syrtis erat pelago, penitusque natabat,
Sed rapidus Titan ponto sua lumina pascens
Aequora subduxit zonae vicina perustae,
Et nunc Pontus adhuc Phoebo siccante repugnat.
Mox ubi damnosum radios admoverit aevom,
Tellus Syrtis erit, nam iam brevis unda superne
Innatat et late periturum deficit aequor.
Ut primum remis actum mare propulit omne
Classis onus, densis fremuit niger imbribus auster;
In sua regna furens, tentatum classibus aequor
Turbine defendit, longeque a Syrtibus undas

304 terrae pelagique ABE, relinquit c, **306** defendet M_1, **307** ambiguas A, **308** l. Serv. A VI. 60, **309** litore *corr. in* — ri M, litore g, **310** sic male deseruit l. Serv. A. II. 23, IV. 8, deruit M (se add. m. 2), **315** sicante U, **316** radiis Rg, **317** [erit] M_1, non iam g, superni B_1 (M_1 Stht), **319** siccum s. s. actum R.

306 *Defendit* altitudine, quae pro aggere fuisset.

309 *Littora* per *dorsa* explicant scholia; cumuli arenae continui (rijen duinen); „reefs" Hask. Non melius habeo, sed tamen mirus usus voc. *littus*; versus hi 308 sq. in hac verbosa descriptione melius abessent. „Aequora fracta vadis" resumunt: „nam neque — acciperet" (306), ut „abrupta — profundo" conveniunt cum „nec se — tellus" (306). Sed in codd. nullum indicium est.

311 „Vel *planior*" Bentl., in qua lectione non apparet, cur *alto* additum sit; id post *plenior*, profundior, continet hyperbolen non exiguam, neque tamen propterea mutandum est. Cogitat poeta mare suis terminis inclusum. Superior opinio (303, sqq.) erat, dubiam terram semper fuisse. Ex altera sententia (311) Syrtis olim tota mersa erat (*natabat*), sed Sol sensim partem aquae extraxerat et in posterum reliquam erat hausturus. Trahit enim e mari ‚pabula flammae' (VII. 5) eoque magis, quo propior aqua est aequatori.

316 „Radios admoverit aevom". Tempus, ut saepe, facere ipsum dicitur, quae in eo geruntur, aevum admovet radios i. q. sol per aevum a. r. Omissum est *longum*, aut *diu*, in quo haeret Burm.

318 *Late* iung. cum *deficit*: iam nunc per magnum spatium (*late*) hic illic deficit aqua, olim prorsus defutura.

319 *Ictum* Grot., Heins. Advv. p. 186, Bentl., qui „ipsa navis, inquit *acta* dicitur, mare *ictum*". Sed cf. Val. Fl. II. 77 „certatim remis agitur mare". Non igitur opus. Saepius *ictu* substituerunt librarii quam *actu* cf. ad III. 469. In Moreto 27 „tunsa Ceres silicum rapido decurrit ab *ictu*" restitue *actu*; lapides molares aguntur (vertuntur) non icunt. *Siccum* in Reg. ex *ictum* manifesto exstitit, repetita superiore *s* (*remis*). *Sectum* Heins. cum aliis coniecturis Burm. teste.

321 „In sua regna furens" in australia, Syrtes. Abigens aquam a littore simul vexat naves, quae partim iam altum tenebant.

Egit, et inlato confregit littore pontum.
Tum quarum recto deprendit carbasa malo
Eripuit nautis, frustraque rudentibus ausis
Vela negare noto, spatium vicere carinae,
Atque ultra proram tumuit sinus. Omnia seu quis
Providus antennae suffixit lintea summae,
Vincitur, et nudis avertitur armamentis.
Sors melior classi, quae fluctibus incidit altis,
Et certo iactata mari. Quaecumque levatae
Arboribus caesis flatum effudere prementem,
Abstulit has liber, ventis contraria volvens
Aestus, et obnixum victor detrudit in austrum.
Has vada destituunt, atque interrupta profundo

323 inlato OR, in lato C, **325** austris R, **327** si O vulgo, **328** antemnae VUG, suffixit O, **329** averritur B, **331** *in marg.* 3ª *m. ultima syll. abscisa* M, iactatam a, mari est ABE, **332** frementem MabVUG, prementem AB, **334** detrusit GC, in altum Rg, in austum B_1.

323 „In lato" (in aliquot codd.), in duo vocabula distractum, falsum est. „Confregit littore pontum" interpretor: illato in mare littore (quodam) fregit pontum. Vento abigente aquam a littore in istiusmodi brevibus inaequali fundo hic illic dorsa nascuntur, dum reliqua pars etiamtunc mari tegitur; fluctus in Syrtibus austro flante tale dorsum ipso vento effectum (*littus*) a meridie pellunt. In re non satis perspecta, ut fit, poetae verba non clara sunt, nec v. 309, sed accidit re vera sic, ut significavit, in tali situ littoris.

324 Tum quarum (carinarum 326) carbasa deprendit (invasit) malo stante, ea (carbasa) eripuit nautis.

326 Subiectum est *vela, carinae* genetivus pendens a *spatium*: provolaverunt quam longa navis est (zij vlogen een scheepslengte vooruit). *Spatium* est accusativus mensurae. *Vincere* proprie de cursu, alter alteri appropinquat (wint op hem) spatio quodam, impropie i. q. excedere. Verg. Georg. II. 123 de arboribus altis: „aera vincere summum | arboris haud ullae iactu potuere sagittae".

327 „*Si* quis" vulgo. Hiulcam orationem sanavi mutando: *seu*, de quo ut rite iudicari possit, correctionem in contextum recepi. Alii imprudenter expansa vela scissa habuerunt (324 — *sinus* 327), alii providi, rell. (327 *omnia* — 329). *Seu* simplex = aut si; cf. ad VII. 567 et Verg. A. V. 69, XII. 685. *Suffigere* et *subnectere* vela antennae aut malo (Stat. Theb. V. 407) solent nautae ingruente tempestate. *Vincitur* calliditate, ventus eludit eius prudentiam. *Averritur* (329) pro *avertitur* cum B Hosius; vulgatam defendit Heitland. *Avertitur* a directione seu cursu proposito; *armamentis*, malo et antennis, *nudis*. *Avertere* vulgo de cursu *suscepto* III. 590, Verg. A. I. 104.

331 Ad *est* in relativa sententia omissum cf. VII. 782. Sed vide ad i. l.

332 *Prementem* post Grot. editores praeter Weis. *Effugere* ex uno Voss. (non 1 aut 2) Burm. Adnotatio in V: „vim venti adversantis evaserant". *Effundere* proprie de equo equitem abiciente. Verg. A. X 573 „effunduntque ducem (equi)". Ib. 891 „effusumque equitem" et sic apud Liv. alios. Similiter *premere* est equestre vocabulum. Verg. I. 63. XI. 600 („premere habenas"). Cf. praeterea ab intpp. adducta Sen. Phoen. 429 „ratis premente vento rapitur", Val. Fl. V. 73 „premente noto". *Frementem* de vento dictum oscitantes librarii pro ignoto *prementem* scribunt. Nota sunt „classi immittit habenas". Verg. A. VI. I, Val. Fl. I. 687.

334 Aestus surgens aquam in continentem pellit, ergo *contra* Austrum.

335 *Destituunt* i. q. deficiunt: aqua in vadis non sufficiebat. Liv. XXI. 28 „ut quemque timentem altitudinem destituerat (sic scrib,) vadum." — Tunduntur (*ferit*) naves terra, quae abrumpebat mare (excipiebat). Pro „interrupto profundo" positum „interrupta terra profundo". Sen. Agam. 594 de nave haerente „pars vehitur huius prima, pars scopulo sedet."

Terra ferit puppis, dubioque obnoxia fato
Pars sedet una ratis, pars altera pendet in undis.
Tunc magis inpactum brevibus mare, terraque saevit
Obvia consurgens; quamvis inlisus ab austro,
Saepe tamen cumulos fluctus non vincit arenae.
Eminet in tergo pelagi procul omnibus arvis
Inviolatus aqua sicci iam pulveris agger.
Stant miseri nautae, terraeque haerente carina
Littora nulla vident. Sic partem intercipit aequor,
Pars ratium maior regimen clavumque secuta est,
Tuta fuga, nautasque loci sortita peritos
Torpentem Tritonos adit inlaesa paludem.
  Hanc, ut fama, deus, quem toto littore Pontus
Audit ventosa perflantem marmora concha,
Hanc et Pallas amat, patrio quae vertice nata
Terrarum primam Libyen (nam proxima caelo est,
Ut probat ipse calor) tetigit, stagnique quieta
Voltus vidit aqua, posuitque in margine plantas,
Et se dilecta Tritonida dixit ab unda.

337 pandit AB, undas AEB, **338** inpacta A, inpactis B, brevius ABcRD, saepe MABEV, sepe G, sepae R, sae*vit* U, **339** elisus O vulgo, **340** vicit DG, **341** a *in marg.* tundis (*num: al. undis?*)*; post hunc v sequebatur* 331, *nunc erasus* M, *supra* arvis: undis *ant. m.* V, **343** terraque a, **349** murmura ABvGvulgo, *murmura* ME (semiras.), littora eVU, **350** quo e vertice A, **352** quieta — plantas (353) in marg. m. rec. M, **353** plantam G, **354** l. Serv. Aen. II. 171, delecta B.

338 *Tunc*, navibus haerentibus et mare angustantibus. *Brevius* nil nisi mendum; *angustius* sic fit mare, non *brevius*. Maiore cum vehementia inpingitur in *brevia*. Sine causa idonea: *incertum brevius* Bentl. Idem: „terraque *laedit*" (*laedat* typographi mendum cf. Weber II 564); *saepit* Weber l. l. vocabulum poetis usurpatum, sed hoc loco nimis tenue, praesertim sine ulla definitione, reposuit Hos. *Saeve* frustra coni. Oud., ipse cum secutis retinuit *saevit*, a Bersmanno ex tribus MSS receptum. Et sic Sulpitius iam et aliae vetustae editiones. Fuerit coniectura antiqua (etsi alibi quoque U solus verum praebuit, ut VII. 462), utique melior est quam Weberiana, quare *saevit* non movi. Versu prox. *inlisus* suspitionem Cortii et Hosii recepi; fluctus impellitur, non exprimitur ab austro; aliud est *elidere* VI. 56, quo Web. provocat. Ad totum locum cf. Verg. Aen. I. 110 „tris Eurus ab alto | in brevia et syrtis urguet (miserabile visu) | *inliditque* vadis atque aggere cingit arenae." Et de verbo *inpingi*, apud Silium frequenti, Pun. XIV. 14 „caeca vi turbinis olim | inpactum pelagus laceratae viscera terrae | discidit."

343 *Stant*, otiosi, ut *stare* de Catone infra 593.

347 *Adit* praesens puto, cf. ad I. 642, et X. 282.

349 *Marmora* Heins. coni. ad Val. Fl. VII. 604 et Advv. p. 185, aut „ventosae *proflantem* murmura conchae" Advv. l.l., „*proflantem* murmura" Bentl. Unde *littora* exstiterit non apparet si *murmura* legitur; *littora* est glossa vocabuli *marmora*. Absolute, sine gen. *pelagi* aut *ponti*, etiam. Verg. A. VII. 28, X. 208. *Murmur* et *marmor* confusa quoque apud Lucret. III. 1032 videntur, ubi praestat: „et contemsit equis insultans marmora ponti" prae *murmura*.

Quam iuxta Lethon tacitus praelabitur amnis,
Infernis, ut fama, trahens oblivia venis,
Atque, insopiti quondam tutela draconis,
Hesperidum pauper spoliatis frondibus hortus.
Invidus, annoso qui famam derogat aevo,
Qui vates ad vera vocat. Fuit aurea silva,
Divitiisque graves et fulvo germine rami,
Virgineusque chorus nitidi custodia luci,
Et numquam somno damnatus lumina serpens,
Robora conplexus rutilo curvata metallo.
Abstulit arboribus pretium nemorique laborem
Alcides, passusque inopes sine pondere ramos,
Rettulit Argolico fulgentia poma tyranno.
His igitur depulsa locis eiectaque classis
Syrtibus, haud ultra Garamantidas attigit undas,
Sed duce Pompeio Libyes melioris in oris
Mansit. At inpatiens virtus haerere Catonis
Audet in ignotas agmen committere gentes,

355 quem AB_1E_1 Schol. Voss. v. l., le . tes (s. s. h) M, lethes ABV, lethon aUV_1R, leton c, amnes A_1, **356** ripis bug, **358** spoliatus B_1A, spoliatis VUMG, vel arbor m, **361** gravis A_1E, **363** summo R, limina V_1, **365** laborum B_1, nemorisque v. **367** l. Mar. Vict. VI. 38.29 K, **368** classes A_1E_1, **369** aut Bc, attingit AB, **370** melioris *e corr.*, *primitiva lectio incerta* M (*fort.* in oris; melioris *substituto*), in oris *in fine add.* M. **372** ignotos M_1, cõmittere VU.

355 *Lethes* vulgo. *Lathon* ex ignoti cod. lectione *laethon* coni Cort., *lethon* idem in textu et Weis. *Λήθων* fluvius Africae Ptol. ap. Athen. II. p. 71 B, diversus a Lethe, ut prox. vers. docet, per venas (ad inferos pertinentes) oblivia ducens ex Lethe inferna. Strabo XVII p. 836 *ἔστι δὲ (πλήσιον τῆς Βερενίκης) καὶ λίμνη Ἑσπερίδων καὶ ποταμὸς ἐμβάλλει Λάθων.*

358 *Spoliatus* Burm., Cort., Weis., sine dubio peius; hortus non spoliabatur frondibus, sed frondes pomis. Abl. abs. attributive positum ignorabant librarii.

363 Pro *damnatus* suspecto Botho: *donatus*. Num voluit L.: insomnio damnatus?

365 „Nemorique *decorem*." Eleganter Schrad. sed cf. Schol. Voss.: „laborem) tanquam in his malis ferendis nemus pondere laboraret, aut ei labor esset, ut gigneret."

368 „His locis" (dativus) ad Berenicen, cuius urbis antiquum nomen erat *Hesperis* vel *Hesperides*; sita est ad Syrtin Maiorem in Cyrenaica. Mela I. 8. 15. Plin. V. 31, Strabo l. l. Ib. Heins. teste Burm. *reiecta*. At cum „eiici (mari)" dicatur, ferendum quoque eiici Syrtibus (nempe ad Berenicen).

370 „Duce Pompeio" Gnaeo, maiore filio. Appiano teste Civ. II. 87 in Hispaniam abierat eodem tempore, quo Cato in Africam statim post Pharsalicam pugnam. Id nunc demum factum videtur. Ubi Garamantes posuerit L. non liquet; geographi eos a mari remotos statuunt. Tritonis palus et Hesperides, valde inter se dissita, propinqua fingit poeta. In his mythicis nominibus parum verum situm curant poetae. Ex tenore narrationis, qua Cato deinde Ammonium et ad Psyllos pervenit, apparet tamen Lucanum potius Tritonida Hesperidibus (Berenicae), quam contra Berenicen Tritonidi admovisse. Cum hoc situ convenit, quod Cato deinceps Syrtin circuit 373. Nam Berenice ab oriente Syrti maiori adiacet. Si Tritonida lacum in vicinia Hesperidum collocavit, non improbabile est per „Garamantidas undas" Tritonida lacum s. Tritonida paludem significari.

372 *Committere* cf. IV. 743 „aciem commit-

Armorum fidens, et terra cingere Syrtim.
Haec eadem suadebat hiems, quae clauserat aequor;
Et spes imber erat, nimios metuentibus ignis:
Ut neque sole viam nec duro frigore saevam
Inde polo Libyes, hinc bruma temperet annus.
Atque ingressurus steriles sic fatur arenas:
„O quibus una salus placuit mea signa secutis
Indomita cervice mori, componite mentes
Ad magnum virtutis opus summosque labores.
Vadimus in campos sterilis exustaque mundi,
Qua nimius Titan, et rarae in fontibus undae,
Siccaque letiferis squalent serpentibus arva,
Durum iter ad leges patriaeque ruentis amorem.
Per mediam Libyen veniant atque invia tentent,
Si quibus in nullo positum est evadere voto,
Si quibus ire sat est. Neque enim mihi fallere quemquam
Est animus, tectoque metu perducere volgus.
Hi mihi sint comites, quos ipsa pericula ducent,
Qui me teste pati vel quae tristissima pulcrum

373 terram B_1, **374** hoc $A_1E_1V_1$, **375** imbris a, **377** temperat VD, annum b, **379** signa MVU, castra ABE, secutas B_1, **382** stereles M_1, **383** frontibus B, **384** lotiferis (ex: lat.) E, **385** amore C, **386** venient M_1B, veniantque R, **388** sates, *corr. in*: satis M, sata est B, **389** vulsus C, **390** hinc B, sunt C, durant c, ducunt G.

teret arvis". Committere h. l. absolute pro in aleam committere.

376 sq. Summa sententiae: ut annus temperet viam a frigore (*inde*) et a sole (*hinc*). Schol. Voss.: „non *saevam frigore*, polo Libyae hoc faciente; non *saevam sole* bruma hoc faciente." Anno igitur et polus (situs) et bruma adscribitur contra rei naturam, quae postularet: polus Libyes (situs meridionalis) a frigore tuetur, annus (anni tempestas) per brumam (hiemem) a sole nimio. Studium adaequandi membra fecit ut *annus* latissima sententia (caeli et temporis) usurparetur.

385 „Patriaeque ruentis amorem" i. e. ad favorem civitatis in ruinam (imperium) pronae. Patriae est gen. subiectivus. Catoni iter per Africam est via ad leges (tutandas) et ad favorem bonorum, difficilis (*durum*) tamen, quia leges iam sublatae partim erant, et quia civitas in interitum sive imperium prona (*ruentis*) non favebat amicis libertatis. Via contra ad amorem erga patriam, ut vulgo interpretantur, non est difficilis, quoniam, si ulla, non est longa, sedet enim in pectore. *Praestandum* precario supplet Heitland post *amorem*. Schol. Lips., quem Heitland l. l. p. 155 antestatur: „durum est iter, quod ducit ad statum legum retinendum et ad amorem patriae ruentis, i. e. ut defendatur, ne ruat." Post „ad leges" plene distinguit Burm., scribens *amore*, post „iter" Weisius. *Honorem* pro *amorem* idem Burm. — Hos.: patriaeque (= sed p.) ruentis *amore* per med. Lib. venient." Non opus mutatione.

387 „In nullo", rell. „Non extremum votorum est evadere" erat sententia Catoni obversata; exaggerat dicens *nullo* i. e. qui sperant *minime* se evasuros.

388 „Ire sat est" confidentibus duce et porro securis de futuris.

389 *Caecoque* pro *tectoque* Heins. teste Burm. (?)

390 *Durant* minus apte lemma Commenti. Ducunt i. q. trahunt, alliciunt ut in illo αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα σίδηρος.

Romanumque putant. At qui sponsore salutis
Miles eget, capiturque animae dulcedine, vadat
Ad dominum meliore via. Dum primus arenas
Ingrediar, primusque gradus in pulvere ponam,
Me calor aetherius feriat, mihi plena veneno
Occurrat serpens, fatoque pericula vestra
Praetentate meo; sitiat, quicumque bibentem
Viderit, aut umbras nemorum quicumque petentem,
Aestuet, aut equitem peditum praecedere turmas,
Deficiat, seu quo fuerit discrimine notum,
Dux an miles eam. Serpens, sitis, ardor, arenae,
Dulcia virtuti. Gaudet patientia duris.
Laetius est, quotiens magno sibi constat, honestum.
Sola potest Libye turba praestare malorum,
Ut deceat fugisse viros". Sic ille cadentis
Incendit virtute animos et amore laborum,
Irreducemque viam deserto limite carpit,
Et, sacrum parvo nomen clausura sepulcro
Invasit Libye securi fata Catonis.
  Tertia pars rerum Libye, si credere famae

393 aminae M_1, vadit B, **396, 395** *hoc ord.* AB (corr. b), **398** bibente a, **399** om. versum E, add. e, viderat B, petem M_1, **401** si O vulgo, sub crimine u, **402** semper M_1, **404** laetus D, **405** libyae U, tuba (s. s. r m 2) M, turbam AVU, **406** calentis MAEVDG vulgo, *calentis* U, paventes v, **410** lybiae MDC, **411** par (deleta s) E, lybie M.

394 Ad Caesarem planiore via.

396 „Me feriat — occurrat." Hoc votum definitur proximis: vult primus periculum incurrere, ut miles ante quam ipse periculum incurrat, experiatur (*praetentet*) quod instet exemplo ducis.

398 sqq. Utinam sitiat *tantum* ille, nemo sitiat nisi, qui viderit me bibentem, utinam nemo aestuet nisi qui me viderit umbras petentem, nemo concidat nisi qui me viderit equo vectum. Consequitur: tum nullus erit qui sitiat, aestuet, deficiat. Recte sic Haskins. — Burm. ingenue fatetur sibi aquam haerere, reliqui: Grotius, Farnabius, Schrevelius, Cortius tacent. Dura est omissio restrictivae particulae, unde formam imprecationis habet oratio, quae nulla est h. l.

401 *Seu* pro vulg. *si* mihi cum Schradero necessarium videtur, cf. ad VII. 567, IX. 327. Apodosis omissa, quae facile suppletur: „simile quid patiatur." Non conferendus locus X. 214 (Hask.), ad quem vide annotata. Si illa: „si quo", rell. efficerent protasin ad superiora, *si* (pro *sin, seu*) requireretur; nunc contra. *Si* (*sei*) *seu* videntur aliquoties confusa.

404 „Quotiens magno sibi constat, honestum". *Sibi* ad rem a persona translatum est, sententia: hominibus laetius est, homines magis gaudent honesto, quod sibi constat magno.

405 Sola Libye copia malorum potest efficere, ut qui eo fugiant, ignaviae crimine absolvantur. Itaque qui Pharsali fugerant, poterant virtutis laudem recuperare, tanto se exponentes periculo. *Turbam* ante Oud., Weis.


406 *Paventes* etiam in Reg. 1 Oud. exstat, qui recepit et sic rell. praeter Cortium. Sed obsecutus sum Heitlando l. l. Ex *cadentes* facile nascitur *calentes*. Notum est „cecidere animi". Verg. A. III. 260, Ovid. Metam. VII 347, XI. 537. *Cadentes* est V. L. apud Stefanum.

408 „Deserto *limite*" i. q. per desertum.

Cuncta velis, at si ventos caelumque sequaris,
Par erit Europae. Neque enim plus littora Nili,
Quam Scythicus Tanais primis a Gadibus absunt,
Unde Europa fugit Libyen, et littora flexu
Oceano fecere locum. Sed maior in unam
Orbis abit Asiam. Nam cum communiter istae
Effundant zephyrum, boreae latus illa sinistrum

412 aut si B, **413** *vulgo* pars, par ae, pars E, litore B, **414** absit a, **415** inde G, flexo R, **418—429** exstant in Fm fol. 2, cf. ad VIII. 820.

413 Recepi *par* ex ae, vulgo *pars*, quod pugnat cum sqq., quorum sententia est: par est Africa Europae. Terminus Europae est Tanais, Africae Nilus. Oppositas his terminis utraque habet Gades. Ergo si aeque Tanais et Nilus Gadibus distant, Africa Europae aequalis est. Cum superioribus v. 413 cohaeret sic: tertia pars mundi, si famam sequeris, Africa est, at, si ad caeli regionem attendas, pares sunt Africa et Europa, Asia autem longe maior est quam altera utra. Hoc postremum ut vulgo notum



supprimitur. Si Asia longe est maxima, Africa Europae par, non potest esse tertia pars mundi. Rem clare ab oculos ponit delineatio in V, quae quoniam etiam in G Fm Berol. (Weber p. 721) invenitur, antiquae originis esse videtur. Geminae lineae in medio repraesentant coniunctos Tanain et Nilum, qui ex centro in contrarias partes fluunt, ita ut ostia sint ubi BOREAS et NOTHUS scriptum est. Iam vero ab his locis usque ad columnas Herculis, ubi ZEPHIRUS scriptum est, idem spatium est. Asia dimidiam partem totius circuli explet. Ceterum in codd. forma conversa est; BOREAS est a sinistra parte.

415 Recte *unde,* non *inde* (G), nam haec: „unde—locum" (416) nihil nisi definiunt situm Gadium, et quod sequitur *sed* opponit non proxime superiora, at illa: „neque enim—absunt", Europa et Africa sunt aequales sed Asia longe maior.

Ib. „Fugit Libyen" nempe avertendo littus; explicatur proximis. „Littora incurva (*flexu suo*) spatium effecerunt, quo reciperent Oceanum (Oceano, dativus)". Inde a Gadibus, unde initium (*primis*), flexus incipit.

417 Europa et Africa communiter habent alterum mundi latus (occidentale), Asia sola possidet alterum (orientale), „eurum sola tenens." Vide delineationem. *Abit* praesens videtur: valt ten deel, Mnem. XIX 31 cf. fugit (415); de *it* producto vid. ad X. 282 et ad I. 642.

418 „Effundunt zephyrum" secundum pla-

Contingens dextrumque noti, descendit in ortus,
Eurum sola tenens. Libycae quod fertile terrae est,
Vergit in occasus, sed et hoc non fontibus ullis
Solvitur: arctoos raris aquilonibus imbris
Accipit, et nostris reficit sua rura serenis.
In nullas vitiatur opes; non aera neque aurum
Excoquitur, nullo glebarum crimine pura
Et penitus terra est. Tantum Maurusia genti
Robora divitiae, quorum non noverat usum,
Sed citri contenta comis vivebat et umbris.
In nemus ignotum nostrae venere secures,
Extremoque epulas mensasque petivimus orbe.
At quaecumque vagam Syrtim conplectitur ora
Sub nimio proiecta die, vicina perusti
Aetheris exurit messis et pulvere Bacchum
Enecat et nulla putris radice tenetur.

419 descendit mEg, discedit MAGF^mVU, ortum G, hortum F^m, **420** lybiae V_1R, terra R, **421** haec O vulgo, [et] A, nec a b, n^{u}lli .s A, **422** om. B add. b, **423** et — serenis l. Lact. Theb. VIII. 411, et s. s. in F^m, **424** neque MAB (n̄ aeq;) UG, nec V, aere neque auro O vulgo, **425** crimine dives VU, *pura* M, pyra A (u s s m. 2), cura abE, dira B, *post v.* 425 *sequitur v.* 428 E, *corr.* e *signo transpositionis*, **426** sic penitus ab (ex corr.), *sic* M, *in* E *versus* 426 *excidit add. m* 2, **427** quarum O vulgo, noverat s. s. al.... verat M, moverat a, **428** acmoris (?) s. s. m 2 arvo M, (potest legi: austris) M, umbra aVG, **430** l. Aldhelmus p, 231.28 G (519 M), extremasque A_1B_1E, mensasve g, petivimus (ab s. s) A, petivimus orbe V, petimus ab M_1(corr. m. 2)BCR, petemus ab Ub Aldh. (M_1Stht), **432** perustae M_1, **434** enegat M_1, tuetur u.

citum, quo siccus terrarum vapor ventus est. Cf. Sen. N. Q. II. 12. 5, V. 4.

420 Haskins ad II. 408 hunc locum interpretans: has no springs of water. *Solvitur* fere i. q. frangitur, aperitur. Intellege de fontibus proprio sensu (non de humore in universum). Terra aqua fontium finditur, compacta est si nulli sunt.

421 *Hoc* Bentl., *haec* vulgo; interpretantur: Africa; quid tum *et*?

423 „Nostris—serenis" cum apud nos serena tempestas est et venti nubes meridiem versus in Africam pepulerunt.'

424 Vulgo „*aere* neque *auro*". *Excolitur* Burm. Mihi valde arridet coni. Guyeti: „non *aera* neque *aurum* | excoquitur", eamque recipere non dubitavi, quoniam sola sententiae satisfacit. Verg. Georg. III. 307 „vellera Tyrios incocta rubores." Calor in fodinis poetae videtur origo metallorum. Per se intellegitur aere et auro calefieri non posse terram.

425 „Nullo glebarum crimine" i. e. nulla putredine. Lectionis *dives* patrocinium suscipit Heitland l. l. p. 118[b] allato Ov. Met. I. 137, quo probatur tantum „humus dives" dici posse, nec res conficitur. Heins. inutili coni. (Advv. p. 127): „*ut* crimine dives, *sic* penitus terra." „Penitus terra est" i. q. penitus arena non intermixto humore, quemadmodum in glebis.

427 Vulgo *quarum*; *quorum* Bentl. Non noverat usum stirpium, foliis tantum et umbra arborum fruebatur. Oppositum „comis et umbris" ostendit in priore membro stirpes significari.

430 *Petimus ab.*" Oud. Cort. Hos., pro quo facit var. lect. *petemus*, sed exempla huius contractionis desidero. Immerito desiderata et inserta praepositio causa mutandi *petivimus* in *petimus* esse potuit. Cf. Trampe p. 12. — *Mensae* *μονόξυλοι* ex citro, pretiosae, proprie *orbes* dictae. Cf. Petron. bell. Civ. 29 „citrea mensa."

434 „Et nulla putris" i. q. et non putris (non) ulla radice tenetur (continetur). Negatio tam ad *putris* quam ad *tenetur* pertinet.

Temperies vitalis abest, et nulla sub illa
Cura Iovis terra est; natura deside torpet
Orbis, et inmotis annum non sentit arenis.
Hoc tam segne solum raras tamen exerit herbas,
Quas Nasamon gens dura legit, qui proxima ponto
Nudus rura tenet; quem mundi barbara damnis
Syrtis alit. Nam littoreis populator arenis
Inminet et nulla portus tangente carina
Novit opes. Sic cum toto commercia mundo
Naufragiis Nasamones habent. Hac ire Catonem
Dura iubet virtus. Illic secura iuventus
Ventorum nullasque timens tellure procellas
Aequoreos est passa metus. Nam littore sicco,
Quam pelago, Syrtis violentius excipit austrum,
Et terrae magis ille nocet. Non montibus illum
Adversis frangit Libye, scopulisque repulsum
Dissipat et liquidas se turbine solvit in auras,
Nec ruit in silvas, annosaque robora torquens

438 exherit M, **440** rara A (u s. s. m 2) B, damno c, **443** commertia A, **444** nasamonis V_1, ac ire A (h add. m. 2), **445—456** *adsunt in F^m*, cf. ad VIII. 820, **446** timens sentire VR (s. s. tellure) g, **448** accipit ABEVF^m (s. s.), **449** terris V_1, nocens MEVUABR nocet GF^m, montibus ortum MAVUBEg, illum GF^m, illum austrum glossa in B, **450** libye M, **451** liquido V, se OERF^mD.

435 „Et nulla", rell. Iunge „et nulla terra sub illa (temperie) est Iovis cura". *Cura* est obiectum curae, ut erotici puellam amatam „curam suam" dicunt. Sciens longam Burmanni disputationem praetereo.

437 *Inmotis* nempe per aratrum aut rastrum. Secus Hask. — *Annum* progressum anni, i. e. anni tempestates.

438 „Raras tamen exerit." *Tamen* opponit *raras* et *exerit*: quamvis raras tamen exerit", quod elegantius est quam eius vim ad *segne* referre. Verg. Ecl. I. 28 „sera tamen respexit." Prop. III. 15. 35 „sera tamen pietas natis", Catull. LXIV. 103 „non ingrata tamen frustra munuscula divis | promittens." Hertzberg ad Propertium vol. III. p. 336 plura. Apud Plautum *tamen* sic usurpatum postponitur saepe ut Capt. 404 „gessisse morem in tantis aerumnis tamen." Poen. 1084. Cicero pro Tullio 43 fin.. Seyffert Plaut. Stud. p. 14, Luc. I. 378 „coniugis invita peragens tamen omnia dextra."

443 „Commercia—*naufragii*" mavult Heins. quam *naufragiis*. De Nasamm. cf. Sil. It. I, 408, III 320 sq.

449 *Nocens* plerique libri, quod ut retineatur vide quanto molimine opus sit; Oud. enim: „et terrae magis ille (Auster) *nocens*, non mentibus *ictum* | adversis frangit *Libyes*." *Nocet* receperunt Burm., Hos. Similiter atque in *nocet* fragmentum Monasteriense et Gemblacensem secutus sum in fine versus; nam *ortum*, quod reliqui habent, plane otiosum, cum „montibus adversis" enim *ortum* non posse iungi quisque videt. Probabile est *ortum* ex interpretatione natum esse. In F^m glossa ad „montibus": „et non sunt" (leg.: „quia n. s.")

450 Negatio continuatur: „scopulisque" i. q. „nec scopulis" more Lucani. Idem fit 451 „et liquidas" = nec liquidas, 452 „annosaque" = nec annosa. Burm. (451): „*at* liquidas *se* turbine solvit in auras" sc. auster. Sententia vulgatae *liquidas e* creditur esse: „Libye non frangit austrum in liquidas auras, quod is nullo monte repercutitur et turbinem non efficit." Sed mire terra dicitur turbinem facere, porro *e* vitiosum, non *ex* turbine, sed „per turbinem" aut rectius etiam *turbine* solvit. Itaque *se* a Grotio eiectum restitui. Mutatur subiectum (solvit se auster), ut saepe.

Lassatur; patet omne solum, liberque meatu
Aeoliam rabiem totis exercet arenis.
Et non imbriferam contorto pulvere nubem
In flexum violentus agit: pars plurima terrae
Tollitur, et numquam resoluto vertice pendet.
Regna videt pauper Nasamon errantia vento
Discussasque domos, volitantia culmina raptae
Detecto Garamante casae. Non altius ignis
Rapta vehit, quantumque licet consurgere fumo
Et violare diem, tantum tenet aera pulvis.
Tunc quoque Romanum solito violentior agmen
Adgreditur, nullusque potest consistere miles
Instabilis raptis etiam, quas calcat, arenis.
Concuteret terras orbemque a sede moveret,
Si solida Libye compage et pondere duro
Clauderet exesis austrum scopulosa cavernis;
Sed quia mobilibus facilis turbatur arenis,

454 rabien M, harenis MAEBF^{mg}VU, habenis G, **455** umbriferam M_1, puertice R i. e. pro vertice), **456** flexus AB, inflexum U, **457** pendit A (m 2 corr: e) B_1, **459** domus B, vulgo: volitantque a culmine, volitant[que] ABE, **460** ignes A_1, *post* 460 *dimidia pag. vacat* A_1, **461** licet M, summo D, **462** tantus M_1b (U Stht), tantum ABEVU, **463** vilentior A (corr. m. 2), violentior EBD} *rell. praeter* G (violentius), **464** nulles[que] A (corr. m 2), nullusque BEM (— lisq. Stht) v, nullisque VUR, consurgere u, **466** terrasque A, **468** scopulosque R, **469** sed quod V.

454 „*Motis* exercet arenis" Heins. cf. 469. Quamvis *harena* et *habena* saepissime permutentur, non est cur h. l. a codicibus (praeter G) recedamus scribendo cum Oud. Cort. Hos. *habenis* (coll. II, 500), non tam impetus quam spatium, quo furit, erat significandum, praecedit „*patet* omne solum."

456, sq. „In flexum agere" i. q. in gyrum dare sive rotare, unde *inflexum* (ὑφ' ἕν) damnandum, nec praeferendum „in flexus" ex AB (μ^b). — „*At* non" Burm., nescio cur.

457 *Numquam* cum *resoluto* iung. Apud Lucanum fides sit rei. Fortasse de „fata morgana" aliquid audiverat.

458, sq. Garamantes interiora habitant, Nasamones littus; itaque si quid ab austro Garamantibus aufertur pervenit ad Nasamones, septentrionales. Videt pauper Nasamon regna sublime vento sublata „discussasque domos" i. e. fragmina domuum, quod exponitur sequentibus: „*volitantia culmina* raptae detecto Garamante casae" i. e. tecta (culmina) casae (Garamantidis) abreptae, dum Garamas tecto privatus est (*detecto* novum et ioculare), (videt) *volitantia*. Vulgo: *volitantque a culmine.* Indicium in ABE *que* omittentibus secutus pro *volitant a* dedi *volitantia* et *culmina* (Mnem. XIX. 37). „A culmine rapta casa" perversum; possum „culmen a casa raptum" cogitare, non casam a culmine. Nihil prodest Bentl. *ruptae* legens. *Que* post *volitant* om. Guyet.

461 *Libet* Hos. refutatus ab Heitlando l.l.

462 In M scriptum erat *tantus*, tunc supra *u* linea posita et punctum sub *s*. *Tantum* defendit Damsté contra Hos. *tantus*; non agitur de copia pulveris sed de altitudine; „tantum aera" i. q. t. spatium aeris. *Tenet* = obtinet. Hic quoque μ^b (ABE) rectius quam M, ut 455. Hor. Ep. I. 1. 28 „Non possis oculo quantum contendere Lynceus" (tantum spatium conficere, *cont.* est intr.).

468 *Clauderet* = includeret, paene omnia simplicia pro compositis usurpantur, si metrum cogit.

469 Africa comparatur cum luctatore, qui de vestigio pellitur, quoniam perturbatur (*turbatur*).

Nusquam luctando stabilis manet, imaque tellus
Stat, quia summa fugit. Galeas et scuta virorum
Pilaque contorsit violento spiritus actu,
Intentusque tulit magni per inania caeli.
Illud in extrema forsan longeque remota
Prodigium tellure fuit, delapsaque caelo
Arma timent gentes, hominumque erepta lacertis
A superis demissa putant. Sic illa profecto
Sacrifico cecidere Numae, quae lecta iuventus
Patricia cervice movet: spoliaverat auster
Aut boreas populos ancilia nostra ferentis.
Sic orbem torquente noto Romana iuventus
Procubuit, metuensque rapi constrinxit amictus
Inseruitque manus terrae; nec pondere solo,
Sed nisu iacuit, vix sic inmobilis austro,
ɔ: Qui super ingentis cumulos involvit arenae,
ɔ: Atque operit tellure viros. Vix tollere miles
ɔ: Membra valet, multo congestu pulveris haerens.

470 numquam V, **477** dimassa E_1, dimissa G (dem. g), **478** que A (qua corr. m. 2), quae a, qua B_1, lecta add. m. 2 A, **479—481** om. B, add. b, spoliaverit A (corr. m 2), **480** ferent*es* M, **482** timuitque MA(metuens a)EBVU(timens u) g, metuensque G, metuitque g, constringit BE, **484** [austro] M, *in marg. cum* 485—487, *ubi vide, ordo in A* 484, 488, 485, 486, 487, *appositis signis corr.*; *var. lect. in* E: 484, [485—487], 488, 489; v. 486—490 in ras. m. 2 idem, **485—487** *in marg. suppl. manu crassiore et maioribus litteris quam secundae; a qua valde diversa, tamen coaeva est, ut apparet ex var. lect. ad* 485, M, **485** *ad* ingentes (*m.* 3 *scriptum vid.* supra) *m.* 2 *adscripsit* i. viros, tumulos BE, arenae (*sine* h) M, **486—490** in ras. E, sub 490 latet a 1 m. 489, **487** membra curat G (trahit g), haere (abscisa rell.) M, (pulvis h.... s U, corr. u Stht.)

470 Quia summa terra, quae excipit austrum, cedit, ima non convellitur.

474 *Externa* edd. ante Oud., Cort. Weis. sine auctore locuplete.

478 „*Laeta* iuventus" Cortius coll. I. 603 „Salius laeto portans ancilia collo." *Movet* vocabulum in hac re proprium.

481 *Orbem* definita significatione, ut supra VII. 223 „Libyco dux primus in orbe" infra 547, neque enim „orbem torquere" ex Graeca consuetudine explicandum.

482 Asyndeti „constrinxit amictus" nulla ratio est, quare verum puto *metuens* (G) pro vulg. *timuit. Metuens* in *timens* depravatum et deinde metri causa correctum in *timuit.* De confusis verbo finito et partic. cf. 449.

485—487 Exemplar, unde M descriptus, carebat his versibus, nam in marg. in suo ex. adscriptos librarius in textu addidisset. In AE suppleti sunt e libro, qui habebat eos in margine adscriptos; A posuit eos in textu, sed alieno loco (post 488), E quoque, ut apparet e rasura verss. 486—490, sub qua latet ordo a vulgari diversus. B descriptus ex A omisit 488 post 484, ubi eum inveniebat, animadvertens ibi alienum esse, alio loco inserere oblitus. Archetypum igitur familiae μ apparet his versibus caruisse, et aliunde suppletos esse codd. μ. Pleniores i. e. deteriores libri hos versus, ne quid desideraretur, addiderunt, ut ex poetae exemplari oriundos, sed archetypon μ iure omisit. Iis optime caremus: sic a sepultis arena transitur ad *stantes.*

485 De re cf. Trillerus ap. Cort. ad 486.

487 „*Multi* congestu pulveris" Bentl. In U latere suspicatur Usenerus: „pulvis ha-

Adligat et stantis adfusae magnus arenae
Agger, et inmoti terra surgente tenentur.
ɔ: Saxa tulit penitus discussis proruta muris,
ɔ: Effuditque procul, miranda sorte malorum:
ɔ: Qui nullas videre domos, videre ruinas.
Iamque iter omne latet: nec sunt discrimina terrae
[Ulla, nisi aetheriae medio velut aequore flammae.]
Sideribus novere vias: nec sidera tota
Ostendit Libycae finitor circulus orae,
Multaque devexo terrarum margine celat.
  Utque calor solvit, quem torserat aera ventus,
Incensusque dies, manant sudoribus artus,

488 stantes A, om. B, add. b, **489** immota U_1, **490** decussis G, **491** miseranda MU, **494** *in marg. m.* 3 M, *in* VU *post adscriptus*, om. R, aethereae VU, velud M, **495** movere a, viam AGR, tota MA(nota a)BGU, toto V_1E_1, **496** circulos M_1, **497** *intra versus* V, **498** quae E_1, **499** *om. M qui in marg. habet versum*: exarsitque dies iam m$\overset{u}{o}$ndi spissior ignis, (= 499^a + 604^b) *et deinceps eadem ant. manu versus*: iā plaga — (605) *et* a medio — (606), *et* 499 *sic scriptum*: in nothon omnis abit manant sudoribus artus. *In ABEF eadem, sed in textu omnia*: 498, 499^a + 604^b, 605, 606, 499, 500, *ex his in A signo quodam notati secundus, quintus et sextus, quo carent* 605, 606. — incensusque dies aVUGR, in nothon omnis abit (*pro*: inc. dies) $m^2A^2B^2E^2$ Vat^2 Hosii, exarsitque dies $m^1A^1B^1E^1$ Vat^1. Hosii. (Per ^{2} significo repetitos versus).

bundans". De „adligare" cf. ad 527, noli credere dativum omissum esse; i. q. constringere, vincire.

490—492 Adscribam quae Bentl. notavit: Hic versus (490) et duo sequentes videntur spurii esse: certe nullo modo huc pertinent. *Saxa tulit*? quis tulit? *Auster, Notus, ventus, spiritus*? Atqui tot alia intervenerunt, ut istud nomen exprimendum hic fuerit, non subaudiendum „Saxa discussis muris proruta." Qui muri? cum nihil hic esset praeter casas et mapalia culmo congesto [?], quae iam pridem ventus discusserat v. 459, sq. Postremo de *arena* hic agitur, non de *saxis* et hoc tristicho sublato cetera longe aptius coniunguntur: „alligat et stantes effusae magnus *arenae* | agger; et immoti terra surgente tenentur. Iamque iter omne latet". *arena* scilicet contectum et confusum. Haec Bentl., quibus non habeo quod addam. Vides Bentleium non praefracte hos versus spurios dicere sed certe *non huius loci*. In hoc assentior. Sunt, ut opinor, Lucani sed ab eo sepositi, substitutis v. 458, sqq. „regna videt", rell. Sed primitivus editor malo sedulus eos in vitam revocatos in margine sive intercolumnio adscripsit alieno loco, quo factum, ut in parte Mss. in textum recepti sint. — Ceterum attendas etiam quam *ἀπροσδιονύσως* v. 492 *ruinae* inserantur.

494 Versus male assutus, nec potest me iudice (re iterum considerata) vel festinantis poetae esse. Vocabula *aetheriae flammae*, quas, cum in mari conspiciantur, crederes flammulas in summo malo a Castoribus ostentas esse, nihil aliud designare possunt nisi stellas, quoniam in continente viam monstrant. Ineptum est: non sunt discrimina *terrae* nisi *aetheriae* flammae. „Aetheriae flammae" sine dubio non sunt inventum librarii, sed poetae potius; si verbum illud in margine notavit „memorandum", ut postea adderet aliquid de hac re, inde ab editore versus imperite procusus est; eiusdem naturae est IX. 254.

495 *Nota* placuit Weisio. „Sidera nota" sunt constellationes hemisphaerii septentrionalis, illis nota (recte Hask.: the stars they know). *Tota* verum esse ostendit versus sequens (*finitor*), quo *tota* explicatur. Vel sic tamen eadem sidera indicantur: „nec horizon Libyae ostendit sidera tota (vulgo nota)." Ursa aliaque sidera, quae nobis viam monstrant, ab iis non plane aspiciuntur. *Devexus* est ornans epitheton; non est: „*quia* devexus est margo celat", contra verum est, quo devexior eo minus celat. Ad *que* = sed cf. infra 730.

499 Versus hic in μ bis scriptus (m^1 m^2)

Arent ora siti, conspecta est parva maligna
Unda procul vena, quam vix e pulvere miles
Corripiens patulum galeae confudit in orbem,
Porrexitque duci. Squalebant pulvere fauces
Cunctorum, minimumque tenens dux ipse liquoris
Invidiosus erat. „Mene, inquit, degener, unum
Miles in hac turba vacuum virtute putasti?
Usque adeo mollis primisque caloribus impar
Sum visus? Quanto poena tu dignior ista es,
Qui populo sitiente bibas!" Sic concitus ira
Excussit galeam, suffecitque omnibus unda.
  Ventum erat ad templum, Libycis quod gentibus unum
Inculti Garamantes habent. Stat sortiger illis

502 confundit ABE, sustulit et galeae conversum infudit F(Hos.) Rg, **504** nimiumque M(minimumque m)V, **505** deneger U, **507** motis eras prim. (s. s. m. 2 mollis)M, **508** ista [es] MABGE, **509** concitus — unda (510) l. Lact. Theb. III. 663, **512** certior illic V, sortiger MRg, corniger (*m.* rec.) mABGEvU, illis M, illic VUmABE.

interceptus est versibus duobus et dimidio ab hoc loco alienis; post 499[a] enim sequuntur 604[b] 605, 606, qui abstulerunt alteram partem versus 499; deinde post emblema illud alienum sequitur altera dimidia pars versus 499 *manant sudoribus artus,* isque versus suppletus ibi ab initio, de quo mox. Nulla cohaerentia cum sit inter 499 et 605, apparet casum dominatum esse, non consilium; transiit per errorem is qui archetypum scripsit ad 604, omittens 500—603, i. e. 104 versus = 4 folia vel 8 paginas (4 × 26 vel 8 × 13 versus). Porro, ut v. 485, efficitur ex supra dictis M esse descriptum ex libro non interpolato; μ^b (ABE) contra supplementa invenit et textui inseruit.

Ib. Prioris hemistichii tres sunt formae: *incensusque dies, exarsitque dies, in nothon omnis abit*; postrema (posita post 606 insiticium) ficta est ante perturbationem ordinis; pertinet enim ad 498 sic scriptum: „utque calor solvit quem torserat aera, ventus", sequebatur „in nothon omnis abit." „Ventus omnis abiit in notum" per se recte dictum, ab hoc tamen loco alienum, quoniam sic *calor* pro vento s. turbine dicitur aera torsisse. Ex duabus reliquis „incensusque dies" auctoritate praestat.

502 Proficiscendum est a forma versus recepta; altera (vid. V. L.) non mala ceteroquin, ne in V quidem exstat. Sed merito Burm. dubitat an damnandum sit *undam corripere* et tamen „corripiens orbem" iungere non licet; tum *e* quoque molestum est. Bentl., „*cum* pulvere." Multo efficacius Burm. *conspiciens.* „*E* pulvere" non videtur sollicitandum, constructio *κατὰ σύνεσιν* „e pulvere (haustam) confudit".

508, sq. Haec non habent probabilem sententiam, neque enim de *poena* sermo fuerat, neque biberat miles. Tentaveram, usitatissima Romanis poetis complicatione, „*quanta* poena tu, dignior *iste est,* qui populo sitiente *bibat.*" Tu meruisti poenam, sed dignior ea sim, si populo sitiente bibam. (Quo maius scelus est, cui obnoxium Catonem cogitaverat, eo maior invidia, quam ei conciverat). Perspicuitate vincit Damsté Mnem. XIX p. 381, sq. „quanto poena tu dignior *isto es,* | qui populo sitiente *bibat.*" Num tamen offensio imprudentis sed benevoli militis gravior erat quam delictum foret Catonis? — Secunda persona *es, bibas* a librariis inducta est propter praecedens *tu,* hoc quidem constat.

510 „Suffecit omnibus unda" breviter: unda illa quae aderat, definita (het water). Non: satis aquae habuerunt, quasi affatim bibissent omnes. Hariolatur Burm.

512 *Certior* Heins. Bentl., cui lectio *sortiger* ignota erat. *Corniger* ferri non potest propter v. 514. *Certior* correctio est pro inepto h. l. *corniger*; comparativi nulla ratio est. *Illis* recepit Hos.

Iuppiter, ut memorant, sed non aut fulmina vibrans,
Aut similis nostro, sed tortis cornibus Ammon.
Non illic Libycae posuerunt ditia gentes
Templa, nec eois splendent donaria gemmis.
Quamvis Aethiopum populis Arabumque beatis
Gentibus atque Indis unus sit Iuppiter Ammon,
Pauper adhuc deus est, nullis violata per aevom
Divitiis delubra tenens, morumque priorum
Numen Romano templum defendit ab auro.
Esse locis Superos, testatur silva, per omnem
Sola virens Libyen. Nam quidquid pulvere sicco
Separat ardentem tepida Berenicida Lepti,
Ignorat frondes: solus nemus abstulit Ammon.
Silvarum fons causa loco, qui putria terrae
Adligat, et domitas unda conectit arenas.
Sic quoque nil obstat Phoebo, cum cardine summo
Stat librata dies, truncum vix protegit arbor,
Tam brevis in medium radiis conpellitur umbra.
Deprensum est, hunc esse locum, qua circulus alti
Solstitii medium signorum percutit orbem.
Non obliqua meant, nec Tauro Scorpius exit

513 ut fulmina A(a s. s. m. 2), **515** non — templa (516) l. Prisc. 249.1 H., 538.5 H, libiae R, **516** eosi R, altaria agR (s. s. donaria), **518** adque M, **520** di . vitiis M, **522** loci g, **523** pulvere saxo B, **524** tepida (a ex o corr.) M, berenicid*a* (a ex corr.) M, leptum AB, lepto E, **525** solus — loco (526) l. Lact. Theb. VIII. 201, **526** frons B, **527** domitus (s. s. a) M, conectit VU, **528** hic quoque MaVUGR, *h*ic A, sic B, car . dine M, **529** sta*n*t U, **530** complectitur R, **531** polum aVR, quo V, **532** circuit U, percutit.. M, **533** oblica (s. s. qua) M, scorpius m a b.

513 „Sed non *et* — *ac* similis nostro" Schrad. Vulgatam ferri posse puto; alterum *aut* fere i. q. aut certe.

520 Priscae frugalitatis numen arcet a templo aurum, quod religioni cultorum noxium. Sic Persius II. 59—69 imprecatur auro, quod in templis aera pepulit: „o curvae in terram animae et caelestium inanes". Prop. V (IV) 1.5 „fictilibus crevere deis haec aurea templa".

524 *Berenicis* est regio contermina Berenicae urbi (supra ad 368). *Arentem* Heins.

525 *Extulit* Grotius. *Abstulit* quasi praedam aut praemium.

527 *Adligat* Sen. Epist. VI. 3(55)3: „longior tranquillitas solvit (littus), cum arenis, quae humore adligantur, succus abscessit". Terrae h. l. dativus est: „qui humida arenae admiscet".

529 „Stat librata dies". Dies (sol) summo puncto meridiani (cardine) Ammonii meridie stans librari sive in aequilibrio esse dicitur, metonymia sumta de bilance in neutram partem prona. „Truncum v. p. a." sol ita imminet, ut vix stirps ipsa sit in umbra. Res exaggerata, cogita tamen palmas proceris stirpibus et corona tantum foliorum.

531 „Circulus alti solstitii" i. q. tropicus septentrionalis. Is eo loco *percutit* (tangit) eclipticam sive zodiacum: „medium signorum orbem", medium nempe inter duo aequinoctia.

533 sqq. „Lucanus solum voluit significare, nullum signum rectius oriri vel obli-

Rectior, aut Aries donat sua tempora Librae,
Aut Astraea iubet lentos descendere Pisces.
Par Geminis Chiron, et idem quod Carcinos ardens
Humidus Aegoceros, nec plus Leo tollitur Urna.
At tibi, quaecumque es Libyco gens igne dirempta,
In noton umbra cadit, quae nobis exit in arcton,
Et segnis cynosura subit, tu sicca profundo
Mergi plaustra putas, nullumque in vertice summo
Sidus habes inmune mari; procul axis uterque est,
Et fuga signorum medio rapit omnia caelo.
  Stabant ante fores populi, quos miserat Eos,
Cornigerique Iovis monitu nova fata petebant,
Sed Latio cessere duci, comitesque Catonem
Orant, exploret Libycum memorata per orbem
Numina, de fama tam longi iudicet aevi.

534 equat s. s. V, **535** astrae (a add. m. 2) M, descende (re s. s.) M, **536** l. Prisc. II. 220.25 H, carchinus ABEVU, arens A; (ardens a)BE, scorpios add. in fine Prisc. ex interpr., **537** egoceros (r rec. m) M, aegroceros U, **538** direpta A (m. 2), **539** ad arcton ABE, **540** te AGD, signis *var. lect.* Schol., **541** summo MaVU, semper ABGD, **542** maris a, mari OR, **544** eous ME, cous U, oeos V, eus a, aeos G, **545** signa U, patebant Laur. saec XI Hos., E_1, **548** defamata A_1, iudicat c, iudice U_1.

quius suo opposito, quamvis quaedam ibi recte oriantur, quaedam oblique." Palmerius p. 923 Oud. Opposita sunt Taurus et Scorpius, Aries et Libra, Virgo (Astraea) et Pisces, Gemini et Sagittarius (Chiron), Cancer Capricorno (Aegoceros), Leo et Aquarius (Urna). Mihi tamen obscurum est cur hic motus signorum sit potissimum Ammonitis. De corruptela utique sermo esse non potest. Zodiacus obliquus meat omnibus, nisi forte posset quis solis cursum sequi, semper in ecliptica collocatus. — „Rectior exire" oppositum verbis „obliqua meare" i. q. magis ad perpendiculum surgere.

534 „Donat sua tempora Librae", „sua tempora" i. e. suam distributionem horarum, nempe inter diem et noctem. Sic fere Haskins. Variatur versu proximo; nulla invidia est inter opposita Astraeam et Pisces, cuique suum permittitur.

538 „Libyco-dirempta" a nobis separata ardoribus caeli Africi. *Exit*, spargitur s. cadit, satis insolenter, sed variandi causa. Ceterum cf. III. 248.

540 Segnis dicitur Cynosura quia prope polum collocata, exiguum circulum conficit, cf. supra ad 5. *Subit* i. q. occidit, omisso acc. *finitorem.* Nempe quo propius aequatorem itur, eo magis descendunt sidera septentrionalia, quae apud nos numquam Oceano merguntur. *Te* in Ashb., Gembl., Dav. contra quam Burm. putat (scribens *te—subit*) ferri tantum potest, si *fugit* legitur: te fugit aliquamdiu Cynosura (nos numquam). *Et—fugit* Cort., neutrum opus.

Ib. *Sicca* i. q. numquam mersa Oceano. *Mergi*, occidere, nobis ursa numquam mergitur.

541 „Vertice summo" = fastigio (polo). *Semper* Oud., Burm. Hos. Nihil est in lectione codicum cur tam insolentem iuncturam *nullum semper* pro „nullum umquam" probemus. *Mari* abl. post *inmune* cf. II. 247, VIII. 704.

542 „Axis uterque" i. q. axis finis uterque, polus septentr. et merid.

543 *Omnia* sc. signa. Signa zodiaci tibi medio caelo, aeque utrinque a polis distant.

546 *Cessere*, προμαντείαν, ut Graeci, dabant. „Nova fata" novos casus. „Numquam audita." Hask. Consuluerant saepius oraculum. „*Monitus*, nova fata" Bentl. Sed monstrante deo nova pericula adibant.

Maximus hortator scrutandi voce deorum
Eventus Labienus erat. „Sors obtulit, inquit,
Et fortuna viae tam magni numinis ora
Consiliumque dei; tanto duce possumus uti
Per Syrtis, bellique datos cognoscere casus.
Nam cui crediderim Superos arcana daturos,
Dicturosque magis quam sancto vera Catoni?
Certe vita tibi semper derecta supernas
Ad leges sequerisque deum. Datur ecce loquendi
Cum Iove libertas; inquire in fata nefandi
Caesaris, et patriae venturos excute mores:
Iure suo populis uti legumque licebit,
An bellum civile perit? Tua pectora sacra
Voce reple; durae saltim virtutis amator,
Quaere: „quid est virtus?" et posce exemplar honesti".
  Ille, deo plenus, tacita quem mente gerebat,
Effudit dignas adytis e pectore voces:
„Quid quaeri, Labiene, iubes? an liber in armis
Occubuisse velim potius, quam regna videre?
An sit vita nihil sed longa, an differat aetas?

549 maxumus (i s. s.) M, hortatur M_1, ortatu E, hortato (r m. 2) A, hortatos B, **550** fors G (sors g), **551** et tam R, **553** belli .sq; *sed deleta* s M, bellis V, belliquo ABEVU, **556** *di*recta M (secreta Stht.), directa ABE, secreta U, **557** superisque A (corr. marg.) B_1, **558** inquire — Caesaris (559) l. Eutyches V. 482.4 K, inquirere fata VgR, facta var. lect. ap Eut., infandi c, **562** replent A (corr. m. 2) B_1E_1, semper MU, saltim ABVGc, **564** ille deo plenus l. Beda vita Willebrordi II. 1.

553 *Bellisque* ex incerto M (fuitne *belli usque*?) et ex V Hos. Idem Oud. *bellis*, dativum putans, quod merito Burm. tolerabilius dicit quam *bellique ratos*, Oudendorpio et Bentl. probatum. *Ratos* tamen aut ineptum aut otiosum est. *Belli casus* nemo sollicitaret sine auctoritate (controversa) codicum.

556 Difficile dictu est utrum facilius *derecta* ex *secreta*, an *secreta* ex *derecta* existere possit. Vetus orthographia est *derectus*, quod saepius confunditur cum *decretus*. „Derigere *ad* normam aliquam" tam usitatum quam „*secernere* ad normam" insolens. Hos. *secreta* ex U. Rasura in M ambigua est; potest latere „*de*recta."

560 „Iure suo" iure naturae, ut sui iuris sint, „iure legum" iure scripto, concesso. *Populis* i. q. multitudini ut saepe. „Legum iura" VIII. 75 corruptum est. „Legitimum ius" saepius Cicero.

561 *Perit* frustra fuit? num iure uti non licebit? cf. opposita v. 560. Interrogatio est duplex directa.

562 Recepi *saltim* (*-tem*) cum Oud. Hos. pro vulg. *semper*. „Tu certe, philosophus, duri saltem servitii hunc fructum cape, ut deus te doceat." *Saltim*, quod ad totum membrum „durae—amator" pertinet, positum est post primum, emphaticum, vocabulum.

563 „Quaere quid *et* virtus" Heins. ut indicativum expelleret, sed non opus; interrogatio est directa, ut paulo ante v. 560, sq. Similia ad I. 126. Cf. etiam Dräger Hist. Synt. I. p. 334 (§ 155), Landgraf ad Reisigs Vorl. III. p. 495 sq. Non alia ratio est indicativi post *viden ut*, *adspice ut*, ubi per alacritatem loquendi oratio post *viden* abrumpitur et exclamatio potius quam interrogatio sequitur.

568 Canterus: „*nec* longa, an d. a." (i. e. ne

An noceat vis nulla bono? fortunaque perdat
Opposita virtute minas? laudandaque velle
Sit satis, et numquam successu crescat honestum?
Scimus, et haec nobis non altius inseret Ammon.
Haeremus cuncti Superis, temploque tacente
Nil agimus nisi sponte dei; nec vocibus ullis
Numen eget, dixitque semel nascentibus auctor
Quidquid scire licet, sterilis nec legit arenas,
Ut caneret paucis, mersitque hoc pulvere verum,
Estque dei sedes, nisi terra et pontus et aether,

569 ulla O vulgo, bonum G, **570** laudanque (da s. s.) M, **571** subcessu C, **572** hoc MAEBUR, haec VG, **574** facimus AUCG, **575** dixique (t s. s.) M, aequor V_1, **576** *scire* M, *ne* elegit Vac, neglegit A (*in marg.* ele) BR, neglexit E, nec legit UM, **578** estne B_1, quaeque U (est s. s.), nisi OC, $\overset{\text{a}}{\text{\&er}}$ M (*om.* et), aer O vulgo.

longa quidem), Heins. „*se* longa an d. a." (Advv. p. 187, id Burm. interpretatur: se extendat, Heins. ipse nihil), Grotius: „*longae* differat aetas" (longae vitae aetas differt, non bonitas), Madvigius Advv. Crit. II. 133: „an sit vita *brevis*, nil, longane, differat, aetas" i. e. „an nihil differat vita brevis sit longane aetas", in quo illud *aetas* otiosum et moleste post reliqua trahitur. Hos. „*si* longa an" cum Oud. Alia apud Burm. minus probabilia sunt. Divinare possumus, quae sententia lateat: nempe num longitudo temporis ad beatam vitam quidquam conferat. Chrysippus (ap Plut. adv. Stoic. p. 1061) ἀγαθὸν ὁ χρόνος οὐκ αὔξει προσγενόμενος, Sen. Epist. X. 2. 27 (78) „scit tempore honesta non crescere", Ep. XV. 1. 2 (93) „longa est vita, quae plena est." Ergo nil differt aetas ad dignitatem (pretium) vitae, cf. Grotius ad h. l. Verum puto „an sit vita nihil *nec* longa, an differat aetas." Est dilemma: „nihil est vita ne longa quidem", contrarium, „differt aetas" (discrimen facit vitae longitudo). „Differt" subinde ad *refert* significatione accedit ('t maakt een verschil). Gaudeo consensu cum Woltjero meo Serta Rom.[2] p. 214: qui „vel longa," eadem sententia, ceterum cf Cic. Fin. III. 45, ubi Cato: „Stoicis non videtur optabilior nec magis expetenda beata vita, si sit longa, quam si brevis." Alia tentamina: Guyet: „sed letum differat aetas." Wordsworth Academy (1888) N 823, p. 101: „nihil, *det* longa a. d. a." Commentator ad 568 refert ad palingenesiam. Denique ad 576 Comm. sic περιφράζει: „nihil esse quod vivimus, nihil interesse, quam diu vivamus."

569 *Nulla* pro *ulla* dedi cum Madv. l. l. Proponuntur placita Stoicorum, in his: „vis nulla nocet bono", de quibus, ut certis et pervagatis, quaerere supervacaneum sit. Quaestiunculis singulis continentur dogmata, de quibus Ammonis sententia frustra quaeratur: fortuna perdit minas, velle satis est, non crescit honestum.

572 Post enumerationem placitorum non aptum est *hoc*, quamvis in optimis lectum. *Hoc* referri tantum potest ad postremum: „successu crescat honestum", quod in praesenti statu rerum non gravius reliquis nec magis opportunum. *Hoc* Burm., Hos.

573 „Templo tacente" i. q. vel t. t., etiamsi taceat. *Sponte* (574) iussu, actu deorum, ut V. 136: „sponte deorum Cirrha tacet" al.

575 „Dixitque" rell. Auctor generis humani (δημιουργός) praefinivit quae scire nobis, hominibus negatum sit. Futura caeca nocte premit deus. Quid sit futurum abscondidit deus. Talis sententia aptior videtur, quam referre sententiam ad mortem tantum (Weise coll. 584) aut „dixitque" explicare cum Hask. „by means of the conscience".

576 „Sterilisne elegit" Oud. Burm. per interrogationem, quo coguntur v. 578 contra libros *estne* (interrogative) scribere. Diserta affirmatio magis convenit cum auctoritate Catonis. Sine causa haeret in significatione Hask., verbum simplex quodvis, si metrum postulat, pro composito ponitur.

577 *Hoc* iung. cum *pulvere*. *Paucis* sic deus aequus esset.

578 *Ubi* Weis. pro *nisi* ex Argentinensi, edd. Petri Aeolici et deterioribus; correctio esse videtur nata e lect.: „*quaeque* dei sedes", quae non patiebatur *nisi*. Teneatur negationem *nec* v. 576 continuari: non est dei sedes nisi universum", hoc enim terra et

Et caelum et virtus. Superos quid quaerimus ultra?
Iuppiter est, quodcumque vides, quocumque moveris.
Sortilegis egeant dubii semperque futuris
Casibus ancipites, me non oracula certum,
Sed mors certa facit. Pavido fortique cadendum est:
Hoc satis est dixisse Iovem". Sic ille profatus
Servataque fide templi discedit ab aris,
Non exploratum populis Ammona relinquens.
Ipse manu sua pila gerit, praecedit anheli
Militis ora pedes, monstrat tolerare vapores,
Non iubet, et nulla vehitur cervice supinus,
Carpentoque sedens. Somni parcissimus ipse est,
Ultimus haustor aquae. Cum tandem fonte reperto
Indiga cogatur latices potare iuventus,
Stat, dum lixa bibat. Si veris magna paratur

580 l. Serv. Buc. III. 60, id. et schol. Bern. ad Georg. IV. 221, quodcunque vides MAG, q q a (*gl. ad* quocunque) [o o supra q q], quocunque vides VU, quodcunque mov. Serv. MCABE, quocunque mov. mUV₁, moveri G, **583** cavendum b (M_1 Stht) E_1, **588** vapores VR (U Stht. errore), *rell.* labores, **590** somni a parc. M, **591** f.onte M, **592** cogatur O (n *ante* g *erasa*) AC, latices mAB_1VUG, spoliare a, portare G, *potare* EM, certare M (Stht) R, **593** stat — bibat l. Fulg. expos. serm. ant. p. 567.

pontus et *aether*. Hoc postremum (M [*et*] *eter*, *et* exciderat ante eter *a* s. s. est 2ae manus) pro *aer* substitui, non tantum propter, saepe sane violatam, utriusque voc. *aer et aether* significationem, sed etiam propter sententiam *πρωτότυπον* huius, nemini facile ignotam: *Ζεύς ἐστιν αἰθήρ, Ζεὺς δὲ γῆ, Ζεὺς δ' οὐρανός*. Est Ennii Trag. 402 Vahl. „hoc sublime candens, quem invocant omnes Iovem." Cf. Cicero de ND. II. 25. Euripidea in hanc sententiam docto cuivis nota, sed quod Lucanus addit „et virtus", hoc ei proprium est et egregiam praebet sententiam: „ubi virtus ibi deus". „Pectus honestum" clarius dixisset, nam *virtus* per se non est indicatio loci.

580 Vulgo „quodcunque moveris" per elegantem, ut videtur, anaphoram sed „quidquid moveris" significat „omnes tui motus", at genera motus non sunt distinguenda. Non in omni motu tuo est deus, etiam in impia actione, sed est quovis loco, *in quem* moveris. Anaphora non compensat absurdam sententiam. Recepi igitur *quocunque*. — Hask. „quodcunque moveris" de animi motu intellegit, contorte, ut mihi videtur, post *vides*. Laudare poterat Verg. A. IX. 183 „an sua cuique deus fit dira cupido?"

584 „*Iovi*" Heins. teste Burm. Supple „satis est *mihi*." V. 583 „sed mors certa" supple: *mihi* i. q. quod mortem non timeo.

588 *Vapores* recepit recte Hos. coll. IV. 305; cf. IX. 843, V. 24 et 100.

592 „*Conatur* potare" Cort. contra grammaticam et paene omnes libros. *Cogatur—potare* Oud. Burm., inepte; quis enim *cogit* sitientem bibere; *cogatur—certare* Hos.; *cogatur pugnare* ego in Mnem. XIX. 40 commendaveram, quia eo diversae lectiones *spoliare, potare, certare* melius explicantur. Nihil plane satisfacit. *Certare* et *pugnare* non satis definita sunt et sic nude posita frigida post *cogatur*. Ex verbis aptis, quod ad sententiam, qualia sunt *turbare, foedare, violare, calcare, raptare* unum tantum est, quod varietatem lectionis satis explicet: POPULARE. Verg. Georg. I. 185 „populatque ingentem farris acervum", XII. 525 „quique suum populatus iter", Sil. It. X. 555 „populatur—ignis | flagrantem molem." Sen. Hipp. 1095 „ora populatur lapis". Sic „tempora" populare et multa alia inde a Naevio et Plauto. Ex *populare* altera syllaba propter similitudinem cum priore omissa natum —S POLARE, inde *spoliare*, ex POLARE *potare portare*. Populare est *diripere, corrumpere*. Alius alium protrudunt, primi sic pelluntur in fontem, Cato interim stat immotus.

Fama bonis et si successu nuda remoto
Inspicitur virtus, quidquid laudamus in ullo
Maiorum, fortuna fuit. Quis Marte secundo,
Quis tantum meruit populorum sanguine nomen?
Hunc ego per Syrtes Libyaeque extrema triumphum
Ducere maluerim, quam ter Capitolia curru
Scandere Pompeii, quam frangere colla Iugurthae.
Ecce parens verus patriae, dignissimus aris,
Roma, tuis, per quem numquam iurare pudebit,
Et quem, si steteris umquam cervice soluta,
Nunc olim factura deum es.
                                        Iam spissior ignis,
Iam plaga, qua nullam Superi mortalibus umbram
A medio fecere die, calcatur et unda
Rarior; inventus mediis fons unus arenis
Largus aquae, sed quem serpentum turba tenebat
Vix capiente loco. Stabant in margine siccae
Aspides, in mediis sitiebant Dipsades undis.
Ductor, ut adspexit perituros fonte relicto,
Adloquitur: „Vana specie conterrite leti,
Ne dubita, miles, tutos haurire liquores:
Noxia serpentum est admixto sanguine pestis:

595 illo aV_1G, **599** *ter* M, per U (ter u), **602** *numquam* U, puderet A (pudebit a) B_1Eg, **604** iam — 606 (et unda) vid. supra ad 499, 604 hunc U, [es] ABUE, iam mundi (MBFE) ad 499, spissioribus E ad 499, **605** iam plaga (MABFE) ad 499, et plaga O vulgo, quam (MBFE) ad 499, MAbE, qua (AB) ad 499 B(MStht)UCR, nullum R, nulla B, umbram U ultra O vulgo, **606** et humor (pro unda) (MABF) ad 499, diem R, **611** asspexit VU, f. onte M, **613** harire M_1, **614** l. Isid. Or. XII. 4.42, admisso a, emisso E (admixto e), ammixto U.

599 *Ter* cf. ad VIII. 814.

604 Sine dubio pronuntiabant „deum's". Constantiae causa scripsi *es*, quoniam ne *est* quidem truncavi. Cf. Muller Metr.[2] p. 364. *Es* non omisit Lucanus ad II. 416, VI. 616, IX. 331. „Nunc olim" pertinet ad asyndeta oppositorum in legum sermone frequentia. Verg. Aen. IV. 627 „nunc olim, quocunque dabunt se tempore vires." *Hunc* Grotius.

605 Vulgo: „*et* plaga *quam* nullam superi mortalibus *ultra*." *Qua* Bentl.: „qua ultra i. e. ulteriorem" sine exemplo, nam infra 766 non simile et ipsum dubium. Iungunt „quam ultra" admodum dure, et „quam nullam" insuave est. Codd. opem ferunt *qua* ex parte offerentes, (de M dubito, qui certe ad 499 *quam* habet); porro *umbram* pro *ultra* U, qui plus semel solus verum servavit, et discrimen admodum exiguum: denique *iam* commendatur anaphora h. l. apta; invenitur *iam* in μ ad 499. De umbra 529, sq. „A medio die" sic dictum est quasi sol, ubi ad meridiem pervenit, aliquanto post in culmine maneat. Convenit cum 529 supra.

609 „Stabant" erectae in cauda ut nonnullis serpentibus adscribitur. *Siccae* i. q. sitientes.

610 *Dipsades sitiebant*, alluditur ad nomen *διψάς*. „In mediis undis" proprie, turbam vix capiente loco (609), dum se movere non poterant.

ɔ: Morsu virus habent, et fatum in dente minatur,
Pocula morte carent". Dixit, dubiumque venenum
Hausit: et in tota Libyae fons unus arena
Ille fuit, de quo primus sibi posceret undam.
Cur Libycus tantis exundet pestibus aer
Fertilis in mortes, aut quid secreta nocenti
Miscuerit natura solo, non cura laborque
Noster scire valet, nisi quod volgata per orbem
Fabula pro vera decepit saecula causa.
Finibus extremis Libyes, ubi fervida tellus
Accipit Oceanum demisso sole calentem,
Squalebant late Phorcynidos arva Medusae,
Non nemorum protecta coma, non mollia sulco,
Sed dominae voltu conspectis aspera saxis.
Hoc primum natura nocens in corpore saevas
Eduxit pestis. Inlisae faucibus angues
Stridula fuderunt vibratis sibila linguis,

615 *versum in marg. m.* 3 *habet* M, *inter versus m.* 2 A, *om.* B, *in marg. m.* 4 E, (*in ras.* G (Usen), in dente UMRG [in] VA, minantur Q, minatur m, **619** ex(s)udet ABEVR, **620** *vers. in marg. scr. m.* 2 M, nocente R, **623** fama V (*expunctum s. s.* causa) Prov., **624** l. Phocas V. 423.4 K, libyae b, **625** dimisso C, cadentem V_1G (cal. g), **626** l. Prisc. 219.21 H., Phorc. ora (sic) Medusae l. Serv. D ad A. V. 240, longe G, **627** suco V, *Post* 627 *sequitur in M* 620 *sed erasus.*

615 *In* omittunt Ashb. et Voss. 1. neglegentia; non probabile est *in* additum esse; non mirum *minantur* esse factum e *minatur* (m) cum *serpentes* subiectum putarent; itaque Bentl. secutus sum cum Hosio. Sic scriptus versus Lucanum non dedecet, sed codicum μ dissensus suspectum facit; a poeta in margine additus videtur et a parte describentium neglectus. Ceterum cum dispendio perspicuitatis particula restrictiva *tantummodo* ad „admixto sanguine" omittitur.

619 *Exundare,* ut *abundare,* plane detrita *undae* notione a Seneca et Lucano novatum videtur. Per compendium scriptum *exudare, exsudare* peperit.

625 *Accipit.* Schrad.: *aspicit,* Oud. *aspicit* vel *excipit.* Sed cf. Sen. Nat. QQ. IV. 2. 28, ubi e Diogene Apolloniate haec refert: „sol humorem ad se rapit: hunc adsiccata tellus ex mari ducit, tum (sic Haase) ex ceteris aquis". Supra ad I. 76.

Ib. Sol mergitur oceano, qui eo incalescit.

627 *Suco* Oud., Hos. — Burm.: „*mollia suco* tres; ita Varro RR. I. 13 [§ 4 fin.] *sucum* terrae dixit; vid. ad Virg. III Georg. 432 [ubi *siccum* (cf. I. 90)]; sed et *mollia sulco* possunt exponi pro: „aratro versa et ita mollita". De confusis *sulcus* et *sucus* Heins. ad Ov. Fast. I. 351. Res vertitur in auctoritate codd., quae magis favet receptae.

628 *Conspectis saxis* secundum nexum significare debet: „saxis e conspectu sive adspectu Medusae natis".

629 „Saevas eduxit pestis" nempe angues pestiferos (672) e comis natos, et humores venenatos (697—699) ex sanguine.

630 Vulgo cum codd. „*illis e* faucibus", sed de faucibus sermo non fuit et E *faucibus* pro „E cervicibus", ni fallit animus, insolens est, cum ex vulgari consuetudine sit i. q. „ex gula" „ex *interiore* parte". Mutatio paene nulla est; innumeris locis E pro AE scriptum, et exempla assimilatae praepositionis passim vel optimo tempore inveniuntur; in archetypo scriptum exstitisse puto: ILLISE, quod erat interpretandum INLISAE, male lectum est ILLIS E. *Inlidere* i. q. impingere, ingerere.

Ipsa flagellabant gaudentis colla Medusae, 633
Femineo cui more comae per terga solutae. 632
Surgunt adversa subrectae fronte colubrae, 634
Vipereumque fluit de pexo crine venenum. 635
Hoc habet infelix, cunctis inpune, Medusa,
Quod spectare licet; nam rictus oraque monstri
Quis timuit? Quem, qui recto se lumine vidit,
Passa Medusa mori est? Rapuit dubitantia fata,
Praevenitque metus: anima periere retenta
Membra, nec emissae riguere sub ossibus umbrae.
Eumenidum crines solos movere furores,
Cerberus Orpheo lenivit sibila cantu,
Amphitryoniades vidit, quam vinceret, Hydram:
Hoc monstrum timuit genitor numenque secundum
Phorcys aquis, Cetoque parens, ipsaeque sorores
Gorgones, hoc potuit caelo pelagoque minari
Torporem insolitum, mundoque obducere terram.

632 femineo aV, qui M, cui s. s. ede (*fort. voluit* deae) Ae, solutae ABEVU, soluti M (solvit Stht) eG, **633** gaudentis MAVUG, gaudentes B, **634** adversae G (— sa g), subrec*tae fronte* M, subrecta G (surrectae g), **635** fugit G, **638** se recto U, **641** riguerunt ossibus AB (s. s. sub)E, **642** heumenidum M, **643** cerberos M, cerberus mBE, len*ivit* M, **644** amphitryonides (a add. m. 2) M, videt M_1, quum O vulgo, vincere M (t corr. add.),
n
vicerit A, vincerit B, **646** phorus E, phorcus VA, *ceto*que M, caetosque G, **647** pel. caeloque G, **648** *in*solitum M, solitum BE_1U, obducere C abducere O vulgo.

632 *Qui* vulgo, sed *cui* praeter M omnes libri, quod manifesto ad Medusam pertinet; cuius nomen cum praecedere debeat, indicium est turbati ordinis, quem restitui posito v. 633 „*ipsa — Medusae*" ante 632 „*femineo cui — solutae.* Asyndeton ante *ipsa*, quod cum emphasi praeponitur („non noxiae erant aliis tantummodo, ipsa s. ipsius Medusae colla flagellabant), aptissimum est. *Soluti* in M fluxit ex accommodatione cum *qui* in eodem codice; reliqui paene omnes *solutae. Femineo* ex a V requiritur. Accipio: „cui femineo more comae (erant) per terga solutae". Haec de tergo; sequitur:

634 „Surgunt adversa", malim inverso ordine: „Adversa surgunt" iung. cum *fronte. De pexo* dedi cum Heins. (vulgo *depexo*) qui (p. 187) v. 632 scribens: *femineae cui — solutae,* addit: posset etiam: „femineaeque e more comae". Olim Mnem. XIX p. 99 versum 631 quoque loco movi hoc ordine proposito 630, 633, 632, 631, sed eo opus non videtur.

636 *Infelix* abominanda. „O infelix, o sceleste" Caecil. 231. Schol.: hoc unum est Medusae, quod inpune spectatur, crinis scilicet".

637 Nam rictus et ora timendi non fuit locus, antequam adspicerent erant confixi, in lapides conversi. Omnis statim motus sublatus, anima ipsa consolidata, et ipsa, cum moveri non posset, sub ossibus obtorpescens. „Nec emissae" (641) i. q. et non emissae. *Umbrae* = animi, ut alibi pro *manes.*

642—646. Alia monstra leniverunt mala quae inferebant. Eumenidum crines tantum (solos) moverunt furores, veluti Oresti, non mortem, Cerberus cantu leniebatur, Hercules adspexit quam vinceret hydram, aliis verbis: Hydra adspexit Herculem, nec tamen eum confixit. Lenis mutatio *quam* pro *cum* (*quum*) tantum ad perspicuitatem confert, ut illa lectio mihi genuina videatur.

648 „Mundoque abducere terram" interpretantur: facere ut nulla terra (materia) restet mundo omniaque in saxum mutentur. *Abducere* quomodo? Manu arrepta? In *obducere* primitiva significatio verbi *ducere* latet magis et propterea iam hoc praeferendum. Iam vero Commentum: MUNDOQ. OBDUCERE TERRAM totum mundum saxeum

E caelo volucres subito cum pondere lapsae,
In scopulis haesere ferae, vicina colentes
Aethiopum totae riguerunt marmore gentes.
Nullum animal visus patiens, ipsique retrorsum
Effusi faciem vitabant Gorgonis angues.
Illa sub Hesperiis stantem Titana columnis
In cautis Atlanta dedit: caeloque timente
Olim Phlegraeos stantes serpente gigantes,
Erexit montes, bellumque inmane deorum
Pallados in medio confecit pectore Gorgon.
  Quo postquam partu Danaes et divite nimbo
Ortum Parrhasiae vexerunt Persea pennae
Arcados auctoris citharae liquidaeque palaestrae,
Et subitus praepes Cyllenida sustulit harpen,
Harpen alterius monstri iam caede rubentem,
ɔ: A Iove dilectae fuso custode iuvencae,

649 et caelo U, **651** marmora G (— re g), visu est G, **652** visum Mag, visus A (s. s. suo) ipsaeq; E_1, retrorsus MU, retrorsum AB, **653** gorgonis MVUG, gorgones (corr. in — nis) AB, **654** speriis M_1, **655** caelo add. m. rec. M, **656** p(h)legr(a)eos M(Stht — o)abE, p(h)legr(a)eo AU (s. s. s) G (— os g), gigantas GR, **657** vertit in hos G (pro: erexit), **658** pallades corr.: — dis A (pallados a), palladis B, e medio UMA, in VG, **659** danis G, dane V, sed ABUV, **660** pinnae e s. s. MAR, pennae E, **661** archades A_1 (— dos a), auctores mB, **662** praepes Ma, praeceps ABE (corr.: — pes) c, *post* 662 *sequitur in V.* 664 *inter lineas*, **663** l. Serv. A. VII. 732, **664** *in marg. ser. m.* 3 M, *om.* VUR, fulvo MABE.

facere potuit." Sed huic explicationi *terram* non aptum. Cortius nimis festinanter suum inventum reiecit: „obducere petram" (*petra* saepius Seneca). Sciens in quo poeta verser, coll. Ov. Trist. III. 10. 38 „lubricaque immotas testa premebat aquas" audeo commendare „obducere *testam.*" *Obducere* sic proprie, ab eo utique non recesserim.

650 Hoc vult: in scopulis, in quos erant conversae, latuere ferae. Sed *haesere* sic parum aptum. Num „in *scopulos*"? Cohibitae et quasi congelatae ferae sunt in scopulos, ut scopuli fierent. Quale est illud, quod Heins. Advv. (sine necessitate tamen) proponit v. 651: „riguere *in marmora* gentes." Vides illud *testam* non valde dedecere eum qui *marmora* toleraverit.

653 *Angues* in universum, non *Gorgonis,* hoc iung. cum *faciem.*

656 *Phlegraeo* Weis., cui hypallagen suam relinquimus. „Stantes serpente", in serpentem desinentes gigantes monstrat potissimum altare Pergamenum. Quid significaretur sensit iam Martini—Laguna.

659—699 Narratio longa de Medusa interemta nimis nos abducit a fatis Catonis, iam natura Africae et Gorgonis (619—658) abruptis. Potissimum molestae nobis sunt hae ambages, quia haec cum pulvisculo tantum et doctrina aliunde arcessita a nobis intelleguntur; lectoribus antiquis, qui non offendebantur miraculis priscis, poetarum arte illustratis, grata haec erant et familiaria, ut tota poesis Romanae historia docet. Secundum certum consilium antea conceptum haec posterior quoque pars addita. Vid ad 629.

660 sqq. Perseus accepit alas et harpen a Mercurio. Tribus nominibus patria Mercurii indicatur: Parrhasiae pennae (a Parrhasio i. e. Mercurio acceptae), Arcados (add. ad *auctoris*), Cyllenida (harpen a Cyllenio, Mercurio acceptam). Versus 661 abesse posset, verss. 663, sq. magis etiam onerant sententiam. Ex his unus tantum 664 (*a Iove* —) auctoritate codicum mutilorum (μ) destituitur. Eo mens lectoris amplius etiam abducitur a re praesenti, nempe ad Argum, custodem Ius. Credibile est ipsius poetae esse, forma certe multo minus falsarium refert quam 661. Notatus v. 664 frustra a Lucano esse potest ut doleretur.

Auxilium volucri Pallas tulit innuba fratri,
Pacta caput monstri: terraeque in fine Libyssae
Persea Phoebeos converti iussit ad ortus,
Gorgonos averso sulcantem regna volatu,
Et clypeum laevae fulvo dedit aere nitentem,
In quo saxificam iussit spectare Medusam.
Quam sopor, aeternam tracturus morte quietem,
Obruit, haud totam. Vigilat pars magna comarum,
Defenduntque caput protenti crinibus hydri,
Pars iacet in medios voltus oculique tenebras.
Ipsa regit trepidam Pallas, dextraque trementem
Perseos aversi Cyllenida derigit harpen,
Lata colubriferi rumpens confinia colli.
Quos habuit voltus hamati volnere ferri
Caesa caput Gorgon! quanto spirasse veneno

665 in nubo (a s. s.) M, **666** capu*t* M, **668** gorgones AU, gorgonis V, eversae a, aversae EG, **669** leva R, **672** had..totā M (u s. s.), tota invigilat R, **673** protenti (m 2 corr. — cti) MAU, protentis vRG, **674** oculisque M, **675** trepidum O vulgo, dextramque A, dextrasque U_1, trementem M_1AUG, tremente VM, **676** dirigit MEVUG, derigit A (di m 2) R, **678** amati (h s. s.) MABc, *iaculati* U, lunati V, limati R, falcati v (m. 2), **679** spirare MaUg, spirasse ABEV.

667 „Converti ad ortus" advectum ex Arcadia Atlantem versus in occasum volantem; convertebatur autem capite solo; quem habitum verbis *averso volatu* significat L.; volatum vult eius, qui caput vertit. Certe Hask. „flying backwards" non intellego. Recta in Medusam volatum tendere debebat, cavens tantummodo ne faciem ei obverteret, dum pervolabat loca a Gorgone infestata (*regna*), si forte ei occurreret. Cf. „Antaei *regna*" IV. 590 et „Protei *regnum*" Prop. I. 11. 3. Ut *sulcum* ducit navis, sic h. l. de volante. Cum averso volatu modo descripto convenit quod, quasi speculum, clipeum nitentem habet Perseus, in quo Medusae imaginem ab ea aversus spectat (*Medusam* pendet a *spectare*) 670. Hoc speculum habet vim soporiferam; obtorpet Medusa. Ad pugnam non pervenitur; dormientis caput amputat P.

671 Heins.: „Quam sopor *alternam* tracturus *nocte* quietem." Infelix coni. ut mihi videtur.

673 *Praetentis crinibus* Oud.; ita hydris crines adscriberentur, quibus defenderent dominam. *Praetenti* Cort., non male, sed *protenti* non est sollicitandum = ad defensionem ante Medusae capillos se extendentes. *Protecti* m, natum ut videtur e *protectis*, quod in Burm. Rottendorfianis est.

674 „Iacet in medios voltus" cf. similis brevitas II. 90: „iacuit per regna Iugurthae."

675, sq. *Trepidum* vulgo, et ante Burm. *tremente*; „dextra tremens" male Perseo, peius etiam Palladi adscribitur; harpe tremit in dextra Persei, pondere, opinor, non metu, qui male heroi adscriberetur. Hanc ob causam *trepidam* correxi iungendum cum *harpen*. Supra VIII. 664 „trepida (i. q. quassa) carina," Verg. Georg. I. 296 „trepidum aenum", Ov. Met. IV. 100 „trepido pede" (trepidante). Pro *dirigit* ex antiqua orthographia dedi cum AR *derigit*. (Vetustam hanc esse orthographiam constat ex confusione vocabulorum *decretus* et *derectus* multisque aliis), nisi vero h. l. latet verbum oblitteratum *derigare* i. e. rigidum facere. Cf. Mnem. XIX. 39, supra ad VI. 88; VI. 475 „Maeander direxit aquas" dirigere i. q. rectum facere; h. l. requiritur propter *trementem*: rigidum facere. Ceterum Heins.: *premente* teste Burm., non in Advv. repetitum; *tremenda* commendat Hos.

677 *Lenta* eleganter Guyet. („taai", non mollia ut Burm.), *secta* Heins. Patet neutrum necessarium esse.

Ora rear! quantumque oculos effundere mortis!
Nec Pallas spectare potest, voltusque gelassent
Perseos aversi, si non Tritonia densos
Sparsisset crines, texissetque ora colubris.
Aliger in caelum sic rapta Gorgone fugit.
Ille quidem pensabat iter, propiusque secabat
Aera, si medias Europae scinderet urbes:
Pallas frugiferas iussit non laedere terras,
Et parci populis. Quis enim non praepete tanto
Aethera respiceret? Zephyro convertitur ales,
Itque super Libyen, quae, nullo consita cultu,
Sideribus Phoeboque vacat: premit orbita solis,
Exuritque solum, nec terra celsior ulla
Nox cadit in caelum, lunaeque meatibus obstat,
Si flexus oblita vagi per recta cucurrit
Signa, nec in Borean aut in Noton effugit umbram.
Illa tamen sterilis tellus, fecundaque nullo

680 reor R, oculis a, **681** gelasset M_1, **683** colobris M_1, **684–687** *desunt in* G, apta sic R, **685** pensaret U, prop.iusque M, secaret U, **686** aera MABRVU, aethera a, scenderit A (m. 2 scin), ascinderet E_1, ascenderit (corr.: ret) B_1, **688** tantum (a: tanto), ABE (corr.: o), **689** aetera s. s. h M, prospiceret G, alas A (margo ales) R_1, **690** atque super a, **691** premit vacat M_1, orbit M_1, **692** polum M_1A (s. s. s), solum aE, soli b, **694** sic flexus AEC, **695** effigit s. s. u M, efficit G, effugit g, umbra MEVUgC, umbram GA, nothum U, **696** sterelis i *s. s post* r M, sterelis A_1, nulli O vulgo.

680 „*Oculis* effundere mortis" Burm., Heins. (*noctis*), quod Medusa unum oculum habuerit. Nam in vulgata oculi (*oculos*) sunt Medusae, Burm. de spectantium oculis intellegit.

685 *Pensabat* memorabile exemplum simplicis pro composito i. q. *conpensasset.* Alia significatio (veluti: meditabatur) a nexu abhorret. *Propius* = itinere magis propinquo. *Secabat,* i. q. secasset, *aera*, aethera h. l. ineptum. *Urbes* fere i. q. populos. Verg. A. I. 578 „si quibus eiectus silvis aut urbibus errat." Via brevior ab Atlante Argos cogitatur per Europam ducens.

688 „Quis enim—respiceret" (689). Additamentum poetae paene iocularc. Compara „stiva innixum aratorem" apud Ov. Metam. VIII, 218 in historia Icari. Patet ad oculum Gorgonis respici.

689 *Zephyro,* recta ab occidente flante, non Africo, qui septentrionem versus (ventus ZW) supra Europam tulisset.

692, sq. „Nec umbra montium (*nox*), qui nulli sunt, altior, ut aliis regionibus, caelum obumbrat." *Cadere* h. l. habet nullam significationem demissi aut profundi, sed proprie de umbra, ut apud nos (de schaduw valt). Si montes occidenti soli obstant, radii solis supra culmina montium coniecti non lucent in humilia (horizontem) sed in celsiorem caeli partem.

693 „Lunaeque", rell. Umbra non efficit eclipsin lunae, si haec prope horizonta collocata est. Ergo secundum L. umbra montium eclipsin lunae efficit (interdum certe). Cursus *rectus* lunae est ubi finitorem sequitur, *vagus* ubi aut in septentriones aut in meridiem movetur; tunc effugit umbram illam montium. Nativae simplicitatis descriptio! Cursus *rectus* lunae dici videtur h. l. cursus eius qui recto angulo circulos siderum zodiaci secat. *Umbra* manifesto corruptum neglecto compendio. *Umbram* effugit luna supra aut infra horizonta.

696 *Tamen* usu, de quo supra ad 438 dixi, ante nomen positum (ut *tamen serus* apud Verg. al.). Intellege: „sterilis tamen concipit", sive „quamvis sterilis".

Ib. *Nullo* dedi cum Burm. et Damstéo, libri *nulli.* „Regio fecunda nulli bono" est quae re

Arva bono virus stillantis tabe Medusae
Concipiunt dirosque fero de sanguine rores,
Quos calor adiuvit, putrique incoxit arenae.
Hic, quae prima caput movit de pulvere tabes,
Aspida somniferam tumida cervice levavit.
Plenior huic sanguis et crassi gutta veneni
Decidit: in nulla plus est serpente coactum.
Ipsa caloris egens gelidum non transit in orbem
Sponte sua Niloque tenus metitur arenas.
Sed quis erit nobis lucri pudor? inde petuntur
Huc Libycae mortes et fecimus aspida mercem.
At non stare suum miseris passura cruorem
Squamiferos ingens Haemorrhois explicat orbes,
Natus et, ambiguae coleret qui Syrtidos arva,

700 post 701 D, **701** levabit M_1, **702** huc MG, **706** quid D, erat U, lucri nobis G, modus mab, **707** hu.c M, effecimus G, merces ma, **708** aut A (at a)E_1B, an non c, **709** squamigeros u, haemorois M_1, emorrois AE, hemorrois VUC, **710** chersidros VU.

vera est fertilis, sed nullius cum utilitate; „fertilis nullo bono" ferax nullius boni. Hoc alterum requiritur. „Nullum bonum" i. q. nullus fructus. Cortius idem, sed archaismum cogitans pro *nulli*. Dativum rati librarii *nulli* correxisse videntur.

700 De fonte, unde L. suam de serpentibus (700—838) doctrinam hauserit, erudite egit R Fritzsche, „Quaestt. Lucaneae", diss. Jenensis, Gothae 1892, qui, quoniam apud Lucanum inveniuntur quae desiderantur apud Nicandrum in Theriacis, non Nicandrum, sed Nicandri imitatorem Aemilium Macrum, quem nemo non novit ex Ovidio Trist. IV. 10. 43, *eumque solum* auctorem Lucano fuisse statuit (p. 10). Consummata esset demonstratio, si constaret Macrum doctrinam Nicandri ampliasse solum eaque addidisse quae nunc, apud Lucanum lecta, in Nicandro frustra quaeruntur. Utut est, liquido demonstravit Fritzsche Macrum Lucano adhibitum esse. Comment. ad 701: „serpentum nomina aut a Macro sumsit de libris Theriacon — nam duos edidit — aut quaesita a Marsis posuit", ubi cf. Usener. Solinus c. 27 pleraque e Lucano sumsit.

Ib. Quae tabes Medusae (697) prima pullulavit fuit aspis soporifera. Guttas Gorgonei sanguinis in arena, quasi ova testudinis, excocta cogitat. Versus hi duo admodum perplexi. Hos. distinxit post *pulvere*, quo difficultas non solvitur. Tabes (pestis) quae prima caput (suum) erexit, levavit (excitavit e pulvere s. creavit) aspida. Usus tam nominis *caput* quam verbi *levare* locum obscurum facit. Quid si scriptum fuit: „Hic quae prima caput | tumida cervice levavit | Aspida somniferam | movit de pulvere tabes". Haec hemistichia a b c d, in vulg. sunt hoc ord. a d c b; posteriora hemistichia locum mutarunt; sic alibi quoque erratum. *Aspis* generis vocabulum de specie usurpavit L. Stat. Silv. III. 2. 119 „anguiferamque domum, blando qua mersa veterno — fugit Cleopatra catenas." Solinus *hypnalen* dicit.

706 *Petuntur*, Heins. teste Burm. *vehuntur*. Superiore v. *metitur* quasi viam cf. VI. 32 et infra 735.

708 „Non stare — cruorem" i. q. effectura ut manaret cruor morsu vulneratis. Convenit hoc cum nomine et cum Nicandro, 301.

710 Syrtis ambigua, cf. „in dubio pelagi terraeque" supra 304. Chersydros amphibius est. Sic Nicander 366, sqq. Chersydron a Chelydro non diversum putat Fritzsche p. 17, χέρσυδρος esse epitheton i. e. ἀμφίβιος, proprium serpentis nomen esse solum Chelydros, coll. Nic. Ther. 359 et Eutecnio in paraphr. Nic., cum quo sentire videtur O. Schneider ap. Ael. N. A. II. 7. 10 (Hercher) χέλυδρον pro χέρσυδρον substituens. Sed tamen magnopere dubito coll. Ther. 359 et 411 sqq. Eut. ad 372. Quidquid est, Lucanus duo genera serpentum distinguit.

Chersydros tractique via fumante Chelydri:
Et semper recto lapsurus limite Cenchris:
Pluribus ille notis variatam tinguitur alvom,
Quam parvis pictus maculis Thebanus Ophites.
Concolor exustis atque indiscretus arenis
Ammodytes spinaque vagi torquente Cerastae
Et Scytale sparsis etiam nunc sola pruinis
Exuvias positura suas, et torrida Dipsas,
Et gravis in geminum surgens caput Amphisbaena,
Et Natrix violator aquae, Iaculique volucres,

711 tractique — chelydri l. Isidorus XII. 4.24, tractoque a, vias B_1, chelidri VUR, **712** l. Isidorus XII. 4.26, **713** notum B_1, tinguitur OR, stinguitur v, alvo G, rell.: alvum, **714** quam — ammodytes (716) l. Isidorus XII. 4.30, et CGl. V. 227 tinctus O, *t*inctus M (Stht. punctus), cunctis D, pictus F Hosii Isid., teufanus G1Isidori, ofeltes G, obites CGl. **715** v. 715, 717, 718 *toti*, 716, 719 *partim desunt in* G, exutis *plerique ap. Is.*, CGl. **716** post 721 U (corr. u), admoditus G1 ap. Is., amoditus CGl, hammodites A, corastes A, **717** et — suas (718) l. Isidorus XII. 4.19, scitale Is., scitalis G1 Is., scythale M, scythales AV, scithalis U, no*n* in sola (in del.) M, pruinas M_1, praessis G1 Is., **718** exubias M_1, horrida A (s. s. t)BE, **719** l. Isidorus XII. 4.20, surgens vG, *in quo pars versus abscisa, supersunt* urg; vergens rell., amphisibaena MABEU, **720** et — aquae l. Isidorus XII. 4.26; Prisc. 165.17 H, Phocas V. 421.16 K, iac. vol. l. Is. 19, volantes G1 ap. Is.

711 *Fumante* odorem spargente. *Tracti* reflex. pass.

712 Cenchris, Nic. 463 *κεγχρίνης — περίστικτος φολίδεσσι* (713). *'Ιθεῖαν δ' ὤκιστος ἐπιδρομάδην στίβον ἕρπει*, 481.

713 Sine idonea causa Grot. *pingitur*. *Stinguitur* pro distinguitur v, sine exemplo ut videtur, quamquam analogia non repugnaret: est Gr. *στίζειν*, rad. STIG in *stimulus* et *instigo*, sed receptum est *stinguo* pro *exstinguo*.

714 *Punctus* Stht in M agnovit, cui leve admodum praesidium est in D *cunctis*, quare *pictus* ex F (Hos.) et Isid. cum Hosio recepi. — „Thebanus (cogita de Thebis Aegyptiacis) ophites" marmor est serpentum similibus maculis variegatum, Plin. XXXVI. 55.

715 „Exustis arenis" zeugma rectionis, ut aiunt, *concolor* dativum, *indiscretus* ablativum regit.

716 *Ammodytes* graeco *ἀμμοδύτης* est appellativum, epitheton cerastae, cui *ἀμάθοισιν ἰαύειν* Nicander v. 262 adscribit; ex *ἀμμοδύτης κεράστης* Lucanus (aut Macer) duos angues fecit. Cui opponi non potest Solinus Momms[1]. 137.22. qui totus a Luc. pendet. Reliqui ignorant, cf. Fritzsche p. 20.

717 Scytale, *σκυτάλη*, non crassior quam baculus, Nic. 394. Solinus l. l. p. 137.13 Mo.[1]: „hiemales exuvias prima ponit". „Sparsis etiam nunc pruinis" i. q. vere primo dum torrida in regione pruinae vere cessant. *Positura* de more et consuetudine. Iunge: positura exuvias, sparsis etiam nunc pruinis (temporis definitio) sola (ex omnibus serpentibus).

718 „*Torrida* dipsas" secundum etymon, cf. supra 610, quamquam dipsas non ipsa sitit, sed morsu sitientes facit, Nic. 337, sqq.

719 *Amphisbaena* solus V (in G pars deest versus, v. supra), reliqui *amphisibaena*, quod memorabile, quoniam spondiaci ap. Luc. rarissimi. „In geminum" i. q. in alterum utrum. Solinus 27 p. 137.3 M: „amphisbaena consurgit in caput geminum", nempe tollit alterum utrum caput utroque serpens. *Vergere* aptum est de eis quae deorsum aut in obliquum moventur; ferendum esset nisi altera lectio offerretur. Solinus, qui ubique Lucanum sequitur, cum v, in quo *surgens* est ab ant. m. et G verum monstrant.

720 „*Natrix* violator aquae" secundum etymon, quod neglegit rursus, masculinum faciens. Natrix aliis est appellativum. — *Iaculus* gr. *ἀκοντίας* cf. inf. 822, Aelianus VIII. 13 amphibium dicit, volantem nemo praeter L. dixit cf. Plin. N. H. VIII. 85.

Et contentus iter cauda sulcare Pareas,
Oraque distendens avidus fumantia Prester,
Ossaque dissolvens cum corpore tabificus Seps,
Sibilaque effundens cunctas terrentia pestis
Ante venena nocens late sibi submovet omne
Volgus et in vacua regnat Basiliscus arena.
Vos quoque, qui cunctis innoxia numina terris
Serpitis, aurato nitidi fulgore dracones,
Pestiferos ardens facit Africa, ducitis altum
Aera cum pennis. Armentaque tota secuti
Rumpitis ingentis amplexi verbere tauros,
Nec tutus spatio est elephas; datis omnia leto,
Nec vobis opus est ad noxia fata veneno.
Has inter pestis duro Cato milite siccum
Emetitur iter, tot tristia fata suorum
Insolitasque videns parvo cum volnere mortes.

721 l. Isidorus XII. 4.27, quo contentus Is., contemptus plerique ap. Is., pareas (corr.: paryas) M, p(h)ari(y)as VUC, paroeas A(paryas a)BE, **722** l. Isidorus XII. 4.16, fumantia Is. M_1 (1 m corr: spum.) VU, spirantia a, spumantia ABEuG, **723** l. Isidorus XII. 4.31, **724** prestes B, **725** ante venena nocens l. Serv. Aen VII. 763, **729** loetiferos MeU, pestiferos ABEVG, ductis M_1, affricae UD (var. lect.), **730** pennis M, pinnis A (e a), **732** nec — elephas l. Prisc. II. 226.15 H, Post 755 U, elephans MAR, **734** sq. l. Mythogr. 129 p. 132 (Manitius), dato D, **736** videt gV, pulvere u.

721 *Παρεῖαι* innoxii serpentes in templo Aesculapii nutriebantur, Arist. Plut. 693, et sic ophiologi. Contra cf. 727. *Contentus* ea parte terrae, quam tangit cauda, qua in movendo nititur, cf. Isid. s. l.

722 *Prester*, cf. infra 791. A *πρῆσαι* (notum *ἄνεμος πρῆσεν μέσον ἱστίον*), quare cum Hos. *fumantia* dedi.

723 *Seps tabificus ἀπὸ τοῦ σαπῆναι*, Solin. p. 137.21 M. „ictus sepium putredo sequitur". Hask. laudat Aesch. Choeph. 994, qui locus his illustratur. Monosyllabon postremo loco Luc. rarissime; ut alii Hor. „ridiculus mus".

724 „Cunctas pestes" i. q. omnia reliqua animalia venefica, Plin. VIII. 78 „sibilo omnis fugat serpentes", itaque solus regnat quasi *βασιλεύς*, *basiliscus* (726) „Ante venena nocens". Maximus serpens, inquit Ael. H. A. II. 5, *ἤδη ἐκ τῆς τοῦ φυσήματος προσβολῆς (τοῦ βασιλίσκου) αὖός ἐστιν.*

729 *Ducitis*, trahitis bibitis. Africa ita pestifera est, ut veneno suo faciat venenatos volantes dracones. *Cum* est coniunctio. Penetrantur alae noxio aere. *Verbere*, caudae.

730 „Armentaque" hinc commemorat, quae non veneno, sed constricta necant. Laxe illud *que* haec annectit superioribus, quare plenius interpunxi i. q. etiam armenta secuti, rell. Cur post haec addiderit versum 733 „nec vobis opus est — veneno", plane superfluum, ipse poeta sciat. Cf. III. 569 „miscenturque manus" i. e. etiam misceantur. His locis vulgo *que* pro *sed* positum dicitur; verum est *que* subinde non arcte iungere aliquid (nos: *ook*, post interpunctionem), tum post negationem non esse semper necessariam adversativam particulam veluti: „non erat comis erga afflictos et dura saepe verba fundebat"; in tali sententia pendet a dicente utra velit particula uti: *sed* an — *que* (*et*). Interim cf. I. 134, 633, III. 569, VI. 756, VII. 680, IX. 147, 497, X. 346.

734 Heins. *ducto* pro *duro* vel *limite* pro *milite* Advv. p. 188. *Duro* i. q. obdurato, quae laus erat Catonis quoque cf. 295, sq. Nota sunt „classe, copiis, exercitu proficisci". Sic h. l. „emetiri iter milite duro".

Signiferum iuvenem Tyrrheni sanguinis Aulum
Torta caput retro Dipsas calcata momordit.
Vix dolor aut sensus dentis fuit ipsaque leti
Frons caret invidia, nec quidquam plaga minatur.
Ecce subit virus tacitum, carpitque medullas
Ignis edax, calidaque incendit viscera tabe.
Ebibit humorem circum vitalia fusum
Pestis et in sicco linguam torrere palato
Coepit; defessos iret qui sudor in artus
Non fuit, atque oculos lacrimarum vena refugit.
Non decus imperii, non maesti iura Catonis
Ardentem tenuere virum, ne spargere signa
Auderet, totisque furens exquireret arvis,
Quas poscebat aquas sitiens in corde venenum.
Ille vel in Tanain missus Rhodanumque Padumque
Arderet Nilumque bibens per rura vagantem.
Accessit morti Libye, fatique minorem

737 signiferum — dentis fuit (739) l. Isid. Or. XII. 4.32, **738** alcata Isid., **739** an sensus Isid., haud s. R, dentibus Isid., **741** sub*it vi*rus M, rapuitque D, **743** umorem M_1, circa aE, **744** lingua A (— m a)B, terrere M_1A, torquere a, **748** quin M (in ras. Stht), ne ARG, nec B, **749** audere*t* M, arvis G, agris MBAEVU, (causis M Stht — ret ausis?), **751** tanaim A, rodanum M, **752** videns A (a bibens) B_1, **753** lybies AB (M Stht)E, libyae U, fatique MaVUGR, fatisque ABE_1g, minoris V.

737 *Aunum* malebat Heins. coll. Verg. A. XI, 700 et 717 (Sil. VI. 109, ubi hodie *Arni*).

749 *Leti* iung. cum *invidia; frons* est species: ipsa (vulneris) species non movet (*caret*) invidiam, iram, odium. Invidia latiore sensu dicitur de offensione non tantum in rem superiorem vel meliorem nobis negatam, sed omnino de affectione animi in re quae displicet. Bentl. laudat Vegetium I. 16 „sine invidia sanguinis hostis lapidis ictu intereat". Seneca, Hippol. 281 „non habet latam data plaga (amoris) frontem". Phaedrus: „decipit frons prima multos".

741 *Tacitum* sine lamentis primum subibat. Postea venenum se spargit per viscera 741—743, tum in palatum, denique sequitur furor 750; absorbet venenum omnes humores. Eodem ordine Nicander 338, sqq. consectaria morsus enumerat.

746 „Lacrimarum vena" i. q. canaliculus ex quo lacrimae prodeunt. *Refugit* i. q. defecit.

747 „*Iura* Catonis" interdictum, quo tanquam dux iure suo utebatur.

748 „Spargere signa", signifer erat: aquilam proicere ut frangeretur, aut longurio separaretur. Sic dividendi in varias partes significatio aliquatenus servatur, quae plane oblitterata est VIII. 100 „spargo mari comitem".

749 „Arvis" recepi ex G et M (si recte tradit Stht.: *ausis* ex *aruis*) et aliquot editt. (cf. Oud.), quia *arvi* vocabulum mire librarii Lucani ignorant III. 65 B: *urbis*; I 224, 301, IX 341, VII. 846 invenitur confusum cum *agris*, *armis*, *undis*, *oris*.

750 Venenum ipsum dicitur *sitiens* nempe humorem corporis.

752 Miraculum auget ultra fidem Heins. pro more suo *areret* pro *arderet* substituens. Proiectus (*missus*) aliquis in fluvium quomode *arere* potest?

753 „*Pestis*que minorem" Cortio digna emendatio. Verum est *fati*. — Infamiam quasi partiuntur terra et serpens: „minorem (quam Libye) famam fati habet dipsas". Recte quoque *fatis* se haberet: „accessit morti Libye, partim causa mortis est; itaque fatis, quae infert, minorem infamiam habet dipsas (*fatis* abl.)". Sed librariis pronum erat *fatis* corrigere.

Famam Dipsas habet, terris adiuta perustis.
Scrutatur venas penitus squalentis arenae,
Nunc redit ad Syrtes et fluctus accipit ore,
Aequoreusque placet, sed non et sufficit, humor.
Nec sentit fatique genus moremque veneni,
Sed putat esse sitim, ferroque aperire tumentis
Sustinuit venas atque os inplere cruore.
Iussit signa rapi propere Cato: discere nulli
Permissum est, hoc posse sitim. Sed tristior illa
Mors erat ante oculos, miserique in crure Sabelli
Seps stetit exiguus, quem flexo dente tenacem
Avolsitque manu, piloque adfixit arenis;
Parva modo serpens, sed quantum nulla, cruentae
Tantum mortis habet. Nam plagae proxima circum
Fugit rupta cutis, pallentiaque ossa retexit.
Iamque sinu laxo nudum et sine corpore volnus;

754 adluta M (advita Stht), adiuta m, *Post* 755 *sequitur in* U *v.* 732 (*i. e. post* 24 *versus*, U *habet paginas* 32 *versuum*), **757** et non G, umor M, **758** mortemque O vulgo, **759** esse...sitim M, tumentis M, **760** veneno MU, cruore mAB, **762** illa VUA; illo vuMG(aulo glossa in UG), **763** merserat A (mors a) B, **765** l. Prisc. 527.4 H, harenis MAUG, harenae VgR Prisc., **766** quam V, qua MAUG, qua non ulla vulgo, **768** rupia AMVG, ruta B, rapta U (*secus* Stht), ora MGD, **769** e nudum [est] M, est nud. U.

758 „Mors veneni" summo iure displicet Burmanno; nam si hoc dabitur recte dictum pro „mors a veneno illata", etiam pro „mors Hectoris" dicere licebit „mors Achillis", nempe ab Achille perpetrata caedes. Verum puto „*moremque* veneni" i. e. rationem, qua venenum agit. — „Tumentes venas" scil. suas.

761 „Scire nec ulli" pro „discere nulli" Heins. Advv. p. 188, quo parum lucramur. Schol. Voss. et Comm. *sitim* dicunt serpentem „ut dipsas Graece, Latine sitis appellatur." Non sine causa hoc inventum est: in Auli enim calamitate, quia a dipsade effecta erat, apparebat non quid sitis, sed quid anguis posset. Nisi vero ignorabant morsum milites, quod vix credibile. Nec tamen probo scholiastas. Schrad. „*non esse* sitim" probabiliter. Anguis militibus erat terribilior quam sitis; tacendum erat de veneno.

762 Paene soloecum est quod recepit Hosius: „sed tristior illo" cum alia mors praecedat. Unde natum sit facile apparet coll. glossa in UG supra scripta *aulo*; volebat interpres: quam quae *Aulo* (737) acciderat", hoc interpretamentum habitum est pro var. lect. *illo*. „Illa sors" Heins. Advv. p. 189.

766 Vulgo „sed qua non ulla" rell. — Bentl. parum sibi constans cum in nota ad 605 totidem verbis dixisset „vs. 766 *tantum* id est plus", interim ad sanam mentem rediit et corrigit: — serpens, *sed enim* non ulla cruentae, etc. „*Qua tantum*, inquit, vix diceret, qui prima sermonis elementa didicit." Proficiscens a lectione Vossiani sec. „*sed quam̄ n̄ ulla*" scripsi „sed quantum nulla, cruentae | tantum mortis habet". Compendia bis nocuerunt: *quam̄* = *quantum*, *n̄* = *non*. — Initio versus Heins. Advv. p. 189 „parva *modi*".

769 *Sinus* de vulnere dictum ex Sereno Sammonico c. 63 illustrat Burm.; de hiatu terrae Sen. Oed. 595 „terra et immenso sinu laxata patuit."

Ib. „Nudum — volnus". *Corpus* videtur significare pulpam. Volnus erat „sinu laxo nudum" latere circumcirca retracto (cf. *tegmine* 771), nam fugerat rupta cutis, et (eo) sine pulpa, sine „substantia", pus s. humor omnia tenebat. Apul. Metam. VIII. 22 sub

Membra natant sanie, surae fluxere, sine ullo
Tegmine poples erat, femorum quoque musculus omnis
Liquitur, et nigra distillant inguina tabe.
Dissiluit stringens uterum membrana, fluuntque
Viscera, nec quantum toto de corpore debet,
Effluit in terras, saevom sed membra venenum
Decoquit; in minimum mox contrahit omnia virus;
Vincula nervorum, laterum textura cavomque
Pectus et abstrusum fibris vitalibus omne,
Quidquid homo est, aperit pestis, natura profana
Morte patet, manant humeri fortesque lacerti,
Colla caputque fluunt. Calido non ocius austro
Nix resoluta cadit nec solem cera sequetur.
Parva loquor corpus sanie stillasse perustum,
Hoc et flamma potest, sed quis rogus abstulit ossa?
Haec quoque discedunt, putrisque secuta medullas

770 *natant* re sanie (re *deletum*) M *s. s.* rap *supra* nat, *sed rursus del.* m, rapit san. a, sanies a, **772** linquitur M_1, distillant (i e *corr.*) MEU, destillant AVGR, **774** quantum MaE, quantus AVUR, corpore posset g, **775** terra MB, **776** dequoquit MR, mors MEVGC, mox A, mor U (s add. m. 2), **777** iunctura V, **778** fi..bris M, abtrusum U, **779** *p*estis M, naturae B_1, **780** umeri A, **781** otius Ma, **782** resulota U_1, **783** perustum est BE_1, **784** quis rogus M (qui r. Stht) c. rell., **785** discedent a.

fin. „ipsis visceribus adesis homine consumpto membra nudarunt, ut ossa tantum viduata pulpis nitore nimio candentia", rell. Pro *est*, sede quam tenet in U et M suspecto, dedi *et*, sic tanquam explicatio vocabuli *nudum, sine corpore* definitam habet significationem.

772 *Distillare* etiam VIII. 777 M.

776 *Mox*, quo tendunt AU, Cort. coni.; Heitl. l.l. p. 199 et Burm. *mors* defendunt, at „in minimum virus", quo modo tunc iungendum est, permire dicitur pro *pondus*. Quanto rectius: „virus contrahit omnia in minimum." Distinctionem post *virus* tollit Cort. iungens *vincula* (777), quo non opus est (vid. ad i. v.).

777 Dedi locum ut est in codd., ut quisque de difficultatibus ipse iudicare possit. Ut *textura, pectus* et *quidquid homo est,* in nominativo posita, suum habeant verbum Burm. verba *aperit pestis natura* (sic coni. pro *nat.*) secludit, ut *pate'* 780 cum superioribus iungatur, similiter Heitland; *iunctura* pro *textura* Heins. Advv. p. 283, sed *textura* i. q. cratis costarum; utique ad summam rei hoc nil confert. Rob. Ellis Philol. 1893 p. 726 parenthesi includit verba: „quidquid — pestis natura". Porro post *pestis* interp. Oud., Weis., Hos.; orationem usque ad *patet* (*patent*) continuant Burm., Ellis. — Has turbas componi posse reor et aptiorem restitui sententiam, si pro APERIT: PATEFIT legamus prope iisdem litteris, ut scribatur: Vincula nervorum, laterum textura cavomque | pectus et abstrusum vibris vitalibus omne, | quidquid homo est patefit; pestis natura profana | morte patet". „Pestis natura profana" ἅπαντα μιαίνουσα, cui nil sanctum et absconditum est. — Ceterum pro *textura contexta* Weis. ex Arg., praesenti sed non sufficienti remedio. *Et* ante *laterum* me iudice vitiosum ubi duo subiecta, quorum utrumque suum genet. habet, iuxta ponuntur, cum Guyeto omisi. „Omne quidquid homo est" i. e. ad hominem pertinet; homo est praedicatum.

783 *Sanie stillasse* i. q. sanie fluxisse, in saniem abisse; oppositum *ossa* docet de carne agi, cf. 769.

785 *Discedunt* finduntur, solvuntur inter se, cf. III. 655.

Nulla manere sinunt rapidi vestigia fati.
Cinyphias inter pestes tibi palma nocendi est:
Eripiunt omnes animam, tu sola cadaver.
  Ecce subit facies leto diversa fluenti.
Nasidium Marsi cultorem torridus agri
Percussit Prester. Illi rubor igneus ora
Succendit, tenditque cutem, pereunte figura,
Miscens cuncta tumor, toto iam corpore maior
Humanumque egressa modum super omnia membra
Efflatur sanies: late pollente veneno,
Ipse latet penitus congesto corpore Marsus,
Nec lorica tenet distenti pectoris auctum.
Spumeus accenso non sic exultat aeno
Undarum cumulus, nec tantos carbasa coro
Curvavere sinus. Tumidos iam non capit artus

787 cynyfias MG, cyniphias AVU, cinifias C, **792** tendatque — fig. l. Lact. Theb. X 161, tendatque Lact., **793** miscet G, **795** tollente MABEu, pollente VUaR, **796** morsus (s. s. mersus, sed deletum) M, ..xus (nexus Stht) m, mersus O vulgo, **797** corporis O vulgo, **798** exultat A (exund. a) E exulta B, exundat rell., aeno MAVU, **799** tantum a, choro MA *ut semper*, **800** curva. vere M, non iam ABE, iam non M, rell.

786 „Nulla vestigia rapidi *fati*" fere: veneni. Proprie: vestigia celeritatis, qua fatum oppressit hominem.

789 „Leto fluenti" i. e. quo homines fluunt, in humorem solvuntur, quod efficit seps; idem vocabulum *fluere* 773, 781; Heins. ne vocabulum nimis repetatur pro *fluente*: *lueque*. Cum „morbus fluens" cf. „morbus hydrops" Hor. C. II. 2.13.

791 *Prester* Solinus p. 137.20 Mo[1]: „prester quem percussit distenditur enormique corpulentia necatur extuberatus". Cf. Ael. H. A. XVII. 4, supra 722. — Pereunte figura cf. 796.

793 „*Noto* iam corpore maior" Heins. At proxima illustrant *toto*: „humanumque egressa modum". „*Tumor* maior toto (vel *noto*) corpore" aeque mire dictum ac *sanies*; malui tamen distinguere post *tumor* (vulgo „toto — maior" iungitur cum *tumor*) quoniam sic „toto corpore" loci indicium esse potest i. q. per totum corpus. „Maior humanumque egressa modum sanies" ἐκ παραλλήλου, maior quam pro homine.

795 „*Efflatur* sanies" secundum nomen serpentis, vid. ad 722, et usum verbi *inflare* proprium (*inflare corpus, membra*) pro effunditur, prosilit. Eo refertur comparatio cum exultante aqua v. 798.

796 „Congerie" („aggerie" si licet hoc uti) corporis, carnis. Hask.: „he himself disappears completely swallowed up in his swollen body". Ohe, iam satis est! Nolui *mersus* tenere; *Marsus* Cort., cf. 790. Ipsum illud *inflatur* maluit Heins. teste Burm., quod non convenit cum „*super* omnia membra".

797 *Pectoris* Bentl., vere monens *pectus* et *corpus* passim confundi; repetitum voc. *corpus* h. l. sine dubio offendit, duobus versibus contiguis, in eadem sede versus positum.

798 *Exultat* ex μ^b dedi (vulgo *exundat*) cum Heins. p. 189, sqq., ubi nubem similium locorum affert, velut Verg. A VII. 464, cum Bentleio, Heitlando l. l.

800 Schol. Voss.: „truncus, corpus sine vultu; bene ergo licet integro sit capite, truncus dicitur quia non apparent signa faciei". „Confuso pondere" obscurum. „Iam non" iam eo perventum est ut —. „Globus et truncus non capit artus" artus ambitum trunci excedunt; cf. de Archemoro morso a serpente Stat. Theb. V. 596 „non ora loco non pectora restant, | rapta cutis". Bentl. „iam non *habet*".

Informis globus, et confuso pondere truncus.
Intactum volucrum rostris, epulasque daturum
Haud inpune feris non ausi tradere busto,
Nondum stante modo crescens fugere cadaver.
Sed maiora parant Libycae spectacula pestes.
Inpressit dentes Haemorrhois aspera Tullo
Magnanimo iuveni, miratorique Catonis.
Utque solet pariter totis se effundere signis
Corycii pressura croci, sic omnia membra
Emisere simul rutilatum sanguine virus.
Sanguis erant lacrimae, quaecumque foramina novit
Humor, ab his largus manat cruor, ora redundant,
Et patulae nares, sudor rubet, omnia plenis
Membra fluunt venis: totum est pro volnere corpus.
At tibi, Laeve miser, fixus praecordia pressit
Niliaca serpente cruor nulloque dolore,
Testatus morsus, subita caligine mortem
Accipis, et socias Somno descendis ad umbras.

801 pondera D, **802** in tantum R_1, **803** feres a, trade[re]..busto (ex: robusto, ut vid.) M, **804** (fulgere M Stht), liquere ma, **805** *om.* M, *in marg. m.* 2, *post* 807 G (*corr.* g), **806**, **807** l. Prisc. II. 215.27 H, haem.: *eadem var. quae* 709, **808** [se] MABEV, se fundere G (effundere g), **809** corei M_1, corricii G, **810** emiscere A, emisere B, rutilatum [pro] AB_1ERG, rutilum pro rell. vulgo, **811** foramina movit U_1, **814** vulnera B_1, **815** velemiter R, leue O, **817** testatur VG (— us g), testator u, **818** accipit G (— pis g), socias AVuG stigias MUg, discendis A.

803 Interpungendum post *busto*; „nondum stante modo" cum *crescens* iungenda: cum nondum extremum ambitum (modo = mensura) attigisset.

808 *Totis* i. q. omnibus ut saepius, cum subiecta aliquot explent certum numerum aut mensuram. „Nec te (Somne) totas infundere pennas | luminibus conpello meis — extremo me tange cacumine virgae" Stat. Silv. V. 4. 16. *Signis,* statuis, perforatis tanquam fistulis sparsum esse in theatris vel amphitheatris humorem croci, pressura erumpentis, hinc discimus. *Pressura* pro re expressa h. l. dici probabile, etsi exemplum Guyeti Plin. XVIII. 317 „pressura una (vini) culleos XX explere debet" non dubio maius. Heins. Advv. p. 190: *sparsa aura croci.* aeque superfluum ac *sinis* (a *sinum*) et *tignis* pro *signis.*

810 Vulgo „rutilum pro sanguine" i. e. non sanguinem, sed virus; id pugnat cum sqq. quibus diserte *sanguis* et *cruor* emissa dicuntur. Verbum probum sed ignoratum peperit corruptelam. Vera lectio est in μ^b.

811—814 Daventriensis: „haec sunt carmina, quae Lucanus moriens recitabat."

814 „Fluunt *rivis*" Schrader, Bentl., sine iusta causa. „Omnia humectantur e plenis venis, arteriis". „*Rubra* fluunt" Bentl. propter repetitionem, vid. 809.

815 *Leve* vulgo, *Laeve* Hos.

818 Vulgo *Stygias. Socias* solus recepit Burm., quod nunc confirmat Ashb. Somno descendisse Laevus ad Stygias umbras non potest dici, non torpore afficitur, sed *subita* caligine mersus descendit ad inferos. *Socias* si legitur iungendum est cum Somno. Mors est affinis somno, poetae iam ab Hesiodo; umbrae sociae somno i. q. letales. Schol. Voss. 2 ap. Oud. et Web.: „socias] ut Virgilius (A. VI. 278) „et consanguineus Leti Sopor."" In eo cod. *socias* est var. lect.

Non tam veloci corrumpunt pocula leto,
Stipite quae diro virgas mentita Sabaeas,
Toxica fatilegi carpunt matura Saitae.
  Ecce procul saevus sterilis se robore trunci
Torsit et inmisit (Iaculum vocat Africa) serpens,
Perque caput Pauli transactaque tempora fugit.
Nil ibi virus agit: rapuit cum volnere fatum.
Deprensum est, quae funda rotat quam lenta volarent,
Quam segnis Scythicae strideret arundinis aer.
  Quid prodest miseri Basiliscus cuspide Murri
Transactus? Velox currit per tela venenum,
Invaditque manum, quam protinus ille retecto
Ense ferit, totoque simul dimittit ab armo,

820 quam in A, diro (corr. duro) A, **821** fatiferi G, capiunt D, matura sa*gi*te (corr: fagitae) M, sabei AVU, saito (sic) u, sai(y)tae aC, satei E, **822** procul serpens a, seve V (us v), saevo G (*ex* saevus *corr*:) c, sterili c, sterilis A, [se] e robore MU, [se] de AbV, **823** emisit MU, inmisit BAVG, *volat* M, vagat B, vo . at U, africa saevus a, **824** traiectaque D, transitaque aE (ex transictaque? ut m teste Stht.), timpora U, **828** basilicus B, miseris E_1, myrri R, **831** semel A (simul m 2), demittit M, dimittit ABEUG, demisit var. lect. ap. Hos. (A), demittit V.

820, sqq. *Sabaeas*, Schol. Voss.: „Arabi„cas —. Sunt et aliae virgae, quae tureia „(l. *tureae*) dicuntur, sed hae venenum „gignunt quod toxicum dicitur; dicit ergo „toxicum non tam cito misceri poculis [et „mortem inferre] sicut hoc venenum." Tus interpolatum bibentibus letale fuisse dicitur. Quo consilio *fatilegi* (*fatiferi* G.) eo usi sint. *Matura* ad mortem efficacia. *Carpunt* in universum i. q. colligunt, nam de fructu sermo non est, cf. „stipite duro". Grotius pro *Sabaeas: Sabinas* auctore Scaligero. Sed Verg. Georg. I 57: „India mittit ebur, molles sua tura *Sabaei*." — Temere Wois. verba „virgas — fatilegi" eicit, utpote in loco aut poetae culpa aut ignorantia nostra obscuro. Bentl. de succo sagittis illito *toxica* intellegit, nullam rationem habens verborum „virgas *mentita* sabaeas".

821 Pro postremo vocabulo *Sagitae* M (cum gl. „agite s̄ ppli"). *Saytae* vel *Saitae* aC, *Saitoe* u, *Satei* BE, quae commode ad *Saitae* omnia referuntur. Deteriores ap. Cort. et Web. *Setoi*, *Sagaei*, *Sataei*, et simm., *Sapaei* Heins., *Suevi* Bentl. quibus nihil opus est, cum codd. boni convergant in *Saitae* (Sais cives). *Sabaei* in reliquis natum ex priore versu exeunte in *Sabaeas*. De turis arboribus sive fruticetis studio Ptolemaeorum satis et ture Alexandrino interpolato narrat Plin. N. H. XII. 57 et 59. Schol. Bern. „Sais urbs est Aegypti templo Minervae insignis, ubi toxicum nascitur, quod simile est Arabiae odoribus", fortasse ex hoc ipso loco haec hausta. Hask.: *Sabini*, coll. Culicis v. 403 „herbaque turis opes priscis imitata Sabinis". Sed „herba Sabina" quae dicitur (cf. loci Ovid. ap. Burm. ad Fast. I. 363) odorem, non toxicum fert, idque aroma tenuibus olim pro ture in re divina erat.

823 Solinus p. 137. 7 Mo[1]. „iaculi arbores subeunt, e quibus vi maxima turbinati penetrant animal quodcunque obvium fortuna fecerit." *Ἀκοντίας* Ael. Hist. An. VI. 18.

826 *Deprensum est* i. q. perspectum est, sive: ibi licuit videre. *Deprehendere* sine notione subiti aut inexpectati, cf. supra 531 et ad IV. 172. Sed Stat. I. 510 „deprendi, fortuna, deos".

827 *Segnis* iung. cum *strideret*: quam tarde stridor moveretur motae per aerem sagittae, quam tarda sit, etsi impetu aer resonat. *Scythicae* i. q. Parthicae. Arundinis *esse* aer dicitur per quem volat, strepitus volantis; cf. Verg. Ge. II. 123.

828 Speciose Bentl.: „misero — Murro" non necesse.

831 *Simul* cum plaga: ferit et simul separat. *Semel* A, convenit fere cum Hask. (at a blow), sed ieiunum est dicere non secundo ictu opus fuisse. *Truncoque* scite Hos., nam quod *totus* ad intendendam om-

Exemplarque sui spectans miserabile leti
Stat tutus, pereunte manu. Quis fata putaret
Scorpion aut vires maturae mortis habere?
Ille minax nodis et recto verbere saevus
Teste tulit caelo victi decus Orionis.
Quis calcare tuas metuat, Salpuga, latebras?
Et tibi dant Stygiae ius in sua fila sorores.
  Sic nec clara dies nec nox dabat atra quietem
Suspectam miseris quaqua tellure iacebant.
Nam neque congestae struxere cubilia frondes,
Nec culmis crevere tori, sed corpora fatis
Expositi volvuntur humo, calidoque vapore
Adliciunt gelidas nocturno frigore pestes
Innocuosque diu rictus torpente veneno
Inter membra fovent. Nec, quae mensura viarum

832 expectans VRG, leto M_1, **833** sta.tutus M (t s. s. m. 2), stat cuius B, stat tutus AVUG, stat vivus E, putavit V, **835** saevos M_1 (saevo M_1 Stht), **836** Lact. ad Stat. Theb. III. 27, ed. Kohlmann progr. 1887: „Orion cum vellet cum Diana concumbere, ut Horatius dicit, eius sagittis occisus est, ut Lucanus immisso scorpione periit". Eadem Serv. A. I. 535 p. 165.2, sq. Thilo, Myth. Vat. I. 32, II. 129, **837** metuit gR, salpuyga MaER, salpuga AB, salpugna u, salpiga VU, sarpinga C, **838** at tibi G, **839** sed G (sic g), **840** suspecta [est] MAV, suspectam miseris UGR, **844** adiciunt G, **845** torrente B_1.

nino orationem usurpari potest (Gron. et Hand. Diatr. Statiana I p. 115 H) est hoc ex eis praeceptis, quae cum grano salis, ut aiunt, adhibenda sint. — *Demittit* male; non est hoc separat; si licet ridendo dicere verum, demittere est: laten zakken. Belle hariolatur Burm. ostendens dextram Murri, qua transegisset scorpionem, non potuisse ab eodem Murro amputari.

832 *Sui leti* nempe quod mansisset eum, nisi manum abscidisset; nunc „pereunte manu" est (*stat*) „tutus." Burm.: „*vivus* pereunte manu" Ovidio dignum. *Stat* facit ad alacritatem descriptionis (pro *est*).

835 „Recto verbere" i. q. erecta cauda (ut calcantes feriat). „Minax nodis" caudae, Nicander 782 (σφόνδυλοι ἐννεάδεσμοι).

836 „Integrae tentator Orion Dianae", ut notum est, scorpionis ictu interiit. Scorpio in sidera relatus. Hoc vult verbis „teste caelo".

837 Plin. H. N. XXIX. 92: „est et formicarum genus venenatum, non fere in Italia; solipugas Cicero appellat, salpugas Baetica". Id. VIII. 104 „a solipugis gente sublata". Genus serpentis modici Comm. p. 311. 17 Us. Prior significatio h. l. apta.

837, sq. Haec sic cum superioribus cohaerent: Scorpio pestifer, et tamen in sidera relatus; formica exigua Salpuga, et ei tamen Parcae ius suum commiserunt. Haec pro epilogo posita: omnino magna est et a diis concessa venenatorum potentia.

838 *At* cum solus G offerat, correctio esse videtur. *Et* = et tamen.

840 *Est* post *suspecta* om. O, *suspectam* aliquot, in quibus U, quod recepi; tum pro vulg. *in qua* posui *quaqua* (cf. VIII. 7); constructio „suspecta (tellure) in qua tellure iacebant" est abnormis, obscura et, opinor, sine exemplo. *Suspectam* patet ad *quietem* pertinere. Ex *quaqua* omissa una syllaba locus per *in* suppletus.

842 *Crevere* i. q. substrati sunt, cf. ad III. 582 et Propertianum illud: „fictilibus crevere deis haec aurea templa" (V. 1. 5).

843 *Vapore* corporum suorum. *Pestes* sunt angues. *Membra* decumbentium.

845 *Diu* iung. cum *innocuos*.

846 sq. *Modus* viarum est ratio conficiendi viam.

Quisve modus, norant caelo duce. Saepe querentes,
„Reddite, di, clamant, miseris, quae fugimus, arma:
Reddite Thessaliam. Patimur cur segnia fata,
In gladios iurata manus? Pro Caesare pugnant
Dipsades, et peragunt civilia bella cerastae.
Ire libet, qua zona rubens atque axis inustus
Solis equis, iuvat aetheriis adscribere causis,
Quod peream, caeloque mori. Nil, Africa, de te,
Nec de te, Natura, queror: tot monstra ferentem,
Gentibus ablatum, dederas serpentibus orbem,
Inpatiensque solum Cereris cultore negato
Damnasti atque homines voluisti deesse venenis.
In loca serpentum nos venimus, accipe poenas,
Tu, quisquis Superum, commercia nostra perosus,
Hinc torrente plaga, dubiis hinc Syrtibus orbem
Abrumpens, medio posuisti limite mortes.
Per secreta tui bellum civile recessus

847 norunt AMBG, norant VU, **848** declamant A (di a)Bu, clama . . nt M, **849** thesaliam (*ut saepe*) M, bello G (fata g), **850** diuturna G (iurata g), **852** inustis B_1, **853** aethereis M_1, **854** nihil G, **857** fugato V_1, **858** veneno A (nis a) B_1E, **860** super.ū M, (*fuit* supernum?), commertia MA, **861** plagae M, (h)oram ABEuGR, **862** abrumpes a.

847 *Caelo duce* indicio stellarum abscondita fere ursa et aliis, cf. 493, supra. *Norant* maiorem probabilitatem, *norunt* maiorem auctoritatem habet; *norant* i. q. perspexerant.

848 *Arva* ex uno cod. affertur a Burm. Aptior est vulgata; malunt bellum quam hunc errorem.

849 „*Segnia fata*" mortem quae ignavos decet, ut docent opposita „in gladios iurata manus", quae se bello auctoravit.

852 Heins.: „*statque* axis *adustus*" vel *quaqua a. a.* Sed „*inustus*" sine negativa vi recte se habet, cf. ad VIII. 787. *Axis* num currus, an regio? Prius paulo probabilius propter *equos*. Verbum tamen *inurere* satis insolens est et ab usu Lucani alienum.

853 „Aetheriis causis" intemperiae, caloribus; his malebant interire. Quid vero huc facit *adscribere*? Hoc est eius, qui de causa ambigit, nec h. l. valde aptum. „*Caeloque mori*" defendi potest ex usu Lucani, splendida verba aucupantis, sed quis unquam „caelo mori" pro „per caelum" s. „culpa caeli mori" dixerit scire aveo. — Omnino haec quae 852—854 afferuntur pugnant cum praegressis. „Redde Thessaliam" dixerant; quidquid futurum est solve me ex hac regione, ex Africa. Nunc contra ire lubet in zonam torridam, in Africam penetrare. Guyetus variationem hos versus putat superiorum, ut videre licet, non sine causa. Quod tamen nulla varietas est in Mss. et iis omissis v. 855 scribendum esset „*nil* de te" pro „*nec* de te", non eiciendos putavi ut spurios, sed notandos ut suspectos.

859 „*Nos* venimus", non queror de natura (855), nos sponte nostra rell.

860 „Commercia nostra" i. e. hominum inter plagam orientalem et occidentem. Syrtes *dubiae* sunt, quod littus perpetuo movetur. Prop. II. 9. 33 „Non sic incerto mutantur flamine Syrtes." Stat. Theb I. 687 „incerto littore Syrtes". Supra 304, „in dubio pelagi terraeque".

861 Color orationis conferatur cum Hor. C. I. 3. 21—23 „nequiquam deus abscidit | prudens Oceano dissociabili | terras, si tamen inpiae | non tangenda rates transiliunt vada". Versus hi, ut tota fere haec militum conquestio, optime Lucani ingenium referunt.

Vadit et arcani miles tibi conscius orbis
Claustra ferit mundi. Forsan maiora supersunt
Ingressis: coeunt ignes stridentibus undis,
Et premitur natura poli; sed longius ista
Nulla iacet tellus, quam fama cognita nobis
Tristia regna Iubae. Quaeremus forsitan istas
Serpentum terras, habet hoc solacia caelum:
Vivit adhuc aliquid. Patriae non arva requiro,
Europamque alios soles Asiamque videntem:
Qua te parte poli, qua te tellure reliqui,
Africa? Cyrenis etiam nunc bruma rigebat,
Exiguane via legem convertimus anni?
Imus in adversos axes, evolvimur orbe,
Terga damus ferienda noto. Nunc forsitan ipsa est

865 petit MabEUvg, ferit AVRGM$_1$, supersint M$_1$, **866** ingressus M$_1$, **867** polus et v, *sed* M, et U, istinc (e corr.)MABEuD, ista a M$_1$GUV, **868** quae v, qua R, **870** habet s. s. m. 2 M, haec habet g, *caelum* M, loctum U, solatia A, **874** etiamnum A(— nunc a) BU, etiam iam c, regebat aG$_1$, **875** exiguamne AB$_1$, **876** et volvimur M, evolvimus E$_1$, **877** ipso est A (ipsa a) B$_1$.

864 „*Sibi* conscius" Heins. teste Burm., qui recepit. *Tibi* si legitur, sententia: probe sciens se in tuum regnum penetrare, tua secreta violare. Quod praeferendum videtur. *Ferit* quasi ad fores terrae ignotae, *pulsat* claustra, ut admittatur. *Ferit* pro tum vulgato *petit* iam commendavit Heins. Advv. p. 182, recepit Hos. cf. VIII. 7.

866 *Ingressis* passive, cuius aliud exemplum non succurrit, sed *aggressus* passive dici constat. Difficiliora superesse dicuntur quam quae adhuc intrata erant.

867 „Et premitur natura poli". „Natura poli deprimitur et cum ipsa terra coniungitur; hoc quantum ad humanum visum dicit". Schol. Lips. ap. Weber. Vult: et polus deprimitur natura sua. Nativae simplicitatis haec, ac paene puerilis, sed a loquentis persona non aliena. Cohaerent haec sic: fortasse maiora exantlanda sunt (365), *sol* (ignis) et *aqua* conspirabunt et *caelum* ruet, *terra* vero ultra hanc (*ista*) nulla est — nisi forte Iubae regna! In quibus *iste* positum est pro *hic*, ut VI. 245, VII. 90. *Istinc* obscurum locum reddit, quasi duae regiones adsint, ex quibus longius altera absit a loco designato.

870 Schol. Voss.: „tanta patiemur, ut dari nobis istas [*has*] terras incipiamus optare, quas nunc serpentibus horremus impletas". *Quaerere* h. l. est (frustra) desiderare.

871—874 Oratio in duo membra (*patriae — qua te* —) dissoluta hoc vult: ne patriam quidem requiro, utinam in Africa sim, quae ipsa nunc me fugit. Contentum se fore dicit paucis et non nimia velle, non Europam, non Asiam, *sed Africam*. Ante duo postrema vocabula notata, cogitans *Africam* quoque nunc sibi negatam, oppositum membrum in interrogationem convertit. — Pro „Asiamque videntem" Trampe in dissert. sent. controv.: „*alia astra* videntem". — Verba cohaerent „Europamque (= nec E.) Asiamque, videntem alios soles."

874, sq. Milites, ut fit in perturbatione ex parva fortuita caeli mutatione absurda etiam metuunt. „Legem convertimus anni", tempestatem anni quae secundum legem naturae esse debebat, amisimus (hiemem).

876 „In adversos axes" i. q. in oppositam partem mundi. Eatenus haec sententia non erat absurda, quod intellegebant se semper procedendo ad antichthona esse venturos, et efficitur hinc terram rotundam esse eos credidisse; sed quod metuebant ne ad oppositam, inferiorem partem orbis pervenientes, exciderent, ex ignorantia debet condonari; nimirum non noverant legem Newtoni de attractione levioris corporis per gravius facta.

877 „Terga — ferienda noto". Opinantur

Sub pedibus iam Roma meis. Solacia fati
Haec petimus: veniant hostes, Caesarque sequatur,
Qua fugimus." Sic dura suos patientia questus
Exonerat, cogit tantos tolerare labores
Summa ducis virtus, qui nuda fusus arena
Excubat atque omni Fortunam provocat hora.
Omnibus unus adest fatis, quocumque vocatus
Advolat atque ingens meritum maiusque salute
Contulit, in letum vires, puduitque gementem
Illo teste mori. Quod ius habuisset in ipsum
Ulla lues? Casus alieno in pectore vincit
Spectatorque docet magnos nil posse dolores.
  Vix miseris serum tanto lassata periclo
Auxilium fortuna dedit. Gens unica terras
Incolit a saevo serpentum innoxia morsu,
Marmaridae Psylli; par lingua potentibus herbis,

878 fatis M, fati mEAb, fata B, **880** diva G, suo (s. s. s) M, quaestu M, **881** exonerant B, superare lab. G, **882** fussus M_1, **884** adest miseris GR, quaecunque M (o m 2) VU, vocatur a, vocatis ru, **885** saluti M (e s. s), **886** lentum AB, **887** ore (mori corr m. 2) M, **889** uiuvet A (vovet? docet a), vovet B, *nil* U, labores R, **890** tantis — periclis G.

notum tantummodo a terrestri polo meridionali prodire, quem si superaverint, notus sibi a tergo futurus sit. — Sic forent, ut cum Herodoto loquar, ὑπερνότιοι (Herod. IV. 36), ut qui semper septentrionem versus progressi polum septentrionalem superarant ab eo ὑπερβόρεοι dicuntur; felicitas hyperboreorum sic intellegitur!

878 Roma sub pedibus, ἀντίχθων mihi.

880 „Suo questu" propter Mont. probat Hos. (Praef. p. XV 9). Non intellego: „Patientia suo questu exonerat" num: se, absolute? non videtur Latinum; an *milites* suo (militum) questu? Hoc quoque est sine exemplo, nec quae Nipperdeius ad Tac. A. III. 54 affert satis distincte dicta sunt. Nempe *exonerare* est *effundere* (*aliquid*), sic exx. quae ipse Hos. affert, aut *levare* quasi onere (*aliquem*). Bini casus addi non videntur, fortasse casu. Sed primo loco *s* in M supra scripta (quod om. Stht.), porro omnes codd. aptam lectionem praebent. „Exonerat patientia suos questus" i. q. milites qua erant patientia effundebant questus suos (non obsequium recusabant).

886 „In letum vires" epexegesis ad „maius salute", pulcra sententia. *Ad letum* patet sine attributo cum *vires* iungi, contra vulgarem usum pedestrem.

888 „Alieno pectore". Obscuravit locum Weis. sic scribens pro vulg. „al. *in* pect." Oppugnat casus, qui pectora militum invaserunt; obsistit iis in animo militum, quos ad fortitudinem adhortatur. Illustratur sequenti versu. Num milites inculti sic ad Stoicam patientiam conversi sint, dubium, at Cato Stoicus certe sibi constitit. *Spectator* non est: „eo quod spectat" sed „dum spectat". „Omnibus unus aderat fatis" v. 884.

890 *Lassata* Schol. Ber. et Voss. ap. Web.: „dicit fortunam lassatam esse inferendo discrimine." Vere sed mire lassatur aliquis rebus adversis, quas non ipse experitur, alienis. Fatigatur aliquis iis quae agit, non periculis quae videt.

891 *Gens unica.* De Psyllis cf. Herod. IV. 173, Plin. H. N. VII. 14, Plut. Cat. Ut. 56. Populum paucis exceptis interiisse a Nasamonibus victum refert Plinius; Catonem ab initio secum duxisse τοὺς καλουμένους Ψύλλους refert Plutarchus. cf. 911.

893 *Lingua*, incantatio.

Ipse cruor tutus nullumque admittere virus
Vel cantu cessante potens. Natura locorum
Iussit, ut inmunes mixti serpentibus essent.
[Profuit in mediis sedem posuisse venenis.]
Pax illis cum morte data est. Fiducia tanta est
Sanguinis: in terras parvus cum decidit infans,
Ne qua sit externae Veneris mixtura timentes
Letifica, dubios explorant aspide partus.
Utque Iovis volucer, calido cum protulit ovo
Inplumis natos, solis convertit ad ortus,
Qui potuere pati radios et lumine recto
Sustinuere diem, caeli servantur in usus,
Qui Phoebo cessere iacent, sic pignora gentis
Psyllus habet: si quis tactos non horruit anguis,
Si quis donatis lusit serpentibus infans.
Nec solum gens illa sua contenta salute:
Excubat hospitibus, contraque nocentia monstra

895 potest MABEvu, potes a, potens VU, **896** mixti ABEV, mixtis MD, *mixtis* U, *serpentibus essent* U, **897** possuisse A, **899** sanguine U_1, terram ABE, **902** l. Mythogr. Vat. III. 3.4 p. 162 B, valido BE, **903** inplunis U, convertet U, in Gb, **906** gentes A (gentis a), **907** psyllos M_1, tactus a, anguis a, **908** donatus G.

894 *Cruor* pro sanguine cf. supra v. 614, sq.

895 *Potens* „potens non facere aliquid", absurdum non est = satis potens ut *arceat*.

896 „Mixtis serpentibus" minus recte quam *mixti serp.*, ut mihi quidem videtur; „mixtis serpentibus" aptius cum causa significatur („*quod* admixti sunt"); „mixti serpent.", cum significatur: „*cum* s., *quamvis* inter serpentes".

897 „Profuit", roll. Versus interpolatus ad explicandum proximum, iuxta quem mire languet. A Plinio XI. 80 traditum est *profuisse* Psyllis serpentes; tamen non cadit in hunc locum. Nisi vero *profuit* et *non obfuit* sine discrimine usurpantur!

898 Frigide Gronovius Obss. IV. 5, p. 575 (Platner): „*illa* cum morte".

899, sq. Plin. VII. 14 „mos Psyllorum libe-„ros genitos protinus obiciendi saevissimis „earum (serpentum) eoque [genere] pudici-„tiam coniugum experiendi, non profugien-„tibus adulterino sanguine natos serpen-„tibus".

902 *Calido* pertinet ad fabulam de nimio aquilae calore, cf. Serv. Aen. I. 394, quae conveniunt cum Comm. ad VI. 6; cf. Thilo ad Serv. l. l.

903 Bentl. sine necessitate „inplumes *nidos* solis convertit ad ortus" usus loco Claudiani Praef. ad tert. Cons. Honorii VI. 5 „protinus inplumis convertit ad aethera nidos", quae e Lucano expressa esse minime constat.

905 „Caeli in usus" ut adsuescant caelo, aetheri, i. e. volatui. „Insolitos docuere nisus" Hor. C. 4. 8.

906 „Iacent" negleguntur, figura etiam in prosa familiari. — „Pignora gentis" documentum γνησιότητος putat, si roll.

908 *Donatus* G non esset repudiandum, si maiorem fidem haberet; nam *serpentibus* διὰ μέσου esset.

910 *Excubat*. Addito *tunc* (911) haec suae narrationi accommodavit L. Nam facile est credere duas narrationes permixtas esse; ex altera pervenerant ad populum Psyllorum, ex altera ab initio Psylli Romanum exercitum erant secuti, cf. ad 891. Dicit *nunc*, ab eo loco, secutos esse. *Excubare* i. q. pernoctare a lare familiari. Trillerus intellegere videtur de Psyllis concumben.

Psyllus adest populis, qui tunc Romana secutus
Signa, simul iussit statui tentoria ductor,
Primum, quas valli spatium conprendit arenas
Expurgat cantu verbisque fugantibus anguis.
Ultima castrorum medicatus circuit ignis.
Hic ebulum stridit, peregrinaque galbana sudant
Et tamarix non laeta comas, Eoaque costos,
Et panacea potens, et Thessala centaurea,
Peucedanonque sonans flammis, Erycinaque thapsos
Et larices, fumoque gravem serpentibus urunt
Abrotonum et longe nascentis cornua cervi.
Sic nox tuta viris. At si quis peste diurna
Fata trahit, tunc sunt magicae miracula gentis.
[Psyllorumque ingens et rapti pugna veneni.]

911 tum AB_1U, secutis U_1, **912** statuit M_1, **913** qua MBE, quas A (qua a), *versum in marg. habet* G *a* 1. *m*, **914** expurgant aU, expugnant BE, **915** medicatos A (s. s. u) B_1, medicatis a E_1, circumit M, ignes A (i m 2 supra e) B_1, **916** stridit MU, stridet rell., perigrinaque A, chalbana (l add. m. 2) A, **917** comis MEG (comas g), **918** planacea AB, panaceta V, centaureos GR, **919** peucedanumque M (e corr.) V pauce s. s. g, sonans ABEUD sonat, M (— nant Stht), sonant V, tapsos M, taxos V, torsus C, **921** habrotonum M, habrotonon gR, longa B_1, **923** tunc AC, **924** *in marg. m.* 2 M (pti. *in* rapti *abscisum*), om. in U.

tibus cum vulnerata coll. Ael. H. A. XVI, 18, parum attendens ad praepositionem. Plin. XXXV. 118 (Hask.) de pictoribus circumerrantibus: „omnium eorum ars urbibus excubabat."

916 *Stridit* recepit Hos., vid. ad VI. 179. *Sudant* de ipso liquore, qui distillat (nam galbanum genus resinae est) ut Verg. Georg. II. 118: „balsama sudantia."

917 „Non laeta" „arbor in pauperum tumulis consecratur, ut cupressus in divitum" Schol. Voss.

918 Panacea Verg. A. XII. 419. — *Centaurea — ae* semel (centauria herba) ex Apuleio (Platonico), Herbario laudatur, non optimo auctore; h. l. pluralis est ut in eadem versus sede Verg. Georg. IV 270 „grave olentia centaurea".

919 *Sonat* vulgo, *sonant* Hos.; concinnius et magis e more Lucani esse videtur ut haec 917 „et tamarix" usque ad „larices" (920) ex uno verbo *sudant* suspensa sint; hoc aptum est omnibus per zeugma, et omnino in tali enumeratione L. non valde sollicitus est ut omnia subiecta ad amussim cum verbo quadrent. *Sonans* Heins. quoque Advv. p. 192.

Ib. *Thapsos,* Thapsiam, quae vulgo dicitur, poeta h. l. cognominem facit peninsulae Siculae („Erycina") quae *Thapsos* dicebatur. Verg. A. III. 689 et alii.

921 *Habrotonum* male aspiratur; vocabulum nihil cum ἁβρὸς commune habet, sed ducendum ab ἄβροτος (= ἄμβροτος) fere i. q. *ambrosia*. Ad „*urunt*" subi. est: *Psylli*

Ib. „Longe nascentis". Locus multum vexatus, quia viri docti opportune (?) meminerant cervos in Africa non nasci, unde contentio, num L. hoc significaverit. Quod omnino negandum; ad incantationes rara et procul arcessita remedia adhiberi omnino dicuntur, ita cornu aliquod cervi rarioris adhibetur. *Longe* = procul. Incredibile est quanta harioletur Burm. *Pascentis* non feliciter Heins. p. 192.

923 *Tunc* sunt i. q. tum demum. Supra 913 *primum* dixerat respiciens ad nocturna remedia faciliora, nunc persequitur maxima miracula. Heins. tentamina sua puerilia (ap. Burm.) in Advv. non recepit.

924 Versus nullam probabilem explicationem admittit et deest in M et U; sed in

Nam primum tacita designat membra saliva,
Quae cohibet virus, retinetque in volnere pestem.
Plurima tunc volvit spumanti carmina lingua
Murmure continuo, nec dat suspiria cursus
Volneris aut minimum patiuntur fata tacere.
Saepe quidem pestis nigris inserta medullis
Excantata fugit, sed si quod tardius audit
Virus et elicitum iussumque exire repugnat,
Tunc superincumbens pallentia volnera lambit,
Ore venena trahens et siccat dentibus artus,
Extractamque tenens gelido de corpore mortem
Expuit, et cuius morsus superaverit anguis,
Iam promptum Psyllo vel gustu nosse veneni.

925 tacta vulgo O, **927** tunc AU, plura U_1, volvunt Rg, spirante V, spirantem linguam R, **928** dant BEU, sanguis *pro* cursus c, **929** nimium MV (minimum mv)Ug, haud ABED, **930** pestes M_1, **932** l. Prisc. 498.1 H, **933** tum ABE, pallantia U_1, **934** exsiccat ABC, arcus U, **935** petens M (potens Stht), potens GR, petens aU, tenens ABEVmu r, trahens v, **936** expulit A (expuit a), B_1E_1, morsu B_1, superaverat U, angues a, **937** psyllis vulg. O, gustum M, gestu U_1, venenum aE.

hoc scholion: „pugna veneni] ut contra se venenum pugnent et carmen" ad versum controversum pertinet. Sed „*rapti* veneni" alienum est; nihildum veneni devorasse dicuntur, ne iam plura commemorem nec repetam quae in Mnem. XVIII p. 17 sq. scripsi. In U non est adscriptum „psyllorumque vires *iuniia*" (Hosium melius docere poterant, quae a. 1890 iam retuli), sed *p. v. inimicae*".

925 *Tacta* manifesto corruptum, *tactu salivae* Heins. (ap. Burm.), *tractu salivae* Burm. parum probabilia; „tacita saliva" Madv. Advv. II. p. 183, cui nihil opponi potest quam quod rideri possit a lectore non serio, sed in seria re hoc non metuit poeta, opponitur 927 „plurima tunc volvit", rell.

928, sq. „Progressus vulneris non patitur incantatorem respirare, nec fata celeriter ingruentia vel minimum tacere". Ante Grot. legebatur *dant* magna cum ambiguitate, et *haud*, negatione repetita contra morem paene constantem Lucani; negatio *nec* se extendit etiam ad alterum membrum: „nec *aut* cursus suspiria dat, *aut* fata patiuntur tacere". *Nimium* pro *minimum* vulgari errore; *haud nimium* = non valde h. l. ineptum. *Cursus* tacite sine exemplis praetereunt editores, Oud. usum notissimum dicit. Novi de vulnere *serpere*, non *currere*: apud Celsum „cursus pituitae (effluentis), materiae (ex ulcere)", non hoc. Donec exemplum allatum fuerit, credam Lucanum dedisse *cura*. Id in Oud. codice adscriptum erat, sed alieno loco ad 924.

935 *Exsuctamque trahens* Heins. teste Burm.; non „trahit *exuctam*", sed exugit trahens. Recte: „extractamque tenens (ore) — mortem | expuit." *Potens* in M extare dicit Stht, de quo magnopere dubito, nam diserte enotavi *petens* subpositis punctis supra scripto *tenens*, ut reliqui μ; *potens* (sic Hos.) sine infinitivo ieiunum est additamentum.

936 sq. Vulgo *Psyllis*, tunc iungendum: „cuius anguis morsus superaverit, promptum Psyllis nosse". In quo *superaverit* obscure sine obi. ponitur, et parum apte quoniam per momentum temporis superior fit (*superat*); de flamma, de morbo, qui aliquamdiu minatur, sic superare, non de re subitaria e. g. ictu, morsu, simm. Et ne superavit quidem morsus, quoniam a Psyllo iam procuratus est. Ante *superaverit* subi. est Psyllus, is *morsum* vel *morsus* (incertum quid Luc. scripserit) superat. Scribendum igitur erat *Psyllo*, quod probari Bentleio laetus animadverti. Post *expuit* non est graviter distinguendum; expuit et iam (postquam expuit) rell.

Hoc igitur tandem levior Romana iuventus
Auxilio late squalentibus errat in arvis.
Bis positis Phoebe flammis, bis luce recepta
Vidit arenivagum surgens fugiensque Catonem.
Iamque illic magis atque magis durescere pulvis
Coepit, et in terram Libye spissata redire.
Iamque procul rarae nemorum se tollere frondes,
Surgere congesto non culta mapalia culmo.
Quanta dedit miseris melioris gaudia terrae
Cum primum saevos contra videre leones!
Proxima Leptis erat, cuius statione quietam
Exegere hiemem, nimbis flammisque carentem.

Caesar ut Emathia satiatus clade recessit
Cetera curarum proiecit pondera, soli
Intentus genero, cuius vestigia frustra
Terris sparsa legens fama duce tendit in undas,
Threiciasque legit fauces et amore notatum
Aequor et Heroas lacrimoso littore turris,

938 melior G, *post* 938 *sequ. in B* 944 *del.* b, **940** phoebae MD, **941** vadit D, **942** illic MAU, illis V_1, illi GR, **943** lybiae A, libies U, reverti a, **944** nemorum rarae AEG, visa est (*ante nem.*) Rg, se attollere AG, [se] adtollere B, **945** l. Serv. ad Verg. Georg. III. 340, nunc visa M, n.c visa U, tunc visa V, **948** quieta MV, quietam EAUG, **949** exigere M_1, flammis nimbisque V, **950** cede B_1m (rec. m), **954** theiciasque (r s. s.) M, **955** cyceteas *vel* creteas M, heoas V_1, etheroas E, turres *del. m.* 2 *et s. s.* terras M_1, terras a.

938 „Tandem *melior*" Weis. sine auctoritate Mss.

940 Duobus mensibus per deserta duxit exercitum „χειμῶνος," Plut. Cat. 56: Cyrenis cum profecti sunt, etiam tunc bruma rigebat, supra 875. Pompeius mortuus erat d. 28 m. Sept. (medio fere M. Augusto veri temp.) cf. ad VIII. 467. Strabo, XVII. p. 836, 30 dies Catonis expeditioni dat.

943 Libye: arena Libyae magis fiebat concreta et terrae solidae cedebat.

945 *Nunc* (*tunc*) *visa* interpolatum, eodem modo, quo in R versu superiori pro *rarae* legitur *visa est*; non ferebant interpolatores infinitivum historicum; nulla umbra dubitationis hic esse debet; vix operae est monere *visa* accedente infinitivo non significare *conspecta*. *Non culta* i. e. inculta, quod posuisset si metrum ferret, cf. de *non* sic usurpato ad III. 25, V. 58, VII. 815. Frustra Schrad. *non multa*. *Surgere* egregie; primum e longinquo fastigia conspiciuntur, quae sensim se tollunt et totum tugurium trahunt. Sic *se tollere* superiore versu. *Rarae* sine dubio pellucidae (non: paucae). „Congesto culmo" palea sine arte composita.

946 Ante *dedit* subiectum est totum membrum: „cum — leones", poterat pro *cum: quod* dicere, sed *cum* alacrius.

949 Non hiemem totam egerunt Lepti, sed hiemem, quam longa; agebant quidquid supererat; diu merito otio fruebantur. Non pugnat hoc cum temporum ratione, media hieme Cyrenis erant profecti et per duos menses iter fecerant, cf. ad 960.

954 Bosporus Thracius et Hellespontus confundi videntur, certe Thraces cognomen vulgo adhaeret soli Bosporo.

955 *Herous* ab *Hero*, ut *Argous* ab *Argo* apud Val. Flaccum, *Latous* a *Lato* (Hor.

Qua pelago nomen Nepheleïas abstulit Helle.
Non Asiam brevioris aquae disterminat usquam
Fluctus ab Europa, quamvis Byzantion arto
Pontus et ostriferam dirimat Chalcedona cursu,
Euxinumque ferens parvo ruat ore Propontis.
Sigeasque petit famae mirator arenas,
Et Simoentis aquas, et Graio nobile busto
Rhoetion, et multum debentis vatibus umbras.
Circuit exustae nomen memorabile Troiae,
Magnaque Phoebei quaerit vestigia muri.
Iam silvae steriles et putres robore trunci
Assaraci pressere domos et templa deorum
Iam lassa radice tenent, ac tota teguntur
Pergama dumetis, etiam periere ruinae.

956 pelagi M_1UG, nephelias U, helles MVUG (— le g), **959** ostiferam U_1, obstriferam D, austriferam ABE, diremat M_1, calchedona MAVUG, **960** ferans A_1, **961** miratus A_1, **962** nomine busto E_1, nomine bustum C, **963** roeteon V (e ex i corr.), rhetheon G, debentis M, multa AB_1E.

„et valido mihi | Latoe dones"). Ἅπαξ εἰρημένον, hac quidem significatione, nam saepius pro *heroicus* usurpatur, unde erravit Schol. Voss. haec de Hercule interpretatus. — *Turres* Schol. Ber. ap. Web.: „(Hero) se praecipitavit de *turri*".

956 Male Sabellicus *attulit*; Helle ponto (quocunque nomine antea vocato) nomen eius *abstulit*.

957 *Brevior* aqua h. l. non, ut solet, de non profunda, sed de angusta dicitur.

958 „Quamvis pontus (Bosporus) arcto cursu separet Byzantium et oppositam ei Chalcedona". *Obstriferam* D, num homo legit aut cogitavit *obstreperam*? Melius esset quam ostreae illae, quae h. l. non sunt optimi saporis. Chalcedon *obstrepit* undis e Ponto Euxino affluentibus. Quod Abydon *ostriferum* dicit — diversum a Chalcedone — Vergilius Georg. I. 207 nihil probat. Sed fatendum est illum librum vitiis scatere.

960 In eadem re manet: Pontus Eux. per Bosporum (*parvo ore*) influit in Propontida. *Fert* Propontis Pontum tanquam onus aquam eius absportans.

961 *Que* i. q. quoque, clarum exemplum huius usus cf. VIII. 400, V. 549. Subiectum *Caesar*. „Graio busto" Aiacis.

963 *Rhoetion*. Notum est quaedam vocabula Graeca (*ostrea, platea*) ει Graecum corripuisse, sed cultior poesis utique in nominibus propriis Graecis hoc repudiat; similis neglegentiae est *Edŏnis* I. 675. Non huc refero *Batăvique*, altera correpta, I. 431, nam etsi omnes post Lucanum eam produxerunt, fieri tamen potest, ut quantitas ab initio vacillaverit; et per se nihil est quod obstet correptioni; *Batavi, Batui* inter se respondent ut *lavo* et — *luo* et alia; et nomen Nederlandicum *Betŭwe* fulcit correptionem.

Ib. Petit (961) *umbras*. Manes heroum defunctorum iis locis, ubi sepulti, oberrare finguntur.

964 Pro *memorabile* Bentl.: *miserabile*, quod in cod. Regio invenerat. „Nomen Troiae" h. l. idem fere quod Troiam nobilem.

966 *Steriles* cum contemtu: ligna infelicia. *Robore* i. q. materia iung. cum *pressere*.

968 „Iam *lassa* radice" Radices findendo et convellendo lapides iam fatigatae sunt. Ceterum cf. Pers. I. 25 et Jahn ad i. l. Iuven. X. 146, Sen. NQ. II. 6.

969 „Etiam periere ruinae" nempe non apparuerunt dumetis tectae. Plane ex ingenio Lucani dictum.

Adspicit Hesiones scopulos, silvaque latentis
Anchisae thalamos, quo iudex sederit antro,
Unde puer raptus caelo, quo vertice Nais
Luxerit Oenone: nullum est sine nomine saxum.
Inscius in sicco serpentem pulvere rivum
Transierat, qui Xanthus erat. Securus in alto
Gramine ponebat gressus: Phryx incola manes
Hectoreos calcare vetat — discussa iacebant
Saxa, nec ullius faciem servantia sacri —
„Herceas, monstrator ait, non respicis aras?"
O sacer et magnus vatum labor, omnia fato
Eripis, et populis donas mortalibus aevom.
Invidia sacrae, Caesar, ne tangere famae,
Nam, si quid Latiis fas est promittere Musis,
Quantum Zmyrnaei durabunt vatis honores,
Venturi me teque legent: Pharsalia nostra

970 hesionae GR, silvaque G (– as que g), silvasque rell. vulgo, iacentes M, patentis AB_1EU, **971** se*d*erit M, sedit in AB(a m 2 sederit)E, **973** luxerit C, luserit *rell.*, **976** ph.ryx M, **977** hectoreas Av, paectoreas B_1, iecebant U_1, **979** l. Serv. A. II. 506, Mythogr. Vat. I. 213, hec*tor*eas ex corr. m. 2 M, *hectoreas* (eraso voc. 7 litt.) U, he(ae)ctoreas ABERgv, herceas aCGV, **980** loeto mab, **981** aevom M (s s. u), **982** non G (ne g) D, **984** smirnei BEC, **985** te meque R, nostra et (corr. m. 2) A, (nostra a), nostra est B.

970 *Silvaque* praeter G deteriores aliquot ap. Burm., qui post *scopulos* et post *silvasque* distinguit, ut silvae ipsae fuerint thalami Anchisae, nunc silva tecti, in quo displicet illud nudum *silvas*, et *latentes* superfluum est. Hos. iungit *scopulos silvasque*, sed quid Hesionae, quae exposita est in scopulis, cum silvis commune fuerit, non assequor. *Silvaque* (nempe Idae, ut fama ferebat cf. R. Unger Sinis p. 97) recte Heins., propter sequens *latentes* opportunum depravationi.

973 *Luserit* praeter C codd., *luxerit* Burm., Usenerus. Heins. (teste Burm.) *lusa sit*, ipse ludens; *luserit* multis tuetur R. Unger, Sinis p. 92 sqq. Conveniebat memorare illud, quod Oenonae praecipuum, non ei cum omnibus nymphis commune esset; ludunt omnes, luget Oenone a Paride, quem e monte cum Helena advenientem videt, repudiata, idque celebraverat Ovidius Heroid. V. 62. Oenone: „mons fuit — hinc ego vela tuae cognovi prima carinae — haerebat gremio turpis amica tuo, | tunc vero rupique sinus", (70, sq.) rell. Litterae *x* et *s* conff. ut *vix vis*, *laxatus lassatus* IV, 624, VI. 262, natum e pronuntiatione unde *mixtus* et *mistus*, cf. Seelmann p. 353.

979 *Herceas* Heins. Advv. p. 192, nunc confirmatum codicibus, depravatum in *Hectoreas* et *Herculeas* (in schol. Web.), sed sic iam Grotius. Figurate dictum i. q. non respicis Nemesin? Iupiter penetralis ἑρκεῖος vindex iniuriae hoc loco est. Senec. Ag. 448 „sparsum cruore regis (Priami) Herceum Iovem" (Ibis 282 „Hercei Iovis ara" Riese *Rhoetei*). Hectoreae *arae* nihil huc faciunt.

982 „Sacrae famae" Homeri, cf. 963 „multum debentis vatibus umbras". Invidiae, qua Nero in Lucanum affectus sit, haec mentionem non continent, primum propter *sacrae* i. e. aevo sacratae, tum quia nexus manifesto est: „haec omnia per vates magna; his non est quod invideas; nec mihi".

985 „Venturi" i. q. posteri: *Me teque* hoc ordine, ex more nostro infringitur observantia honoratioribus debita. Non ita veteres, lectu digna disputatio Burmanni ad h. l. — *Teque*, quae de bello civili scripsisti.

Ib. „*Nostra*", Lucani carmen inscriptum

Vivet et a nullo tenebris damnabimur aevo.
  Ut ducis inplevit visus veneranda vetustas,
Erexit subitas congestu caespitis aras,
Votaque turicremos non inrita fudit in ignis.
„Di cinerum, Phrygias colitis quicumque ruinas
Aeneaeque mei, quos nunc Lavinia sedes
Servat et Alba lares et quorum lucet in aris
Ignis adhuc Phrygius, nullique adspecta virorum
Pallas, in abstruso pignus memorabile templo,
Gentis Iuleae vestris clarissimus aris
Dat pia tura nepos, et vos in sede priori
Rite vocat: date felices in cetera cursus.
Restituam populos; grata vice maenia reddent
Ausonidae Phrygibus Romanaque Pergama surgent."
Sic fatus, repetit classes, et tota secundis
Vela dedit coris, avidusque urgente procella
Iliacas pensare moras Asiamque potentem

986 damnabitur UmaG, **987** *intra versus m.* 1 A, vivus E_1, **989** thuriferos mABERDG, **990** dii MaVU, phygius U_1, **991** quas A (quos a) E(quos e), quos B, **992** parens *pro*: lares M(Stht)VU, in ares M_1, **993** phryigius M, **994** templi a, **996** priore M, priori A, priores a, post **997** V *inserit hunc versum*: constituam (*corr. in* restituam) sparsas arces replebo ruinas, **998** *res*tituam V, reddant M_1, reddent (*ex corr. altera* e *super* a *posita*) U, **1001** choris AD.

erat *Pharsalia* et sub hoc nomine notum. Usu nomen iam certam significationem acceperat, ut solent inscriptiones ex arbitrio scriptoris, qui unum aliquod momentum pro titulo posuit. *Pharsalia* ante Lucanum raro substantive ut nomen regionis; nomen novavit et latiore significatione, technica (= bellum civile) eo carmen inscripsit. Si poetae argumentum carminis describenti nunc primum aliquod deligere vocabulum propositum fuisset, non elegisset *Pharsalia* eo loco, ubi de Pharsalo non amplius agitur. *Pharsalia* ante Luc. tantum habet Ov. Metam. XV. 832. Ad Catullum 64. 37 nemo provocabit.

990 Invocat Manes Troianos (990), Lares Aeneae (992) Lavinii et Albae etiam tunc cultos, quibus in aede Vestae ab origine rerum Romanarum ignis Troianus lucebat („quorum lucet in aris ignis adhuc Phrygius"), denique Palladem i. e. palladium, arcanum *pignus*. „Lares Aeneae" non diversi a „Phrygiis penatibus gentis Iuleae" I. 196. De Palladio Ov. Trist. III. 1.29 „hic locus est Vestae, Palladem qui servat et ignes". Marquardt Staatsverw. III. p. 242, nota. „Sedes Lavinia" i. q. Lavinium. Versu 991 Lavinium et Albam memorans non excludit aedem Vestae, quae proximis indicatur: „quorum (*quarum*, Vestalium Heins. p. 192) aris". Penates Troiani dicuntur esse tribus locis, quae Troiae coloniae erant: Lavinii, Albae, Romae.

998 „Restituam populos" i. q. reddam incolas (cives). „Quin etiam varia fama percrebruit, migraturum Alexandream [Troianam cf. Strab. XIII p. 593 fin., 597 c. 33] vel Ilium", Suet. Caes. 79. Caesar Iliensibus civitatem dedit liberam et immunem Strab. XIII p. 595 c. 27, i. e. civibus Ilii novi, quod aberat 30 stadiis a situ Troiae antiquae (Strab. c. 35), de quo loco nunc agitur. Haec considerantibus non inepta videbitur παρέκβασις de Troia, quam Burm. reprehendit contendens aliunde non demonstrari Caesarem Troiae substitisse, plane oblitus, quid poesis postulet.

997 Versum post hunc e Voss. 1 supra adscriptum frustra defendit Weber II. 644 refutatus a Trampio p. 8.

1002 *Pensare* = compensare, *Que — que* i. q. tam quam, in Lucano a Bentleio addubitatum cf. III. 467, 591.

Praevehitur pelagoque Rhodon spumante relinquit.
Septima nox, zephyro numquam laxante rudentis
Ostendit Phariis Aegyptia littora flammis.
Sed prius orta dies nocturnam lampada texit,
Quam tutas intraret aquas. Ibi plena tumultu
Littora, et incerto turbatas murmure voces
Accipit, ac dubiis veritus se credere regnis,
Abstinuit tellure ratis. Sed dira satelles
Regis dona ferens, medium provectus in aequor
Colla gerit Magni, Phario velamine tecta,
Ac prius infanda commendat crimina voce:
„Terrarum domitor, Romanae maxime gentis,
Et, quod adhuc nescis, genero secure perempto,
Rex tibi Pellaeus belli pelagique labores
Donat et Emathiis quod solum defuit armis,
Exhibet. Absenti bellum civile peractum est,
Thessalicas quaerens Magnus reparare ruinas
Ense iacet nostro. Tanto te pignore, Caesar,
Emimus, hoc tecum percussum est sanguine foedus.
Accipe regna Phari nullo quaesita cruore;
Accipe Niliaci ius gurgitis; accipe quidquid
Pro Magni cervice dares; dignumque clientem
Castris crede tuis, cui tantum fata licere
In generum voluere tuum. Nec vile putaris
Hoc meritum, nobis facili quod caede peractum est.

1003 reliquid U_1G, provehitur G, **1007** tumultus G, **1009** credere muris mAB (regnis aMb), **1010** dura g, cura V_1, **1012** velamina M_1, **1013** hac V, voces M_1, **1014** gentes U_1, **1017** arvis G, **1018** exibet M, **1019** magnas A_1, **1021** eminus R, est percussum AB, **1025** c*rede tu*is U, **1026** ne G (nec g), putares A (i m 2) R, **1027** facili nobis ABEG, paratum G.

1005 *Pharias,* Aegyptia littora, *flammas* mavult Heins. p. 192, vellem libri addicerent. „Phariis flammis" = per Ph. fl.

1007 „Quam tutas intraret aquas." Constituerat noctu opprimere Alexandrinos, ut tutus portum intraret, sed vigilare eos comperit (1008), itaque altum tenuit. Prius sol pepulit Noctem, quam tutus intraret. *Voces* i. q. sonitus.

1010 *Abstinere* i. q. arcere, propria, locali sign. Huc adhibere licet Horatianum: „dixeris egregie notum si callida verbum | reddiderit iunctura novum."

1012 Phario i. q. lineo.

1017 *Donat* i. q. remittit, contrarium est *inponere,* cf. IV. 764.

1023 „*Accipe* quidquid dares" pro *tene,* habe tibi summam pecuniae, quam possemus pro capite Pompeii exigere. *Accipe* propter anaphoram usurpatum est.

1027 *Paratum* Cort. et Gemblacensis. Sic propter insolitam formulam: „peragere meritum" correctum videtur. Sed iungas: nec hoc, quod (relat.) nobis facili manu peractum est, putaris vile meritum.

Hospes avitus erat: depulso sceptra parenti
Reddiderat. Quid plura feram? tu nomina tanto
Invenies operi, vel famam consule mundi;
Si scelus est, plus te nobis debere fatere,
Quod scelus hoc non ipse facis". Sic fatus, opertum
Detexit tenuitque caput. Iam languida morte
Effigies habitum noti mutaverat oris.
Non primo Caesar damnavit munera visu
Avertitque oculos: voltus, dum crederet, haesit.
Utque fidem vidit sceleris, tutumque putavit
Iam bonus esse socer, lacrimas non sponte cadentis
Effudit, gemitusque expressit pectore laeto,
Non aliter manifesta potens abscondere mentis
Gaudia, quam lacrimis, meritumque immane tyranni
Destruit, et generi mavolt lugere revolsum,
Quam debere, caput. Qui duro membra senatus
Calcarat voltu, qui sicco lumine campos
Viderat Emathios, uni tibi, Magne, negare

1028 parente ABEVGR, **1029** tu — operi (1030) l. Lact. ad Stat. Theb. V. 41, numine AB_1, **1030** famae a, **1031** fateris vulgo O, **1035** clamavit A (corr.: dampnavit), **1038** cadentis VU, caden*tes* M, **1042** et ceneri *corr. in* et feneri M (soceri Stht), *soceri* U, mavolt M_1, **1044** qui — Emathios (1045) l. Acro Hor. C. I. 3.18, calcabit a.

1028 Consensus codd. M et U *parenti* contra *parente* satis firmat; aeque recte alterum diceretur, nec *parente* ambiguam sententiam facit, quod dicit Burm. Nemo nescit, vel in pedestri interdum sermone casum absolutum poni, ubi rectus legitimus esset. — De re cf. supra 131, VIII. 448.

1029 *Feram* pro *referam* libertate, de qua saepius dictum. Sic etiam ap. Verg. A. II. 161, „si vera feram, si magna rependam." — „Nomina tanto invenies operi" rell. ipse quod nomen sit huic facto imponendum definies, vel iudicium aequalium fac tuum.

1031 *Fateris* vulgo non recte; aut *fateberis*, aut *fatere* necessarium est. Non dicit: „si scelus *dices*, eo ipso fateris" sed si scelus *est*; correxi hoc ut satis certum.

1033 „Iam languida". Nihil hoc *languida* vidisse se languidius Bentl. affirmat. Non intellego. Certe *lurida*, quod commendat, nullo nomine probabilius. *Languida*, contrarium est: *intenta*.

1036 *Advertit* in deterr. correctio est mala; continuatur negatio: non primo visu avertit oculos. Haesere oculi in capite Pompeii donec ei constaret Pompeii esse. *Voltu* Bentl.

1040 *Putans* si maiorem auctoritatem haberet, non esset propter grammaticam (cf. e. g. Dräger Hist. Synt. II. 414, Schmalz ad Reisig II. 818) sed propter sententiam damnandum, quae requiritur: se *posse* abscondere", quod (*posse*) infinitivus post verba sentiendi non significat. *Potens* habet vulgarem significationem (non participii), nempe *validus* (bij machte) et iungitur quemadmodum alia adiectiva perfectae significationis cum infinitivo, ut „impotens (sui) quidlibet sperare", „segnis solvere", „inpiger vexare", alia. Sil. It. XI. 594 „pax custodire salutem et cives aequare potens" propius accedit ad participii significationem. Nihil est cur *potest* ex V praeferatur. *Putans* Weise cum Hask. dedit.

1043 „Quam debere" quam obligatus esse Ptolemaeo. *Ingratum* factum sibi simulans *gratiam* non debebat. Opponuntur caput Pompeii *lugere* et *debere*; debere se quidquam confessus *gauderet* beneficio.

Non audet gemitus. O sors durissima fati!
Huncine tu, Caesar, scelerato Marte petisti,
Qui tibi flendus erat? Non mixti foedera tangunt
Te generis, nec nata iubet maerere neposque?
Credis apud populos Pompeii nomen amantis
Hoc castris prodesse tuis? Fortasse tyranni
Angeris invidia, captique in viscera Magni
Hoc alii licuisse doles, quererisque perisse
Vindictam belli raptumque e iure superbi
Victoris generum. Quisquis te flere coegit
Impetus, a vera longe pietate recessit:
Scilicet hoc animo terras atque aequora lustras,
Necubi suppressus pereat gener? O bene rapta
Arbitrio mors ista tuo! Quam magna remisit
Crimina Romano tristis fortuna pudori,
Quod te non passa est misereri, perfide, Magni
Viventis! Nec non his fallere vocibus audet,
Adquiritque fidem simulati fronte doloris:

1047 huncine O (ut vulgo), **1049** gnata M_1U, generes a, **1051** astris V_1 (c ant. m. s. s.), **1052** angeris *corr. ex* tangeris M, tangeris U, angeris ABEVGR, capitique BE, **1053** alii G, quaererisque M, **1054** raptumque...e iure M, **1055** quisq M (uis add. m. 2), quiste (quis s. s.) E, cogit A_1B, **1058** depressus D, generi bene U, **1061** miserere M_1, perfida ABE, **1062** nec his non A_1E_1 nec non B (ex: ne is non), audes GD, **1063** simulatam c.

1049 „Nata iubet maerere neposque". Suet. Caes. „eodem temporis spatio (a°. 54) matrem primo, deinde filiam (Iuliam), nec multo post *nepotem* amisit." At Dio C. XXXIX. 64 ἐν δὲ τῷ αὐτῷ χρόνῳ καὶ ἡ τοῦ Πομπηίου γυνὴ θυγάτριόν τι τεκοῦσα ἀπέθανεν. Non erat quod Lucanum ad I. 111 reprehenderet Burm. Discrimen inde natum, quod infans non vitalis fuit. „Nec nata" nim. natae memoria; non intellegit Burm.

1051 *Hoc astris* i. e. fortunae tuae, minime spernenda lectio. *Castris* videtur significare: copiis tuis; populi Pompeio fideles non tibi copias iungent. Cum probabilius sit litteram incuria omissam (in V_1), quam studio additam (in reliquis), vulgatam tenui.

1052 *Tangeris, angeris* Oud., rell. *tangeris*, in uno U integrum exstat. In M *tangeris* est, deleto *t* ut videtur 1ª m. *Angi* saepe de animi affectibus etiam iis qui a metu remoti sunt; curae, pudor, dolor angunt, aliquis anxius est curis; Liv. notissimo loco, XXI init. „angebant ingentis spiritus virum Sardinia Siciliaque amissae", ut *angi* et *sollicitari* saepe promiscue poni possint. „Angit animum curis mordacibus" supra II. 681 et 64. — *Tangere* in vicinia est 1048, quod non probat h. l. *angeris* esse legendum, sed tamen eiusdem notionis repetitio demonstrat ingenium minime ferax. — „In viscera" iung. cum *licuisse*.

1057 Ironia. „Procul es a vera pietate. An dices te circumerrare orbem, ut alicubi latentem generum a periculo mortis liberes!" *Suppressus* absconditus, Schol. — In Dav. *de* s.s.; voluit *deprensus*. — Serio pergit poeta: „o bene rapta" i. e. praerepta.

1061 „Quod te", i. e. „quod tibi veniam Pompeio dandi opportunitatem non dedit." Hoc enim Pompeio indignum esset. *Perfidus* est Caesar quod aliud prae se fert, aliud sentit. Heins. tamen *perfida* (vocat.).

1063 „Simulati fronte doloris", explicandum: facie in qua simulatus dolor appa.

„Aufer ab adspectu nostro funesta, satelles,
Regis dona tui, peius de Caesare vestrum,
Quam de Pompeio, meruit scelus. Unica belli
Praemia civilis, victis donare salutem,
Perdidimus. Quodsi Phario germana tyranno
Non invisa foret, potuissem reddere regi,
Quod meruit, fratrique tuum pro munere tali
Misissem, Cleopatra, caput. Secreta quid arma
Movit et inseruit nostro sua tela labori?
Ergo in Thessalicis Pellaeo fecimus arvis
Ius gladio? vestris quaesita licentia regnis?
Non tuleram Magnum mecum Romana regentem:
Te, Ptolemaee, feram? Frustra civilibus armis
Miscuimus gentes, si qua est hoc orbe potestas
Altera, quam Caesar, si tellus ulla duorum est.
Vertissem Latias a vestro littore proras;
Famae cura vetat, ne non damnasse cruentam,
Sed videar timuisse Pharon. Nec fallere vosmet
Credite victorem. Nobis quoque tale paratum

1064 aspectu MAV *ut semper*, **1073** armis B, **1075** tolerat B, romane AB_1, moventem E_1, **1076** vilibus B_1, **1078** caesari a, [est] B, **1081** vos met (correctio m. 2) aMVUGRD, me A (t add m 2).

ret, *fronte* non est *specie*; sic *simulati* abundaret et non sine causa proponeret Guyet *simulato—dolori*.

1071 Inimicitiae fuere inter fratrem et sororem, Cleopatrae caput fortasse regi non ingratum fuisset.

1072 *Inseruit* verbum hac translata significatione inde ab aevo Augusteo frequens est, sine dubio ex consuetudine vulgaris sermonis assumtum pro „(se) inmiscere alicui rei", et habet pro nexu subinde contemtus significationem, ut cum dicitur de loco, quem quis sibi ultra debitum arrogat (Tac. Ann. VI. 2), alibi clandestini, ut de eo qui sensim ac tacito subrepit aut movet aliquid in locum: „nomen famae" Tac. Or. 10, i. e. sermonibus divulgantium, „se fortunae" Hist. II. 61 i. e. hominibus fortunatis se immiscere. Hoc loco convenit fere cum nostro: zich in iets *steken*. Sic VIII. 551 „profanas inseruisse manus" sc. regimini mundi. *Ingerere* non habet clandestini, ceterum affinem subinde vim. — *Secreta* i. q. separata.

1074 *Vestris* Cleopatrae et Ptolemaei. *Quaesita* i. q. parta.

1075 *Tuleram* plqperf. ratione habita temporis, quo Ptolemaeus consilium suum officiebat.

1077 „Potestas altera quam Caesar." Caesar ipse potestas dicitur ut X. 136, III. 106.

1078 „Duorum". Ptolemaei et Caesaris.

1080 „Ne non" rell. Cohaerent haec sic: „ne videar non damnasse cruentam Pharon, sed timuisse". Nunc aperte damnat (improbat) Pharon eamque non timet.

1081 *Met* Oud. Hos., *me* Burm. Cort. Weise. Burm. abeat *met*, inquit, ad comicos. Non est comicum sed e familiari consuetudine, usurpatum praeter comicos Sallustio, Livio, Senecae Trag. et ab hac imprecatione an convitio non alienum. Fervor dicentis ex abrupta oratione apparet. Abruptum illud *vertissem* 1079 et paratactica oratio *vertissem—vetat* (= „vertere me vetat cura") et sqq. praesertim 1084, sqq.

1082 *Paratum* sc. *est*, non *erat*. Alterum

Littoris hospitium. Ne sic mea colla gerantur,
Thessaliae fortuna facit. Maiore profecto,
Quam metui poterat, discrimine gessimus arma.
Exilium generique minas Romamque timebam:
Poena fugae Ptolemaeus erat. Sed parcimus annis,
Donamusque nefas. Sciat hac pro caede tyrannus
Nil venia plus posse dari. Vos condite busto
Tanti colla ducis, sed non, ut crimina solum
Vestra tegat tellus: iusto date tura sepulcro
Et placate caput, cineresque in littore fusos
Colligite, atque unam sparsis date manibus urnam.
Sentiat adventum soceri, vocesque querentis
Audiat umbra pias. Dum nobis omnia praefert,
Dum vitam Phario mavolt debere clienti,
Laeta dies rapta est populis, concordia mundo
Nostra perit. Caruere deis mea vota secundis,
Ut te conplexus, positis felicibus armis,
Adfectus abs te veteres vitamque rogarem,
Magne, tuam; dignaque satis mercede laborum

1083 hospitium est mAEuD, hosp. et B, ni M_1, nec ABED, si E, **1085** discriminae U, gessemus U_1, cessimus c, **1090** crimine tantum mA (s. s. solum) BEVg, solum MUG (Stht *errore* tantum U), **1091** date iura ABE, **1092** explicate B, capud M_1, **1096** mavolt M_1, **1099** complexu M_1, complexis (ex — us corr.) V, **1100** affectus M, a te MAG ad te B, **1101** digneque A_1, labore U_1.

hoc non omittitur. Exaggerat rem: etiamnunc nihil vobis gratius est quam supplicium.

1083 *Gerantur* cf. supra 137.

1084 In maiore versatus sum periculo quam metuebam, Pompeium timebam, peius erat: „poena fugae Ptolemaeus erat" i. e. si fugissem Ptolemaeus in cervicibus haerebat.

1089 „Nil venia plus" non praemium, quod speraverat.

1090 *Tantum* me iudice esset praeferendum, nisi initio versus *tanti* legeretur; „crimina solum" ex vulg. ratione significat: sed aliud praeter crimina; *tantum* actionem actioni opponit: non tantum ut crimina abscondantur, sed honor habeatur Pompeio. *Crimina* i. q. documenta vestrae culpae, ossa Pompeii.

1093 *Manes* plures uni homini adscriptos vidimus supra V. 1. Hoc loco positum pro cineribus cf. VIII. 696, X. 24. Inscriptio sepulcralis D. M. sic significat non: defunctorum animis in universum, sed: Manibus defuncti.

1097 „Laeta dies" momentum temporis laetum, cum nos concordes vidissent, ereptum est populo. „Periit" nihil aliud nisi „rapta est", spectaculum concordiae negatum est.

1100 *Vita* i. q. consuetudo, usus, ut *vivere* cum aliquo i. q. usum habere. *Veterem* supplendum esse consensu interpretes, at hoc iuxta *tuam* nimis onerat sententiam.

1101 „Dignaque satis", rell. Illud *que* gravius aliquanto momentum habet, cf. supra 961. Cohaerent haec: tuncque (tunc quoque) contentus digna mercede, fecissem". Hoc *fecissem* condicionale est, non pendet ab *ut*, a quo non plqperf. sed impf. *facerem* deberet pendere, ut supra *rogarem*.

Contentus, par esse tibi, tunc pace fideli
Fecissem, ut victus posses ignoscere divis, —
Fecisses, ut Roma mihi". Nec talia fatus,
Invenit fletus comitum, nec turba querenti
Credidit: abscondunt gemitus, et pectora laeta
Fronte tegunt, hilaresque nefas spectare cruentum
(O bona libertas!) cum Caesar lugeat, audent.

1102 *tunc* V, **1103** possis R, **1105** comitem *rec. m. add. et in*: comitum *corr.* U, comitum G, comitem rell. *Subscribitur in* M:

PAULUS CONSTANTINOPOLITANUS EMENDAVI MANU MEA SOLUS |
M. ANNEI LUCANI LIB. VIIIJ EXPL̄I INCP. LIB X |
LEGENTI VITA ET PRAEFECTURA
SCRIPTORI VITA ET FORTUNA

vid. vol. I p. XXXIV, sq.

1102 „Par esse tibi" epexegesis ad *mercede.* Post *tibi* plenius interpungit Burm.

1103 *Fecissem*, *fecisses.* Omissionem pronominum *ego*, *tu* in oppositione tam stricta admodum memorabilem dicit Hask., nec sine causa. Sed in ipso temporis momento hoc alterum membrum „fecisses ut Roma mihi" se offert dicenti, ex tempore natum additamentum. Affectus haec plena sunt. Posui igitur pausae exiguae indicium post *divis.* Prius membrum *dignaque—divis* pro vulgari oppositione cum altero comparatum, nimis grave est.

1104 *Roma* nobiles et senatus.

1105 *Comitem* vulgo. Ergo: „fletus talia fatus (sic) invenit comitem". Multo melius *comitum* in U (corr.) et G, idque recepi. „Caesar talia fatus non invenit (i. e. non movit) fletus comitum."

1106 Laeta fronte tegunt pectora, nempe maesta ob Pompeium.

1108 Acerbum est epiphonema: hilares audent nefas cruentum (caput Pompeii) spectare, etsi Caesar lugeat; o bona libertas! audent a principe dissentire. Hoc per ironiam; nam haec est *species* tantum libertatis; noverunt eius intima mentis, sciunt, eum clam gaudere. Sub Imperatoribus Romani non assentabantur tantum eis quae Imperator prae se ferebat, sed abscondito mentis sensui. Periculosum erat lugere cum Caesare simulante luctum, cum sic viderentur ei desiderare Pompeium.

M. ANNAEI LUCANI

PHARSALIA.

LIBER DECIMUS.

Ut primum terras Pompeii colla secutus
Adtigit et diras calcavit Caesar arenas,
Pugnavit fortuna ducis fatumque nocentis
Aegypti, regnum Lagi Romana sub arma
Iret, an eriperet mundo Memphiticus ensis
Victoris victique caput. Tua profuit umbra,
Magne, tui socerum rapuere a sanguine manes.
[Ne populus post te Nilum Romanus amaret.]
Inde Paraetoniam fertur securus in urbem
Pignore tam saevi sceleris sua signa secutam.

1 terram T, pompei *codd. ut semper*, cesaris var. lect. mB, **2** attingit M_1, caesar calcavit VR, **3** nocentes U_1, **4** la . gi M, **5** memphetícus M_1, **7** post 8 R, **8** om. MeVU (add. u), nec populus ABE, pos R, amaret AR, habebit aE [haberet] B, haberet u, **9** parethoniam AUTG, phar. V, securus fertur A, **10** secut*am* MU_1R_1 — tam V, secutus AG, pia signa c.

7 „Rapuere a sanguine" servarunt ab interitu; nam cavit sibi Caesar perspecta perfidia Aegyptiorum. Verba patiuntur hanc quoque sententiam: prohibuerunt manes Pompeii ne caedem inferres; morte Pompeii pugna inutilis erat. Contextus favet priori interpretationi, in utraque verba sunt aeque insolentia.

8 A prima manu hunc versum habent tantum ABER, in quorum nullo est quod vulgo editur *haberet* (id est in U), sed *habebit*, quod nihili est, aut *amaret*, quod restitui. Qui versum male composuit, videtur voluisse: utinam ne posthac Roma Nilum (Caesar et Antonius Cleopatram) amaret. Sed non favet huic sententiae illud *ne*, quod si vulgari modo accipitur, inepte dicit versificator: Pompeius morte sua Caesarem servavit, ne propter Caesaris in Aegypto mortem Roma Aegyptum amaret. Prorsus inepte. — V. 389 sine causa confertur.

9 „Paraetoniam — urbem" Alexandriam. Urbs et portus, Ammonia quoque vocata, *Παραιτόνιον* est in Cyrenaica, Strab. XVII. 14, p. 799, cuius nomine Alexandria notatur, et Syrtes supra III. 295.

10 *Secutam*, ante Grotium *secutus*, qu vere: scribe, inquit, auctore MS. P *secutam* et refer ad urbem, Alexandream nimirum, quae Caesarianam se Pompeii caede probasse videri volebat." Obsecuti sunt Oud. et Hos. „Sua signa secutus" tam ineptum est quam inutile.

Sed fremitu volgi, fasces et iura querentis
Inferri Romana suis, discordia sensit
Pectora et ancipitis animos, Magnumque perisse
Non sibi. Tunc voltu semper celante pavorem,
Intrepidus superum sedes et templa vetusti
Numinis, antiquas Macetum testantia vires,
Circuit, et nulla captus dulcedine rerum,
Non auro cultuque deum, non maenibus urbis
Effossum tumulis cupide descendit in antrum.
Illic Pellaei proles vesana Philippi,
Felix praedo, iacet, terrarum vindice fato
Raptus. Sacratis totum spargenda per orbem
Membra viri posuere adytis. Fortuna pepercit
Manibus et regni duravit ad ultima fatum.
Nam sibi libertas umquam si redderet orbem,
Ludibrio servatus erat, non utile mundo
Editus exemplum, terras tot posse sub uno
Esse viro. Macetum finis latebrasque suorum
Deseruit victasque patri despexit Athenas,

11 volgi (corr. vulgi) M, signa V_1, quaerentis M, **13** ancipitis U_1, **14** voltu (s. s. u) M calcante g, timorem VGT, pavorem MU, pavores A (tim a) Egt, **15** intrepidum B_1, **16** antiquis U_1, macedum VU (*corr. ex* — tum) G (*corr. in* — tum), **17** circumit M, **18** umbis U_1, **19** cupide tumulis U, tumuli c, **21** l. Aldhelmus 526 M (facto), 237.14 G, **22** sacratus B_1, **23** aditis AVU, **25** nam si T, **26** tile, u. s. s. M, **27** aeditus G, **28** virum M_1, macedum VU (corr ex — tum) g, **29** patre M, pari A (deleta t) B_1, dispexit AB C(M_1 ?).

14 „Non sibi" Caesari. Vidit sortem Pompeii non sibi profuisse, cf. v. 6, sq., Aegyptios morte Pompeii non Caesaris favorem petivisse.

15 Vetusti numinis" Isidis (Weis.) an Serapidis (Serapeum), an Iovis Ammonii incertum.

19 „Effossum tumulis antrum" cf. VIII. 694 „cum tibi *sacrato* Macedon servetur in *antro* et regum cineres extructo monte quiescant." Significare videtur Alexandrum et Ptolemaeos in pyramide (*monte*) sitos fuisse, in qua antrum erat pervium; Strabo quoque refert Alexandrum et successores in eodem περιβόλῳ sepultos esse XVII. 8 p. 794. Utique non sequor Madvigium Advv. p. 133 scribentem *tumuli*; in tumulo, re humili, antrum non apte cogitatur. *Tumulis* dativus est i. q. tumulandis regibus. Apud Suetonium Aug. 18 theca quae continet corpus Alexandri, Imperatori ostenditur.

21 „Terrarum (orbis terrarum) vindex fatum" est mors Alexandri; non admodum gravia verba, siquidem Alexander non ignominiose est mortuus; eius mors inepte poena dicitur.

24 *Regni fatum* (sic iung.) fatalis memoria vel exemplum regni mansit ad hos dies. Cf. *fati*, 45 Mausoleum Alexandri posteros docuit fuisse, qui totum orbem sibi subiceret, cf. v. 27. Haskins: his good fortune has lasted till these last times of tyranny. Neutra explicatio plane satisfacit.

25 „Nam — erat" (26) nam si libertas vel per totum restitueretur orbem, tamen, servatus in sepulcro suo, ludibrium esset libertatis, irrisio libertatis, rei tam fragilis. Hask. solus iustam dedit interpretationem, sed posteriorem partem non probo; *ludibrio* enim dicit notare: ut ipse ludibrio esset (ego: ut ludibrium inferret); quod cum nexu meo iudice pugnat. Indicativus *erat* condicionalis est, ut saepe.

29 In *despexit* haeret Burm.; hoc dicit:

Perque Asiae populos fatis urguentibus actus
Humana cum strage ruit, gladiumque per omnis
Exegit gentes: ignoto miscuit amnes
Persarum Euphraten, Indorum sanguine Gangen,
Terrarum fatale malum fulmenque, quod omnes
Percuteret pariter populos, et sidus inicum
Gentibus Oceano classis inferre parabat,
Exteriore mari. Non illi flamma, nec undae,
Nec sterilis Libye, nec Syrticus obstitit Ammon.
Isset in occasus mundi devexa secutus
Ambissetque polos Nilumque a fonte bibisset, —
Occurrit suprema dies naturaque solum
Hunc potuit finem vesano ponere regi;
Qui secum invidia, qua totum ceperat orbem,
Abstulit imperium, nulloque herede relicto
Totius fati, lacerandas praebuit urbes.
Sed cecidit Babylone sua Parthoque verendus.
Pro pudor! Eoi prope plus timuere sarisas,

30 populis A (— os corr. m. 2) B_1, populus a, artis a, **32** ignotos O vulgo, **33** eupharaten A, gangem AE, **34** fulme*n*que U, omnis M (corr. omnes) E, omnes A, **35** inicum U_1, **38** sterelis T, libyae M, [nec] U_1, siticus A_1, **39** esset AB_1, occasum ABT, ocasum BU, **40** ambisset populos (*deleto* que) B, **41** suppraema M, supprema AU, subprema E (del. b), **42** finem potuit g, vesano AM, **43** qui *in*: qua corr. E, **46** babilone AR, parthisque VRg, **47** *eoi* M, propius tim. O vulgo, propeus M_1, *p*ropius E.

sprevit Athenas, noluit morari in urbe, quae tamen patrem gloria cumulaverat.

32 Vulgo *ignotos*. Sed Euphrates non erat ignotus. Praeterea opportunum est errori: „ignotos miscuit amnes", quae cum per se sententiam praebeant, in sequentibus supplementum nullum expectandum dant. Recepi igitur *ignoto* ab Heinsio commendatum Advv. p. 193. „Infecit sanguine ignoto ipsis, nempe Graecorum et Macedonum, flumina Persarum Euphraten, Indorum Gangen". Alexandrum numquam ad Gangen penetrasse constat, erravit poeta. Ad ordinem verborum cf. ad V. 386 et ad V. 800, porro V. 680, VIII. 343, IX. 232, 636, I. 45, 134, VII. 553. Plura etiam sed non omnia notabilia Weis. in ind. v. *transpositio*. Nullus locus est, quo genetivus a subst. regente dirimatur alio unde pendere possit: „Indorum sanguine Gangen."

36 „Oceano" (dativus) oceanum Atlanticum dicit; exterius mare est quod terram circuit.

39 „Mundi devexa" cf. IX. 497.

43 „Invidia, qua totum ceperat orbem". Non patiebatur aemulum aut consortem imperii; itaque secum moriens abstulit imperium, nullo herede scripto; id omiserat invidia prohibitus, quia alium regem sui imperii ne mente quidem ferebat. *Abstulit* cf. I. 111: „nam pignora — abstulit ad manes — Iulia".

44 „Nullo herede — totius *fati*". *Furti* Trillerus; id non facile mutassent librarii. *Fati* oxymoron; *regni* cogitabat, id tamen non beneficium erat, sed fatale donum.

47 „Eoi — populi" iungendum. Vulgo *propius*. Non puto exemplum extare, quo *propius* pro *prope*, i. e. fere, ponatur. Nemo afferet *propius nihil est factum*, in quo *propius* habet loci vim: „nihil magis imminebat." Exigua est admodum correctio, quam recepi, quae etiam confirmatur Montepessulano, in quo est „propeus", ut duae litterae excidisse videantur PL (propePLus) idque post duplicem P facillime fieri potuit.

Quam nunc pila timent, populi. Licet usque sub arcton
Regnemus zephyrique domos terrasque premamus
Flagrantis post terga noti, cedemus in ortus
Arsacidum domino. Non felix Parthia Crassis
Exiguae secura fuit provincia Pellae.
  Iam Pelusiaco veniens a gurgite Nili
Rex puer inbellis populi sedaverat iras,
Obside quo pacis Pellaea tutus in aula
Caesar erat, cum se parva Cleopatra biremi,
Corrupto custode Phari laxare catenas,
Intulit Emathiis ignaro Caesare tectis,
Dedecus Aegypti, Latii feralis Erinys,
Romano non casta malo. Quantum inpulit Argos
Iliacasque domos facie Spartana nocenti,
Hesperios auxit tantum Cleopatra furores.
Terruit illa suo, si fas, Capitolia sistro,
Et Romana petit inbelli signa Canopo,

48 arcto MAVGRc, arcton U, **49** zepherique M, **50** fragrantis B, pos U, cedamus ABEG, ortum VR, ad ortus a, **53** pelusiaco . veniens M (s. s. ci), pelusia conveniens B (pelusiaci veniens s.s.), **54** populis T, **56** biremis A (mi a) B_1T, **57** correpto U_1, **61** facies ABU (facie b), nocentis U, **62** ausit T, quantum B_1, **63** l. Acro C. I. 37.6, **64** inbellis ABE_1.

50 „Post terga noti", i. e. ultra aequatorem sitas. Notus flagrans ab aequatore flat. Cf. IX. 877 „terga damus ferienda noto". „Post terga noti", Deus Notus igitur septentriones spectat.

51 „Arsacidum". Arsacidae pro Parthis admodum καταχρηστικῶς usurpatur, cum non notare debeat successores Arsacis. Quare Christius legendum proponebat „Arsacidae" nimis sollicitus de Lucani fama. Forma, etiam sine Sil. It. VIII. 467, minime suspecta. — „*In* ortus" = versus ortum, ab ortu.

54 „Iras" cf. v. 11, sq.

55 „Obside" Caes. Civ. III. 109 fin. „quo facto (post caedem ab Achilla factam) regem ut in sua potestate haberet Caesar effecit".

57 „Corrupto laxare catenas". Non intellexit Schol.; catenae sunt quibus claudebatur portus, qui aditum dabat ad aulam regiam (Bruchium sive aliud aedificium). Non Cleopatra erat in catenas coniecta. *Phari* iung. cum custode. „Emathia tecta" Macedonica sunt.

59 *Enyo* teste Burm. volebat Heins. *Enio* et *Erinis* (sic) confunduntur I. 687. Hoc loco ubi codd. in *Erinys* consentiunt nihil mutandum, cum praesertim ultionis notio non sit aliena. Et omnino Erinys (= Furia) belli dea, ut I. 572. Cf. Verg. Aen. II. 573: „Troiae et patriae communis Erinys", unde apparet locum illum Aeneidos controversum Lucano notum fuisse. Vid. Hask. — „Non casta" pro „incesta" propter metrum.

60 *Inpulit* = perdidit. Cf. ad. I. 147. *Facies* natum ex reduplicata s in *Spartana*; nam „facies Spartana nocentis" pro „facies Spartanae nocentis" non audeo Lucano obtrudere. *Spartana* subst.; Helena inpura pulcritudine subvertit Argos (domum regiam) et Ilium.

63 *Si fas*, „terruit, si fas" hoc dicere, quod ignominiosum Romae. Hos. coni. *pro fas*.

64 *Petit* perf., cf. ad 282. Pertinent ad bellum Actiacum. *Sub gurgite* interpretor

Caesare captivo Pharios ductura triumphos;
Leucadioque fuit dubius sub gurgite casus,
An mundum, ne nostra quidem, matrona teneret.
Hoc animi nox illa dedit, quae prima cubili
Miscuit incestam ducibus Ptolemaida nostris.
Quis tibi vesani veniam non donet amoris,
Antoni, durum cum Caesaris hauserit ignis
Pectus? et in media rabie medioque furore
Et Pompeianis habitata manibus aula
Sanguine Thessalicae cladis perfusus adulter
Admisit Venerem curis et miscuit armis
Inlicitosque toros et non ex coniuge partus.
Pro pudor! oblitus Magni tibi, Iulia, fratres
Obscena de matre dedit, partesque fugatas
Passus in extremis Libyae coalescere regnis
Tempora Niliaco turpis dependit amori,
Dum donare Pharon, dum non sibi vincere mavult.

65 fessos duct. g, **66** gurgite ductus E (casus e), **67** in medium ne ... nr̄a U, mundum anne R, nostra etiam matr. g, **69** ptolomaida M, **71** caes. cum T, auxerit G, ignis MAUV (ex ignes corr.) g, ignes G, **73** habitatam ABET, habitatas a, aulam ABET, **75** ad venerem misit ABET, curas aEG, **76** inlicitosque A, partos a, **77** fratris M_1, **80** dependet M_1U, amore UM_1. **81** pharum M (on m).

„in gurgite", ut „sub pectore, sub inferis", simm., ita dictum quia mare Actiacum subiacet littori montuoso. — *Casus* belli dubium faciebat, an —

67 „Ne nostra quidem." Turpe esset matronae parere Romanae, quanto turpius exterae. Frustra locus tentatus est ab Oud. „in medium (hoc cum uno libro) ne nostra urbem matrona teneret." Omnino distinguendum post *quidem*.

71 *Ignis*. Lectio codicum anceps est, cum quid voluerint librarii incertum sit, terminant enim acc. plur modo in *es*, modo in *is*. Grotius nominativum recepit. Accusativum editores reliqui existimant, quantum apparet. Cf. infra 363: „hauserit obscenum titulo pietatis amorem." Ovid. Met. X. 252 „haurit pectore Pygmalion simulati corporis ignes." Contra „(ignis) hausisset virum" Sil. It. XVII. 107. Rursus Claud. de Nupt. Hon. Aug. (X) 1 „hauserat insolitos promissae virginis ignes Augustus." Sed „haurit corda favor" Verg. Georg. III. 105. „Pallorque ruborque hausere genas" Stat. Theb. I. 537. Cf. Oud. Mihi nominativus aptior videtur.

73 Novum figmentum manes Pompeii errare in locis, quae ille numquam habitavisset, sed non absurdum; manes Pompeii insequuntur Caesarem. Certe quid lucremur legendo „*agitata* manibus aula" cum Burm., non video; vel sic tamen ibidem manes esse debebant.

Ib. Post *aula* interrogationis signum ponit Guyetus, legens v. 72 „pectus *vel media in* rabie". Vulgo interrogationem continuant usque ad *partus*, sed post coniunctivum *hauserit* indicativi *admisit* et *miscuit* (75) non ferendi sunt. Signum interrogandi post *pectus* posui. *Et in m.* sententia non differt a Guyeti lectione; *et* = etiam.

74 *Adulter* qui cum libera femina, etiam non nupta, rem habet, sic Hor. III. 16. 4 „nocturnis ab adulteris" (Danaës).

77 *Fratres*, unus tantum erat, vel ferebatur, filius Caesaris ex Cleopatra; consulto admissus error.

80 Sine causa Burm.: *deperdit amore*. Magis usitatum *impendit* metrum non ferebat.

Quem formae confisa suae Cleopatra sine ullis
Tristis adit lacrimis, simulatum compta dolorem,
Qua decuit, veluti laceros dispersa capillos,
Et sic orsa loqui: „Si qua est, o maxime Caesar,
Nobilitas, Pharii proles clarissima Lagi,
Exul in aeternum, sceptris depulsa paternis,
Ni tua restituat veteri me dextera fato,
Conplector regina pedes. Tu gentibus aecum
Sidus ades nostris. Non urbes prima tenebo
Femina Niliacas, nullo discrimine sexus
Reginam scit ferre Pharos. Lege summa perempti
Verba patris, qui iura mihi communia regni
Et thalamos cum fratre dedit. Puer ipse sororem,
Sit modo liber, amat, sed habet sub iure Pothini
Adfectus ensisque suos. Nil ipsa paterni
Iuris mi repeto: culpa tantoque pudore
Solve domum, remove funesta satellitis arma,

84 qua MAB, quam bEVUTG, quem U (ex corr.), **85** orsi A (sa a), **86** p*role*s M, pharei A (i m. 2), pharai E_1, pharai V, **87** expulsa ABET, **88** si tua O vulgo, restituat MVg, restituit AUG, restituet c, **90** verebor g, **91** niliacos M_1, feminaliacas A, **92** pharus U, pharon G, **93** r*egni* M, **94** thalami M, thalamj a, thalamos mAEBVUG, **95** photini VT, pothyni UG, sed modo AB_1E, **97** inre (s. s. $\overset{e}{i}$) MB . ni . re A (s. s. m. 2 $\bar{h}$re), habere aG, nil re b, inire UV (Stht *errore* habere), **98** satellitis arma funesta M.

83 „Simulatum compta dolorem" optime pro: venusta simulato dolore. Acc. ut post *indutus.*

84 Grotius pro *quam* (qua) dedit *quem*, et sic U. Sententia commendat magis *qua* i. e. quatenus et sic μ praeter E. — „Veluti — capillos" quasi desperatione suos ipsa lacerasset capillos, dolus ad captandum Caesarem, nam „neglecta decet multas coma — ars casu similis." Ov. A. A. III. 153, 155.

88 *Ni* pro *si* Heins. Advv. p. 193. Ad formulas spondendi et iuridiciales hic locus non est exigendus, in iis enim haec: *sponden, arbitrum adigo, iudicem fero* apodoses sunt, non implorandi formula quae h. l. „Ni — fato" adhaerent superiori versui: „exul in aeternum, nisi tua dextera me restituat." Obtestatur Cleopatra per nobilitatem Caesaris et suam: si qua est n., ego proles Lagi obtestor te. Ceterum auget periculum a fratre imminens, ut misericordiam moveat.

94 *Thalamos*, supple: *communes* cum fratre. *Thalami* vulgo, *thalamos* Heins. Non tam agi videtur de iure (conubio), quam de iusso paterno; debebant matrimonium inire.

95 *Amet* Bentl. contra libros.

97 „Mi repeto" Cortius; Bentl. hoc et superiore versu: „affectus *sensusque* suos, nihil ipse paterni | iuris inire *petit.*" *Sensus* non necessarium est, et *peto* est rectum, ipsa non vult capessere regnum patris; *Cleopatra* recusat regnum, modo *frater* rex sit et ignominia a domo sua arceatur. Praestat autem me iudice *repetere* prae *inire*, nam *inire ius* non dici solet, „repetere ius suum" usitatum. Liceret interpretari verba „nil iuris paterni" hoc modo: „nullam partem *regni* iure a patre mihi traditam", ut „inire ius" sit „inire regnum", sed hoc hariolari, puderet me in alio auctore quam Lucano talem interpretationem tentare. Lectio in MB *inre* non longius distat a *mire* quam ab *inire*; in A *m* transisse videtur in *ni*, et in lacunula quae exstat littera *i* oblitterata esse. Ceterum correctionem non debeo Cortio.

Et regem regnare iube. Quantosne tumores
Mente gerit famulus, Magni cervice revolsa!
Iam tibi (sed procul hoc avertant fata) minatur,
Sat fuit indignum, Caesar, mundoque tibique,
Pompeium facinus meritumque fuisse Pothini".
Nequiquam duras tentasset Caesaris auris:
Voltus adest precibus, faciesque incesta perorat,
Exigit infandam, corrupto iudice, noctem.
Pax ubi parta ducis donisque ingentibus empta est,
Excepere epulae tantarum gaudia rerum,
Explicuitque suos magno Cleopatra tumultu
Nondum translatos Romana in saecula luxus.
Ipse locus templi, quod vix corruptior aetas
Extruet, instar erat, laqueataque tecta ferebant

99 iubet BT, timores AET, **100** repulsa T_1, **101** minantur a, **102** set T, **103** pompei[i] G, photini V, **104** nequicquam, c *erasa* AU, nequiquam V, nec q. G, **106** caesare (*pro*: iud.) VUG (iud. g), **107** donis[que] U, emptae U_1 [est], **108** positarum A (tantorum a), tantarum (ex — orum) E, **110** *post hunc versus erasus* M, luxu A, **112** extruit MA (i *ex corr*) BEUGR, exstruet Vg, instar (e) at M.

99 *Quantosne*, urgetur interrogatio per *ne* cf. VII. 301, Hor. Sat. II. 3. 295 et 317. Plaut. Bacch. 257. Heins. p. 194: *tantosne.*

103 „*Pompeium* fuisse facinus Pothini" pro: Pompeii mortem, cf. ad VI. 145.

105 *Voltus* om. *sed*, ut saepe, ubi sequitur grave quid per se. — *Perorat*, in peroratione repetitur summa argumentorum, ex quo gravis est et vehemens, et cum defensionis opera inter plures dividitur peroratio oratori permittitur, qui maxime movere possit; pro Cleopatra perorat pulcritudo; dictis verbis oculos tollit in Caesarem et lenocinatur iudici. Florus II. 13 (IV. 2. 56 D) „Cleopatra regis soror, affusa Caesaris genibus partem regni reposcebat; *aderat* puellae forma." Saepius ut notum *adesse* i. q. opitulari.

106 *Exigit* subi. est *voltus,* distinctionem plenam post *perorat* leviore mutavi. Postulat (*exigit*) eius lenocinium tacito noctem, quae, cum invocatus iudex iam captus esset illecebris, facile promittitur. In alia omnia abit Bentl.; statuens partem regni a Cleopatra expostulari, ut pro dote offerretur fratri (de quo nihil proditum, regnum erat in perpetuum a patre divisum inter filium filiamque), conicit: „corrupto iudice *dotem.*" — Hask. *exigit* „she spends" quasi sic inter caesa et porrecta nox transacta esset. Sequitur convivium 108. Idem *pax* v. 107 „between Cleopatra and her brother" ut *duci* (sic vulgo) sit i. q. Caesari. Primum satis insolens est: „iudex s. arbiter parit pacem", praeterea nimis obscure: nam res absente fratre transigebatur de quo semper tanquam absenti sermo est (ex 53 non apparet eum affuisse nec ex 136), unde subito ille exoritur? Legendum cum Dorvillio et Bentl. *ducis*, Cleopatra parit sibi favorem ducis, isque a Cleop. donis ingentibus emitur. Nota sunt „deorum pacem expetere" = gratiam, „cum pace deorum", „pace tua." *Pacta* Heins. p. 194.

108 *Tantarum — rerum* captae Alexandriae, regni confirmati et rell. Burm., „*lautarum* rerum" iung. cum *epulae*, ut *gaudia* concubitus sit, sine idonea causa, animadvertens tamen recte has epulas cum luxu aulae male quadrare huic loco, cum Cleopatra ad Caesarem lembo parvo penetrasset.

110 *Saecula* cf. IV. 816, V, III, Hask. laudat Tac. Germ. 19, Mart. IX. 28. 9.

112 *Extruat* vulgo contra libros. Futurum in Vg recte se habet; ex praesenti tempore affirmatio est. Illa: „locus erat templi instar" non postulant relativum supplementum, sed per se definita sunt.

112 *Ferebant*, si quid offensionis est in hoc, non tollitur Bentleii correctione *gerebant* nec alia.

Divitias, crassumque trabes absconderat aurum.
Nec summis crustata domus sectisque nitebat
Marmoribus stabatque sibi non segnis achates
Purpureusque lapis, totaque effusus in aula
Calcabatur onyx. Ebenus Meroëtica vastos
Non operit postis, sed stat pro robore vili
Auxilium, non forma domus. Ebur atria vestit,
Et suffecta manu foribus testudinis Indae
Terga sedent crebro maculas distincta smaragdo.
Fulcit gemma toros, et iaspide fulva supellex.

114 scrutata M_1, cristata a, sectisve a **116** totaque — onyx (117) l. Acro Hor. C. IV 12.16, purporeusque A, **117** hebenus — postes (117) l. Serv. Georg. II. 116, ebenus mareotica l. Isidorus XVII. 7.36, onix AVU, hebenus mareotica O vulgo, **118** operi M (t add. m. 2), nyli R, **120** foribus — smaragdo (121) l. Serv. Georg. II. 463, suffecta (*corr. in* suffixa) MGRT, **121** l. Prisc. 42.4 H, distincta smar. l. fr. Bob. VII. 539.1 K, smaragdo MbEVU, zmaracdo A, zmarade B, **122** l. Prisc. 445.4 H, ubi fort. leg. *fulgit* (sic g), fulget (*supra* e: i) ME (*in* fulcit *mut.*) G, fulcit VURg, fulget rell., thoros Vu, iaspi*de fulva* U. *Post* 122 *versum* hic thorus assirio cuius pars maxima fuco *inserunt* VGRD, cui R.

113 „Crassum aurum" i. q. laminae auri crassae.

114 *Nec*, negatio pertinet ad duo membra: *non* erat crustata et *non* sectis marmoribus nitebat. Domus erat marmore constructa integro. „*Summis* marmoribus" quae in superficie sunt sive tegunt muros. *Secare* est voc. proprium, et fiebat *serra*, ut apud nos (*zagen*), plene *secare.* Vitruv. 2. 7, Senec. Benef. IV. 6. 2: „ingens domicilium — in quo vides non tenues crustas et (= etiam) ipsa, qua secantur, lamina (serrae cf. Verg. Georg I. 143) graciliores sed integras lapidis pretiosissimi moles."

115 „Stabat sibi" non alii ministrans, inde: per se, suo robore; significatio commodi sic infringitur, ut in „sibi sapere", „sibi gaudere", „sibi vivere". Exempla, non omnia tamen apta, vid. ap. Heins. Advv. p. 415 sqq. *Segnis* i. q. inutilis, cf. id. p. 106, fulciebat enim domum, non erat merum ornamentum. „*Purpureus* lapis" (116) est porphyrites. Monolithos, quos dicimus, veteres *trabes* marmoris appellabant. Plin. 36, 64.

117 Columnas onychinas 32 pedum longitudine vidisse se narrabat Corn. Nepos, non mirum igitur si hoc pretioso lapide solum instratum fuit. Cf. Plin. XXXVI. 56.

Ib. *Meroëtica* est ex emendatione Grotii. Ut vulgo ferebatur (cf. Plin. XII. 19) sic Lucanum quoque credidisse ebenum in Meroë nasci testatur v. 303 „Meroë — laeta comis ebeni". Mareotida in Aegypto inferiore non ferre proceras arbores satis notum erat.

119 „Auxilium" rell. i. q. fulcrum, non ornamentum domus.

120 *Suffecta*; *suffixa* non male, sed manifesta correctio ad difficultatem evitandam, nam *tincta* (*suffecta*) alibi testudo non dicitur. Nec tamen propterea mutandum. Videtur polita s. laevigata significari oleo vel fuco adhibito. „Sufficere lanam medicamentis" et „coloribus" et alia illustrat Gron. Diatr. Stat. p. 59 (109 sqq. H). Verg. A. II. 210 „ardentisque oculos suffecti (beloopen) sanguine et igni". *Sedent* i. q. haerent, *Manu* i. q. arte.

122 *Fulget*, vocabulum tritum, est spernendum; *toris* huic accommodatum, pro vero *toros*; non interpolatione haec nec studio mutata; sed G et C permistae. Nec haec nimis exaggerata sunt; quid propterea est reiciendum? Fulcra tori gemma ornata intelleguntur, ut alibi testudine aut ebore. Notum vel ex epitropicis Demosthenis. Probat Heins. Advv. I. 4. Idem „*culta* supellex"; sed *fulva* Verg. A. IV. 261. „*Stat* iasp." Heins., si tale quid opus esset mallem per anaphoram *fulta*. *Fulta* Heinsianus et Hamb. Qui sequitur in VRD versus „hic thorus assirio cuius (cui) pars maxima fuco" varia lectio est sequentis et prava quidem; adscriptum fuit „hic thorus assyrio" ad corrigendum proximum v.; quasi omissi versus pars id suppletum est altera dimidia parte sequentis. *Supellex*, v. 122 intellegendum de cratere et lancibus.

Strata micant, Tyrio quorum pars maxima suco
Cocta diu virus non uno duxit aeno,
Pars auro plumata nitet, pars ignea cocco,
Ut mos est Phariis miscendi licia telis.
Tunc famulae numerus turbae populusque minister;
Discolor hos sanguis, alios distinxerat aetas,
Haec Libycos, pars tam flavos gerit altera crinis,
Ut nullas Caesar Rheni se dicat in arvis
Tam rutilas vidisse comas, pars sanguinis usti,
Torta caput, refugosque gerens a fronte capillos.
Nec non infelix ferro mollita iuventus
Atque execta virum. Stat contra fortior aetas,
Vix ulla fuscante tamen lanugine malas.
Discubuere illic reges, maiorque potestas

123 cuius pars — aeno (124) l. Lact. Theb. VI. 541, cuius A(quorum a)BEu, suco M (fuco m) GLact., fuco ABU, lentum VR (*pro* suco), **124** traxit u, **125** nitent c, **126** licea M_1AB, **128** hoc A_1B_1, distincxerat M, **129** crinis M, **130** *vulgo* nullis; nullas ABEC (nullus M_1 Stht), nili G, **131** nitidas MU, **132** capud M, tosta *corr. in vulg.* V, **134** ecsecta M (exsecta corr. m. 2), **135** fuscata VR, **136** illic MABuVR, toris (M Stht) U, regis M (reges m).

123 Miram variam lectionem *lentum* pro *fuco* (*suco*) defendit Heins. p. 193 scribens: „tyrio *lentum* pars maxima fuco", sed conatus non successit, ut puto; vellem *lentum* et spuria illa: „hic thorus assyrio" ex una eademque causa possent explicari. *Suco* propter M tenui; *fuco* praefert Heins., sed ap. Claud. quoque, quo provocat, potior auctoritas facit pro *sucos*, in Ruf. I 207 „rapiunt Tyrios ibi vellera *sucos*".

125 Pars habebat figuras intextas aureis filis, pars nitet purpura in fundo, ut videtur, ignei coloris. — *Miscendi* i. q. miscere, genere quodam attractionis. Val. Fl. II. 342 „Tyrio vibrat torus igneus ostro".

126 „Miscere licia" coniungere subtemini diversi coloris. Id proprium erat Aegypti, Plin. VIII. 196 „plurimis vero liciis texere quae polymita appellant Alexandria instituit", ubi paulo ante „colores diversos intexere Babylon maxime celebravit"; sed licia quoque Aegyptia versicolora fuerunt.

127 „Famulae turbae". Cf. IV. 207 „famulas dextras". „Populus" turba, ut de apibus.

128 „Aetas" flos aetatis, ἥβη; noli *discolor* cum hoc iungere.

130 Vulgo „*nullis* in arvis" quasi in hoc genere aliquod discrimen sit inter varia Rheni arva; utique cum nil nisi fortior negatio requiratur, *nullas* ex altera classe μ praestare videtur. Lectio in M dubio non caret.

131 *Rutilas* hoc quoque contra MU obtinent ABE c. rell. Res est notissima.

Ib. „Sanguinis usti" secundum errorem; putabant sanguinem Aethiopum esse nigrum.

132 „Torta caput" Schol. Ber. ap. Web.: „habebat tortuosos capillos". Verior haec sive explicatio sivo divinatio dicenda est, quam Hask. „with twisted hair." Voluit L. crispos, ut videtur, quos Negros vocamus; cincinnis in breve contortis et quasi laneis. „*Tosta* caput" V. caput sic torreri a sole dicitur, sed genus certum eo parum notatur; nam a sole torreri omnium incolarum zonae torridae proprium.

134 „Execta virum" eunuchi. Cf. I. 131 „dedidicit ducem", sic „mutare civem" alia. Quemadmodum *exicare* apud Plautum (= ecsecare, cf. *excidium* = ec-scidium, *exul* = ec-sul) sic apud Luc. quoque *execare* = ecsecare scribendum.

136 *Illic* primus Oud., *toris* probat Hos. Eo ipso quod *discubuere toris* tritum est hemistichium, *toris* videtur librariis deberi, nec probat Heitland C. R. 1895 p. 155.

Caesar. Et inmodice formam fucata nocentem
Nec sceptris contenta suis nec fratre marito,
Plena maris rubri spoliis, colloque comisque
Divitias Cleopatra gerit, cultuque laborat,
Candida Sidonio perlucens pectora filo,
Quod Nilotis acus conpressum pectine Serum
Solvit, et ex denso laxavit stamina velo.
Dentibus hic niveis sectos Atlantide silva
Inposuere orbes, quales ad Caesaris ora
Nec capto venere Iuba. Pro, caecus et amens
Ambitione furor, civilia bella gerenti
Divitias aperire suas, incendere mentem
Hospitis armati. Non sit licet ille nefando
Marte paratus opes mundi quaesisse ruina,
Pone duces priscos et nomina pauperis aevi,
Fabricios Curiosque gravis, hic ille recumbat

137 fucata *in* fuscata *corr.* U, **139** rubro M_1, **141** sidoneo M_1, perlucent vulgo, prolucent (*ut vid.*, *errore bis* perlucent *scribitur*) var. lect. in U, perlucens Hosii A (M Stht), **142** l. Prisc. 162.11 H., id. 259.11 H, sacrum U, percussum V (c̄pssu v), **143** extenso vulgo, ex denso (d *e corr.*) $MABE_1T$, exstenso a, **144** silvas A (silva a) B, **145** qualis BE_1, **146** proh V, **149** nam scit G, **151** duce B_1, **152** fabricos M_1.

137 „Maior potestas" ex legitimo sermone sumtum. Extollitur Caesar eo quod *reges* infra discumbunt. „Reges sunt, inquit Bentl., Ptolemaeus et Cleopatra, lege igitur: *at immodice*, ne Cleopatra non e regibus sit." Non necesse, si quid reliquis praecellit, ut illis missis unum praecipuum iam efferatur, particula adversativa non est opus; *et* = et quidem, et sane. *Reges* fortasse sunt *proceres*, eo sic dicti quod regina iis admixta, cf. ad 106.

142 *Percussum* pro *conpressum* Heins. p. 195, per se optime, nam pecten *plaudere* et *applaudere* Tib. II. 1. 66 et *percutere telam* alibi dicitur, sed h. l. artificium aliquod significatur in evellendis alternis filis texturae, unde fieret rarior et pellucida, Cleopatra habet vestem, quae ostendit potius quam velat venustatem pectoris; *solvit* oppositum est *τῷ conpressum*; pecten densat, dum percutit fila subteminis. Plin. N. H. VI. 54 „Seres lanicio (lanificio) silvarum nobiles, perfusam aqua depectentes frondium canitiem, unde geminus feminis nostris labos redordiendi fila rursusque texendi, — tam longinquo orbe petitur ut in publico matrona traluceat." *Sidonio* i. q. purpureo, de colore intellegendum. *Perlucens* Hos.

143 Non video cur cum Heins. l. l. *extensae—telae*, aut ex Turriano cod. *expansae* legatur. *Velum* Cleopatrae est tela pectus tegens. Sed *ex denso* recepi ex μ, densum erat textum antequam acus laxando adhiberetur.

144 *Sectos*, eo minus causae est cur cum Markl. ad Stat. Silv. II. 1. 215 *caesos* reponatur, quod *secare* etiam de serrae opera dicitur (*serrare* est recentius); crassae arbores per obliquum serra sectae orbes (bladen) dabant ad abacos, cf ad 114. *Dentibus*, elephantinis. Cf. Iuv. XI. 122, Mart. II. 43. *Indis* pro *niveis* ludit Bentl.

146 Burm. Lucanum corrigit suadens *caeso* vel *victo*; ceterum ex Africa istiusmod mensae afferebantur Plin. XIII. 91.

150 sqq. *Rapina* Burm. Apodosis inde a *pone* (151) et ipsa bipertita est; in animo habebat L. post „non sit ille — ruina" (i. e. non sit ille rapax sibi): tamen in triumphum haec cupere posset. Suggerit se ei memoria priscae abstinentiae, itaque dilatat hoc: tamen vel Fabricii Curiique haec cuperent (quanto magis ille!). — Ad *nomina* (151) cf. Mart. XI. 5. 5 „si redeant veteres ingentia nomina patres" et alia in epigrammate illo similia, Zingerle zu spät. Lat. Dicht. II. 20, sq.

Sordidus Etruscis abductus consul aratris, —
Optabit patriae talem duxisse triumphum.
Infudere epulas auro, quod terra, quod aer,
Quod pelagus Nilusque dedit, quod luxus inani
Ambitione furens toto quaesivit in orbe,
Non mandante fame. Multas volucresque ferasque,
Aegypti posuere deos, manibusque ministrat
Niliacas crystallus aquas, gemmaeque capaces
Excepere merum, sed non Mareotidos uvae,
Nobile sed paucis senium cui contulit annis
Indomitum Meroe, cogens spumare Falernum.
Accipiunt sertas nardo florente coronas
Et numquam fugiente rosa: multumque madenti
Infudere comae, quod nondum evanuit aura
Cinnamon, externa nec perdidit aëra terra,
Advectumque recens vicinae messis amomum.
Discit opes Caesar spoliati perdere mundi,
Et gessisse pudet genero cum paupere bellum,
Et causas Martis Phariis cum gentibus optat.
Postquam epulis Bacchoque modum lassata voluptas
Inposuit, longis Caesar producere noctem
Incohat adloquiis: summaque in sede iacentem
Linigerum placidis conpellat Acorea dictis:

153 adductus a, **154** optavit MNU, **155** epulis U (a *s. s. m. rec.*), **158** non — deos (159) l. Prisc. 349.17 H, mandende G s. s. dan, **160** niliacos M_1, crystallos M_1G, crystallis (corr. — llus) A, c(h)ristallus BEVU, **161** accepere U, eccepere V_1, **163** l. schol. Pers. III. 3, Mythogr. Vat. III. 12.3 p. 244 B, Fulgentius Myth. II. 15, **164** l. Serv. Aen., I. 417, **165** numquam fugiente rosa l. Lact. ad Stat. Theb. III. 527, madentes G (madenti g) **166** quod — cynnamum (667) l. Lact. ad Stat. Theb. VI. 61, **167** externae mABE (ex corr.)vTcG, terrae mABE(ex corr.)vTcG, reddidit c, **168** plenae (sic) m. am. l. Serv. Buc. III. 89, messe M_1, amomon U, **171** phariis martis ABE (corr. ex mortis) T, **172** bachoque VU, **174** inchoat A, **175** lanigerum MU, achorea VG.

159 Posuere i. q. apposuere in mensa. *Crystallus* (160) vasa vitrea.

162 „Nobile *nec*" Heins. p. 195 temeraria mutatio (iungit: *nec paucis*), fieri enim optime potest ut tractatione quadam intra paucos annos Falernum in Aegypto aptum fuerit bibendo; vulgo optimum habebatur 15 annorum. Temperare Falernum solebant Chio. *Senium* est cum vinum deferbuit. Senescebat aut maturescebat vinum paucioribus annis aut admisto Meroetico, aut ipso caelo Meroetico, utrum sit verum non docent verba. *Spumare*, ad finem i. q. despumare.

166 Coniecturam suam *quo* iure Heins. in Advv. non recepit, *quod* enim subiectum est etiam ante *perdidit. Evanescere* est: vim amittere. Cic. Div. II. 117 „(vina) evanescunt vetustate". *Aura* quia aëri expositum est.

167 „*Externae* — aëra *terrae*" potest verum esse: „Taprobanes odorem non perdidit", sed nullo modo praeponendum lectioni vulgatae, in qua *externa terra* (ablat. causae) est Aegypto. *Aer* est odor, cf. IV. 439.

„O sacris devote senex, quodque arguit aetas,
Non neglecte deis, Phariae primordia gentis,
Terrarumque situs, volgique edissere mores,
Et ritus formasque deum, quodcumque vetustis
Insculptum est adytis, profer, noscique volentis
Prode deos. Si Cecropium sua sacra Platona
Maiores docuere tui, quis dignior umquam
Hoc fuit auditu mundique capacior hospes?
Fama quidem generi Pharias me duxit ad urbes,
Sed tamen et vestri. Media inter proelia semper
Stellarum caelique plagis superisque vacavi,
Nec meus Eudoxi vincetur fastibus annus.
Sed cum tanta meo vivat sub pectore virtus,
Tantus amor veri, nihil est quod noscere malim,
Quam fluvii causas per saecula tanta latentes
Ignotumque caput. Spes sit mihi certa videndi
Niliacos fontes, bellum civile relinquam".
Finierat, contraque sacer sic orsus Acoreus:
„Fas mihi, magnorum, Caesar, secreta parentum

177 neglecta A, **178** situs MUABG, situm VgR, **179, 180** *In* Vg *horum versuum priora hemistichia ordinem mutarunt, posteriora hemistichia vulgarem tenuerunt, sic ut* quodcunque vetustis *et* noscique volentes *sint vulgari loco*, **180** insultum MUBE, insculptum mueVA, [est] que V, inscriptum G, **181** platona (a *in* e corr) MU, patronem B, platonem, rell., **183** capatior A, **184** generis A_1U_1R, *ph*arias A, me deduxit M_1, **185** vestris A (corr. m. 2) B, **186** *sup.*isque (su*p. ex* curis *corr. videtur quamquam* negat Sht) M, curisque U (superis *u*), **187** l. Serv. Aen. III, 326, Prisc. 256.13 H, **189** mallem M_1, **191** capud M, **193** achoreus VG.

179 Heins. ap. Burm. „*formaeque* deum quodcunque *insculptum* est". *Inscriptum* est Burm. futtili de causa. Post „formas deum" omnia resumuntur i. q. „omnino, quidquid" rell. „Nosci volentes" quos nosse fas est, non deos arcanos.

Ib. Inversus ordo huius et sequentis versus in Vg mera oscitantia est librarii, qui post v. 178 — „edissere mores" transsiluit ad prius hemistichium vs. 180 (pro 179) eoque scripto oculos in exemplum suum retorquens verum locum assequitur et sic inscius aliena coniungit, et similiter proximo versu lapsus est. Apparet librarium per hemistichia scripsisse.

182 *Quis* iungo cum *hospes*. „Quis hospes (convivis suis) unquam dignior fuit auditu quam sacerdos Aegyptiacus?" Nempe *hoc* de Acoreo dicitur. Burm. de Caesare intellegit, at sic in *auditu* haeret. *Hospes* = conviva. „Mundi capax" dicitur qui totum mundum animo *complexus* est. Nam physica Platonem docuerant.

187 *Fastibus*, Servius errorem hunc dicit Lucani Aen. III. 326, sed similiter Sil. It. II. 10 (*fastus*), Val. Max. VIII. 15.3, Colum. IX. 14, ut potius prava consuetudo sit. De eo Vossius, Grotius (ad h. l.), Heins. et Drakenb. (ad Silii l. l. et ad Fastorum Ov. init.) tam multa dixerunt, ut nihil addi possit praeter locum Valerii, de quo dubitabat Drakenb. Priscianus metaplasmum agnoscit. — Eudoxus periodum 8 annorum, Caesar 4 assumsit, qua finita solis et anni initia ad amussim rursus convenirent; melius eatenus, qua dissensus citius corrigebatur, cf. Schol. Guelf. ap. Web. Num Caesar ipse Eudoxum cognoverit an per Sosigenem, quem ad fastos emendandos adhibuit, non apparet.

194—331 edidit H. Diels Seneca und Lucan,

Prodere, ad hoc aevi populis ignota profanis.
Sit pietas aliis miracula tanta silere,
Ast ego caelicolis gratum reor, ire per omnis
Hoc opus, et sacras populis notescere leges.
Sideribus, quae sola fugam moderantur Olympi,
Occurruntque polo, diversa potentia prima
Mundi lege data est. Sol tempora dividit aevi,
Mutat nocte diem, radiisque potentibus astra
Ire vetat, cursusque vagos statione moratur.
Luna suis vicibus Tethyn terrenaque miscet.
Frigida Saturno glacies et zona nivalis
Cessit. Habet ventos incertaque flamina Mavors.
Sub Iove temperies et numquam turbidus aer,
At fecunda Venus cunctarum semina rerum
Possidet; inmensae Cyllenius arbiter undae est.
Hunc ubi pars caeli tenuit, qua mixta Leonis
Sidera sunt Cancro, rabidos qua Sirius ignis
Exerit, et varii mutator circulus anni

195 edere VARTG, adhuc T, **197** atero corr. in: astero R, caelicolas V_1A_1RTG, omnis M_1, **199** l. [Prisc.] 193.5 H, Id. II. 273.18, quaecumque fugam Prisc. bis, moderatur (*n* add. m. 2) U, meditantur c (non C), **199, 200** l. Isid. de nat. rer. XII. 6, **200** potentia cursu Isid. ut vid. Hosio, **201** „Sol — moratur (203) Isid. III. 65.3, de nat rer. XXII. 3. cod. Bern. 610 f. 67^v" (Hos.), aevi UvARGcM Is., anni V, **203** ratione Isid. *plerique*, **204** thetin V, **206** flumine avors M_1, fulmina rell. vulgo, mavos R, **208** ad a. foecunda VU, **209** inmensa R, cellenius U_1, **210** hu.nc U, nunc A, hinc T, **211** rabidos VGA, rapidos UM, sidera...sunt T, siriut T, **212** exerit VUMAG, mutatur AU_1, mutator a c. rell., annis T.

Abhandl. der Berl. Ak. der Wiss., Berl. 1886, cf. „Lucanus de Nilo", Mnem. XXI p. 315–330.

195 *Prodere* illustrat Heins. ad Claud. Rapt. Pros. I. 3, qui sine causa v. 194 *deorum* e Lovaniensi praefert pro *parentum*. *Ire per omnis* = per ora virum; celebrari cf. VII. 543. *Opus*, mundi fabricam, deorum.

199 Planetae suas leges sequuntur, non obediunt motibus reliquorum siderum omnium. Minus apta in designatione certorum siderum lectio Prisciani *quaecunque*. Senec. Cons. ad Marc. 18: „videbis quinque sidera diversas agentia vias et in contrarium praecipiti mundo nitentia". Schol. Bern. ad h. l.: „dicunt physici ·VII· stellas, quarum nomina dies continent, contra caelum niti, quae si non occurrerent (caelo), universa raperet et praecipitaret tanta vertigo." Plin. II. 33. De planetarum potentia in rebus terrestribus cf. L. Oettinger in Pauly's Realenc. V. 1678 et omnino S. Günther in I. Mulleri Handb. d. Kl. Alt. V. 1. 69.

202 Sen. N. Q. VII. 1. 3 „(Sol) sidera abscondit".

203 Isidorus l. l. „quaedam sidera radiis solis praepedita anomala fiunt, aut retrograda, aut *stationaria*, iuxta quod poeta meminit dicens", rell. Potius de solstitio intellegendum; *cursus*, nempe suos.

204 Sen. Dial. I. 1. 4: „lunare sidus, ad cuius arbitrium oceanus exundat"

206 *Flamina* Bentl.

207 *Temperies*, tempestas (weder).

212 „Mutator circulus anni" est tempestatis (jaargetijde). Circulus est „meridianus" quem dicimus, *cardo* a poeta dictus. Duo circuli maiores in polo utroque rectis angulis se secantes (*coluri*), transeuntes per puncta aequinoctialia et solstitialia

Aegoceron Cancrumque tenet, cui subdita Nili
Ora latent; quae cum dominus percussit aquarum
Igne superiecto, tunc Nilus fonte soluto
Exit, ut Oceanus lunaribus incrementis
Iussus adest, auctusque suos non ante coartat,
Quam nox aestivas a sole receperit horas.
Vana fides veterum, Nilo, quod crescat in arva,
Aethiopum prodesse nives. Non arctos in illis
Montibus, aut boreas. Testis tibi sole perusti
Ipse color populi, calidique vaporibus austri.
Adde, quod omne caput fluvii, quodcumque solutas
Praecipitat glacies, ingresso vere tumescit
Prima tabe nivis, Nilus neque suscitat undas
Ante Canis radios, nec ripis adligat amnem
Ante parem nocti, Libra sub iudice, Phoebum.

213 aegocheron M, aegogeron A, aegoseron a, ego soceron T, **214** latent.... M, **215** tunc (non: tum) O, **216** et V_1, **217** auctosque M_1, suos... M, coartatus T, **219** quod VUMT, quo AG, [a]rua A_1, **220** arcthos V, artos M_1 c, **221** sibi MT, perustis T, **223** capud M_1, soluta O vulgo, **225** labe UM, tabe um *c rell.*, **226** rupis M, **227** noctis M_1R.

in quatuor aequales partes aequatorem dividunt; convenientes cum quatuor anni partibus. Contigua sunt sidera Leo et Cancer. Sol est in Sirio 1° Iulio, in Cancro 1° Augusti. Ergo non accurate, sed summatim incrementi Nili tempus dicit mensem Iulium. Aequinoctium est m. Iunio d. 21; *cui* v. 213 pertinet ad *Cancrum; ora* fontes significant. *Caput* similiter duplici sensu dicitur. — Cf. Scaliger et Palmerius apud Oudend. p. 724, Heitland ap. Haskins p. XCII. *Varii* (212) ex eventu, mutat annum; qui sic variatur, melius Heins. *metator*. Pro *tenet* (= secat, transit) Bentl. *ferit*.

214 *Latent. Quae* distinguit Diels, *haec cum* requirit Guyot, Haskins defendit *quae* quodammodo, simile libertatis exemplum laudans IX. 401. Est hoc genus anacoluthiae ubi protasis tanta recipit, ut nihil ad apodosin supersit. Exempla sunt apud Platonem, nec, vel sine exemplo, removenda est e poeta, qualis Lucanus.

216 „Lunaribus incrementis" Sid. Apoll. Carm. 22. 107. — *Ut*, sqq.: cum primum oceanus plenilunio coactus increvit et Nilo opitulatur (*adest*). Si *ut*, ut vulgo, pro particula similitudinis habetur, non explicatur *adest*, sin *et* legas, contextus periodi in sequentibus claudicat.

219 *Quo* Grotius, non mala sed non necessaria correctio.

222 *Calor p. calidisque*, Heinsius teste Burm. Non repetivit Advv. p. 195, ubi, „testis *sibi*." — Nix secundum L. non adest in montibus illis torridis. In eandem partem disputat Seneca; si forte cadant nives aliquae, utique pauciores esse quam quae exeunte demum aestate liquefiant totae, N. IV. 2. 19. Duo argumenta de colore et calidis ventis sumta e Sen. l. l. Cf. Diels p. 10. Copiose de Nilo Lucretius VI. 713—737. Tibullus I. 7. 22. Manil. III. 271. Plenissime opiniones de Nili incrementis aestivis Diod. Sic. I. 36—41, cf Strab. XVI 1. 2—5, XV. 125.

223 In vulgato: „caput fluvii, quodcunque soluta | praecipitat glacies" non agnosco sententiam. Fons fluvii manet semper suo loco nec potest nisi admodum improprie praecipitari. Contra fons praecipitat deorsum aquam glacialem. *Solutas* Cortius e nescio quo MS. laudat, sed ipsa res commendat. Cf. Seneca l. l. 19.

226 *Adligat*, cohibet, infra 255 „Oceano, qui terras adligat omnis". Supra II. 50, Heinsius ad Claud. Ruf. II. 113.

Inde etiam leges aliarum nescit aquarum:
Nec tumet hibernus, cum longe sole remoto
Officiis caret unda suis; dare iussus iniquo
Temperiem caelo, mediis aestatibus exit
Sub torrente plaga, neu terras dissipet ignis,
Nilus adest mundo contraque incensa Leonis
Ora tumet; Cancroque suam torrente Syenen
Inploratus adest, nec campos liberat undis
Donec in autumnum declinet Phoebus, et umbras
Extendat Meroe. Quis causas reddere possit?
Sic iussit natura parens discurrere Nilum,
Sic opus est mundo. Zephyros quoque vana vetustas
His adscripsit aquis, quorum stata tempora flatus
Continuique dies, et in aëra longa potestas:
Vel quod ab occiduo depellunt nubila caelo
Trans noton, et fluvio cogunt incumbere nimbos,
Vel quod aquas totiens rumpentis littora Nili

229 hiberno A (— us m. 2), omnis unda caret C p. 325.21, **230** oficiis M, dare nisus F, **232** ne mA, non T, dissipat A, dissecet G, dissipet b c. rell., ignes A_1, **233** incessa A_1, **234** sienem VU, **235** undas U (undis *corr. m.* 2), inploratus *solus* A (per *n*), adit Ma, **236** phebus declinat (hoc ord.)VRG (ex corr.), au*tumn*um ..... M, **237** meroes UvAR, meroe V *c. rell.*, extendit A_1, posset VM_1, **238** ni quis sit natura V_1, decurrere UM, discurrere VARTG, **239** [mundo] T, zephyros — flatus (240) l. Prisc. 125.3 H, zephiros VU, **240** adscripsit (non adscribit) O, abscripsit R, aquis add. a 2 m U, quorum s. t. f. l. Prisc. 474.15 H, stat M_1, **241** continuitque m, [dies] T, aerem M_1, aere G, aera MVUA, lora M_1, **242** hocciduo U, pellunt tot nubila VRb, aquas totiens *ante ab e* 241 M_1, **243** incurrere g, **244** rumpentes VUmRG, rumpentis MA.

229 *Hiberno* non peccare contra grammaticam animadvertit Burmannus, sed alibi Lucanus nec hoc adverbium nec similia habet.

230 *Caret* = libera est, vacat. Hieme nullus metus est ne terra conflagret, munus Nili est restinguere nimios ardores solis. Haec teleologica explicatio apud Senecam deest. *Nisus* in T propter officii vocabulum postponendum vulgatae.

235 *Inploratus*, de ploratu et eiulatione, qua Nili aqua invocatur, praesertim si paulum cessat, hoc intellegas.

238 Infra 249 *discursus* de aqua divisa per plures canales. Supra VIII. 224, IV. 733 *decurrere* est libere currere, vagari (militare verbum). Cum hoc loco cf. Sen. NQ. IV. 1. 8.: „(Nilus) per totam discurrit Aegyptum".

239 sqq. *His aquis* = huic inundationi. Hypallage, Serv. ad. Aen. III. 61: „classibus austros damus". Duae causae ab etesiis repetuntur, prout ab occidente flant et advehunt nubila, aut a septentrione decursum fluminis impediunt. Altera explicatio est Thaletis. Seneca I. 1. 22: „Si Thaleti credis, etesiae descendenti Nilo resistunt et cursum eius acto contra ostia mari sustinent, ita reverberatus in se recurrit nec crescit, sed exitu prohibitus *resistit* (*resistere* v. 44) et quacunque mox potuit (mox quac. pot.?) inconcessus erumpit". Diels p. 12, Lucr. VI. 715—720. Prior ratio est comparanda cum Democritea apud Diod. I. 39, „*Trans* noton" per meridiem, ubi fons Nili.

244 *Rumpentis* iung. cum *Nili,* non cum *aquas*, *littora* insolenter de ripis *Nili* diceretur et (id quod maius est) ordo verborum (*rumpentis* et *Nili*) suadet. *Flatu* malebat Heinsius, recepit Oudend., reiciunt contra Cortius, Weise, Haskins. Vel struc-

Adsiduo feriunt, coguntque resistere flatu.
Ille mora cursus adversique obice ponti
Aestuat in campos. Sunt, qui spiramina terris
Esse putent, magnosque cavae compagis hiatus;
Commeat hac penitus tacitis discursibus unda,
Frigore ab arctoo medium revocata sub axem,
Cum Phoebus pressit Meroen, tellusque perusta
Illuc duxit aquas. [Trahitur Gangesque Padusque
Per tacitum mundi.] Tunc omnia flumina Nilus
Uno fonte vomens non uno gurgite perfert.
Rumor, ab Oceano, qui terras adligat omnis,
Exundante procul violentum erumpere Nilum,
Aequoreosque sales longo mitescere tractu.
Nec non Oceano pasci Phoebumque polumque
Credimus; hunc, calidi tetigit cum brachia Cancri,
Sol rapit, atque undae plus, quam quod digerat aer,
Tollitur. Hoc noctes referunt, Niloque refundunt.
Ast ego, si tantam ius est mihi solvere litem,
Quasdam, Caesar, aquas post mundi sera peracti
Saecula concussis terrarum erumpere venis,

245 fervunt T, fluctus EVUATg, fluctu MGo, flatu vmR, **246** obiice A, **247** campo M, ispiramina C, **248** compagis.. M, **249** comeat VA, commoveat [hac] Rg, ac UA,T, tacitis penitus G, tacitus M_1, putent (*supra* penitus) u, **251** tum T, mero.en U, **252** panusque V_1, palusque A, padosque corr. in vulg. a, **253** numina T, *verba* „trahitur — mundi" *inclusit editor*, **255** occeano U, aceano A_1, **257** aequoreasque R, **258** phaebum U, polosque UM, polumque ABEVG, **260** atque — aer l. Servius Aen. I. 607. atlq. M_1, **261** profundunt UM (m. 2.: re), **262** tantum M_1, tanta R, fas Vg, **263** peracta A (corr. m. 2), **264** venas V_1, concussit A_1.

ura versus commendat *flatu*. *Fluctu* ineptum, quod otesiis fluctus adscriberetur. De *resistere* cf. ad 239. Interpretatio in Commento: „fluctu] id est venti"; apparet legendum: „flatu i. e. ventis". Heitland Class. Rev. 1895 p. 156: *fluctu*. Nihil muto.

247 *Ispiramina*, fortasse antiqua depravatio, cf. *isceleratus, ispes, ispiritus, inefarius* in Vaticano Philippicarum. Mnem. NS. XIV. 67.

248 *Putant* Cortius invexit et similia alibi „plorantibus licet grammaticellis" inquit ad VI. 593. In hac constructione constantia a poetis non est postulanda.

249 *Commeat* idem vocabulum Seneca NQ. IV. 2. 28, ubi hanc Diogenis Apolloniatae sententiam explicat. *Tectis* Bentleius, quod vocabulum maiore iure restitueretur v. 253: „per tacitum mundi". Schol. „per cavernas latentes", insuavibus tamen numeris, cf. ad I. 178. Requirerem „per latebras mundi". — Nam „per tacitum mundi" esset: dum mundus tacet; *tacitum* enim non est certa pars mundi. Sed inclusa verba inpediunt nexum et per se obscura sunt. Ceterum cf. Sen. NQ. III. 22.

255 *Adligat* cf. ad 226. Affinis huic sententiae apud Senecam est l. l. 22 Euthymenis satis obscura, quam secundum „rumorem" poeta mutavit, Diels p. 16.

258 Sidera et solem ἀναθυμιάσει Oceani ali vetus opinio est, Stoicis quoque probata, a Seneca non memorata, Diels l. l. Eyssenhardt praef. ad Mart. Capellam p. 49. — „Credimus" Aegyptii, pars nostrum.

Non id agente deo, quasdam compage sub ipsa
Cum toto coepisse reor, quas ille creator
Atque opifex rerum certo sub iure cohercet.
Quae tibi noscendi Nilum, Romane, cupido,
Et Phariis Persisque fuit Macetumque tyrannis,
Nullaque non aetas voluit conferre futuris
Notitiam, sed vincit adhuc natura latendi.
Summus Alexander regum, quem Memphis adorat
Invidit Nilo, misitque per ultima terrae
Aethiopum lectos; illos rubicunda perusti
Zona poli tenuit: Nilum videre calentem.
Venit ad occasus mundique extrema Sesostris,
Et Pharios currus regum cervicibus egit;
Ante tamen vestros amnes, Rhodanumque Padumque,
Quam Nilum de fonte bibit. Vesanus in ortus
Cambyses longi populos pervenit ad aevi,
Defectusque epulis et pastus caede suorum
Ignoto te, Nile, redit. Non fabula mendax
Ausa loqui de fonte tuo est, ubicunque videris,

265 ita u, ad R, adigente bg, conpage M, **266** mundo *s. s. m.* 2. A, **267** l. „Aldhelmus p. 322.23 G", cohercet UME, **268** romana A (corr. m. 2 marg.), cupido est AVUM, est romane cupido G, **269** phaeruis T, macedumque V, **272** quem UA (quē), quos VTG, *quos* M, summus regum Alexander M (corr. m. 2), **274** illo T, perhusti T, **275** *cal*entem U, **276** occasus terret mundique ses. U, hoc casus T, **277** cursus M, cervicibus ... agit M, **280** cambisos R, populos longi (hoc ord.) G_1, **281** deflectus a, **282** ingnoto T, fuit G (redit g), **283** videtis M_1.

265 „Non agitante" vel „adigente" Heinsius Advv. p. 195, „nunc id agente" Burmannus. Deum intellegit δημιουργόν, qui post creationem quievit, eo invito aliquot flumina prorumpunt, sic Nilus ab initio fuit. *Compages* est subst. verbale: actus creationis.

271 „Natura latendi" nat. arcani; absconditus situs, qui arcano favet, frustravit sciendi cupidos. „Fiducia latendi" Apul. X. 14.

272 Originem corruptionis monstrat A: *m* ante *Memphis* omissa est et dein locus correctus. Animadvertit Diels *invidit* non posse explicari nisi divina natura Nili, quam Alexander sibi affectabat, significetur, et comparans VIII. 478 verba *quem N. adoret* refert ad *Nilo*, l. l. p. 19. — „Summus A. rerum, quem" Bentl. — Relationem huius expeditionis e Seneca (quem de ea exposuisse appareat e Lydo de mens. IV. p. 98. 3) Posidonii testimonium sequente (Strabo XVII. 790) habuisse poetam suspicatur Diels p. 20. Sed ea narratio pertinet ad comites Alexandri; Lucanus missos dicit exploratores, qui invenerint zonam perustam et vicinia solis flammantem vel vaporantem Nilum, quo redire compulsi sint. *Tenuit* = cohibuit. In Posidonii contra narratione imbres continui ad fontes Nili memorantur. Incertum est igitur, unde Lucanus expeditionem illam, nusquam alibi memoratam, cognitam habuerit. *Cadentem* i. e. catarrhactas Burmannus. „Calidum Nilum" pro loco accepit Schol. Voss. ad III. 233: „(Alexander) cum fontem fluminis Nili quaereret, primo usque ad Thermon (sic U, therinon Oudend.) Nilum venit, inde ad tenebras". Memorabile testimonium, sed apud Lucanum *calentem* non est nomen proprium.

282 *Redit*, perfectum contractum, quo L. in compositis verbi *eo* et in *peto* frequenter utitur, cf. VII. 841, 75, IX. 129, 205, VI. 529, VIII. 320, 422, X. 64, VIII. 701.

Quaereris, et nulli contingit gloria genti,
Ut Nilo sit laeta suo. Tua flumina prodam,
Qua deus, undarum celator, Nile, tuarum
Te mihi nosse dedit. Medio consurgis ab axe:
Ausus in ardentem ripas adtollere Cancrum,
In borean is rectus aquis, mediumque Booten.
Rursus in occasus flexu torqueris et ortus,
Nunc Arabum populis, Libycis nunc aequus harenis,
Teque vident primi, quaerunt tamen hi quoque, Seres,
Aethiopumque teris alieno gurgite campis,
Et te terrarum nescit cui debeat orbis.
Arcanum Natura caput non prodidit ulli,
Nec licuit populis parvom te, Nile, videre,
Amovitque sinus, et gentes maluit ortus
Mirari, quam nosse, tuos. Consurgere in ipsis
Ius tibi solstitiis, aliena crescere bruma,
Atque hiemes adferre tuas, solique vagari
Concessum per utrosque polos: hic quaeritur ortus,

285 nota u, flamina T, **286** quae UM (qua m) quem Rg, **287** se m, medicsurgis T, **289** is add. 2 m. M, es A *erasum m.* 1, **290** cursus vulgo, occasus UAGM occussus v, occasum V, flexus UATC bis, flexu M (s add. m. 2) torquetur O vulgo, **293** teris G (feris g), geris C, **294** et hic U, hic et u, nescit... cui M, **295** capud M_1, **296** *omitt.* EBRT, *inter versus m.* 2 *ponit* A, **297** situs u, ammoritque M_1Rg, *Post* 297 *sequitur* 302 *in* T, **299** solsticiis UM, **300** atque h. a. suas l. Lact. Theb. IV. 708, perferre AG adque M_1, **301** concessum est AT.

285 *Nota* natum ex *lota* (MS. apud Cort.) idque ex *loeta*, ut videtur, etsi in codd. Lucani *laetus* scribi solet. Sententia: ut glorietur natalibus Nili.

287 „Cum surgis" Bentl. ut nexus restitueretur, non propter verbum ipsum, quo frequenter poetae pro simplici utuntur. „Medio ab axe", ab aequatore.

289 *Gelidumque B.* coni. Schrader.

290 Vulgo: „cursus in occasum (— *sus* Oud.) flexu (ante Grot. *flexus*) torquetur et ortus". Quod dedi est Bentleii et Schraderi, qui non noverat Bentleii editionem (ai 1760), cf. Sormani, p. 90. „Curris in occasus, flexu torqueris in ortus" Oudendorp non minore mutatione et prava oppositione. *Occasus* plur. num. e more Lucani (exc. I. 661). *Rursus* cf. in simili descriptione Verg. Georg. I. 97 et infra 309. Secunda persona *torqueris* necessaria post *consurgis, is*, sequente *teque, teris*. Totum versum damnat Guyet, sed praeparat sequentem, Arabia ab oriente, Libye ab occidente.

293 *Teris* aliquando Heinsius, nunc firmatum a Gemblacensi, a campis quasi abrodit aliquid flumen. *Alieno* Burmannus explicat: „apud antipodas, in altero hemisphaerio". Simplicius: peregrino, alienigeno, apud Seres.

295, 296 inverso ordine ponit Bentleius (nec licuit —, arcanum —), ita separans quae manifesto cohaerent: *parvum* et *sinus*, quibus parvulus alitur. — Versus 294 et 295 idem continent, uterque per se bonus et dignus Lucano, quem puto ante editionem alterum utrum fuisse deleturum. Diels 296 eiicit.

299 Aliena a vulgari tempore recedente. Haskins: with winter (i. e. floods which are the sign of winter) out of season. Confirmant explicationem sequentia, in quibus Gronovius Obss. IV. 5 (p. 573 Lips.) sine causa *efferre*.

Illic finis aquae. Late tibi gurgite rupto
Ambitur nigris Meroë fecunda colonis,
Laeta comis ebeni, quae quamvis arbore multa
Frondeat, aestatem nulla sibi mitigat umbra,
Linea tam rectum mundi ferit illa Leonem.
Inde plagas Phoebi, damnum non passus aquarum,
Praeveheris, sterilisque diu metiris arenas,
Nunc omnis unum vires conlectus in amnem,
Nunc vagus, et spargens facilem tibi cedere ripam.
Rursus multifidas revocat piger alveus undas,
Qua dirimunt Arabum populis Aegyptia rura
Regni claustra Philae. Mox te deserta secantem,
ɔ: Qua dirimunt nostrum Rubro commercia Ponto,
Mollis lapsus agit. Quis te tam lene fluentem
Moturum tantas violenti gurgitis iras,
Nile, putet? Sed cum lapsus abrupta viarum
Excepere tuos, et praecipites cataractae,

302 finis adquae M_1, latet ibi MR, latet tibi m, gurgite multo c, rūpto U, **303** meroes VURTAg, meroes *s. s.* .c. a, cf. 312, **305** nullas sibi M_1G (s. s. nulla), aestate G_1, vindicat R (s. s. mitigat) G, umbras G (s. s. umbra), **309** vires unum, hoc ord. AT, **311** multifida.s V (deleta videtur *p*, cf. quod sequitur *piger*) renovat G (revocat g), **312**, **313** om. M, add. m, **312** populos VUMRaG, populis Ag, **313** phylae VUM, philae A s. s. .c. cf. 311, **314** *adest in* ORT, rubri U, commertia AT, ponto VMARTG, ponti U, nostrum O vulgo, **316** totas VUAG, yras U, moturus A.

304, sq. Cf. IX. 529, IV. 672. Sol ipsis arboribus e perpendiculo imminens in nullam partem proicit umbram. Rem quodammodo exaggeratam esse ostendit Palmerius apud Oudend. p. 932.

306 *Linea* Pendlebury apud Haskinsium explicat „the zenith line". Haec igitur recta ex perpendiculo sursum producta, Leonem ferit, regio iacet sub ipso Leone. „*Mundi linea*" dicitur quia ex centro mundi (i. e. terrae) prodit.

312 „Arabum populos Aegyptiaque arva" Gronovius in Cortio—Weberiana, idem Vir D. in Cortiana a. 1726. De commerciis Indiae et Aegypti per mare rubrum vid. Plin. VI. 104—106.

314 Suspectus Oudendorpio et Burmanno. „Quae dirimunt nostri et rubri commercia ponti" Vir Doctus, quem Cortio—Weberiana Gronovium dicit. „Quae d. nostrûm rubro commercia ponto" Weber. „Dirimunt" coll. 312 spurium iudicans Steinhart: „qua pergunt nostri ad rubri commercia ponti", Diels i. l. 22: „qua iungunt nostrum rubro commercia ponto", Kindler: „qua d. nostri rubro commercia ponto". Trampe: „qua tradit nostrum rubro commercia ponto". Conferendus Senec. NQ. IV. 2. 3: „(Nilus) egressus Aethiopiam, arenas[que], per quas ad commercia Indici maris iter est, praelabitur". *Nostrum* Acoreus Aegyptius non potest dicere Mediterraneum mare, si posset poeta oblivisci eius quem loquentem inducit, tamen parum probabile esset, nam exiguum illud intervallum non dirimit duo maria. Versus ex imitatione Senecae natus propterea spurius esse non potest. Videtur *πρωτότυπον* esse versus 312, quem auctor pro eo substituit; sed eo invito utrumque admisit primus editor, et 314 alieno loco inseruit, cum paene evanidum et inde corruptum invenisset. Sententiam esse eandem apparet, et tam dure versus vicinos eisdem vocabulis sic incepisse nullo exemplo defenditur. Dederat poeta: „*quae* dirimunt *nostris* (sc. commerciis) Rubro commercia Ponto", in quibus „Rubro Ponto" attributive adiectum est vocabulo *commercia*, cf. praeter alia: „fuscis Aegyptus alumnis" Prop. II. 33. 15, Mnemosyne a. 1893 p. 324.

Ac nusquam vetitis ullas obsistere cautes
Indignaris aquis; spuma tunc astra lacessis,
Cuncta fremunt undis, ac multo murmure montis
Spumeus invictis canescit fluctibus amnis.
Hinc, Abaton qua nostra vocat veneranda vetustas,
Terra patens primos sentit perculsa tumultus,
Et scopuli, placuit fluvii quos dicere venas,
Quod manifesta novi primum dant signa tumoris.
Hinc montes natura vagis circumdedit undis,
Qui Libyae te, Nile, negent; quos inter in alta
It convalle tacens iam moribus unda receptis.
Prima tibi campos permittit apertaque Memphis
Rura, modumque vetat crescendi ponere ripas.

319 numquam Rg. **320** aquae U, indignatus G_1, indignaris g *o. rell.*, **321** premunt ug, tremunt mbTA, var. lect. ap. Schol. Oud., „id est aquae tremunt" *s. s.* U, **322** invitis UMAG, (invictis a), invicti^{s} V, albescit Vug, albescat T, tabescit u (2_a *var. lect.*), **323** l. Servius Aen. VI. 154, abatos Serv., quam O, vulgo, **324** potens O vulgo, sensit ATg, sentit a *c. rell.*, perculsa UTA, percussa rell. vulgo, **325** fluvi q^{o}s A_1 fluvionos a, **326** vel manifesta (*omisso* quod) g, timoris U_1Tg, **327** undas M, undis m *c rell.*, hic c. **328** nile... M_1, nile add. m. 2 U, negant V, libie R, *et* alta V, et g, 329 i*t* U, it VMa, id A, in vg, et mcTG, iacens VumaG, iam VUMA, stat (pro: iam) v (ant. m.) Tg, motibus VR, montibus G, molibus v (rec. m) mg, mollibus AB, moribus UM, unda quietis V, receptis v c. rell., **331** votat c.

319 „Nusquam vetitis", i. q. nusquam alibi reiectis.

321 Expressum e Verg. Aen. I. 38: „magno cum murmure montis". *Κατάδουπα*, Herod. II. 17.

322 *Invictis*, Heinsius lusit: „impactis vel illisis" sed etiam *invitis* praefert prae *invictis*, Advv. p. 195. Burmannus tentat *infestis*.

323 *Qua* scripsi pro tradito *quam* i. e. ubi *est* locus (Abatos rupes, *Petra* vid. Sen.), quem nostra vetustas vocat, *ὅπου κέκληται*. Pro „terra potens" (324) Salmasius „petra patens", quod Grotio „non displicet", addens: „*petra dividitur* ait Seneca". Sed cum aliis minus recte Senecam interpretatur NQ. IV. 2. 7 „exiguo ab hac (insula Philis) spatio petra dividitur", ibi enim *petra* est ablativus et subiectum *Nilus*. *Potens* frustra defendit Burmannus conferens „herbae potentes" et simm. Terra patens i. e. plana (cf. „campi patentes") et scopuli (inquit poeta) sentiunt primos quotannis adventantis aquae tumultus. Terra tremens (*perculsa* = concussa) et scopuli, ex quibus tanquam ex speculis procul increscens aqua conspicitur, dant indicia. Sine causa *colit* pro *vocat* Oudend.; cf. *venas*. Aegyptiaca nomina conversa sunt. *Perculsa* Salm. quoque.

325 *Venas* cf. Sen. l. l. „duo emicant scopuli, *Nili venas* vocant incolae", sequentia „ex quibus magna vis funditur" lacunosa cf. Mnem. l. l. Coniunctivus *negent* non est necessarius (Cortius *negant*) sed non expellendus.

328 Lectio recepta debetur Grotio in 3ª ed. Salmasius (et Grotius in prima): „ut alta | in convalle iacens stat molibus unda quietis". Grotium probarunt Heinsius (Claud. XVII. 233). Gronovius Diatr. Stat. 183, 305 H et secuti editores plerique; Burm. *ut alta* | *it*, Heise, Haskins: *iacens*. Tanquam infans (cf. 297 *parvum*, *sinus*) nunc tandem ad bonos mores venit et vagitu abstinet, cf. Statius Achill. II 184 „(leo) mores Accepit" (= domitus est). Plin. XXXVI. 127 „(magnes) pedes ei inpertivit et mores (ferro)". Hosius Njahrb. 1893 p. 338 confert praeterea „mores caeli" Verg. Georg. I. 51, „fluminis" Lucr. I. 296 „maris" Stat. Silv. III. 2. 87, „accepit regia mores" Sil. XIV. 87.

Sic velut in tuta securi pace trahebant
Noctis iter mediae; sed non vesana Pothini
Mens inbuta semel sacra iam caede vacabat
A scelerum motu. Magno nihil ille perempto
Iam putat esse nefas: habitant sub pectore manes,
Ultricesque deae dant in nova monstra furorem.
Dignatur viles isto quoque sanguine dextras,
Quo Fortuna parat victos perfundere patres,
Poenaque civilis belli, vindicta senatus
Paene data est famulo. Procul hoc avertite, fata,
Crimen, ut haec Bruto cervix absente secetur.
In scelus it Pharium Romani poena tyranni,
Exemplumque perit. Struit audax inrita fatis,
Nec parat occultae caedem committere fraudi,
Invictumque ducem detecto Marte lacessit.
Tantum animi delicta dabant, ut colla ferire
Caesaris et socerum iungi tibi, Magne, iuberet;
Atque haec dicta monet famulos perferre fidelis
Ad Pompeianae socium sibi caedis Achillam,
Quem puer inbellis cunctis praefecerat armis,
Et dederat ferrum, nullo sibi iure retento,
In cunctos, in seque simul. „Tu mollibus, inquit,
Nunc incumbe toris, et pinguis exige somnos:
Invasit Cleopatra domum. Nec prodita tantum est,

332 veut (l. s. s.) M, ut tuta G, parte R, trahebat T, **333** et potini T, **334** sacra tam M, sacra iam UV, tam sacra ABEC, **335** nil ipse perempto ET, nis ipse V_1, **337** victricesque AB_1ET, umbrae ABKEuRT, **338** viles M (faries m) AUV (s. s. faciles) CG, **339** vocat a, partes u, **341** famuli B_1, fama A (m. 2 fa.ta) B_1, **343** *it* M_1 (ut vid. in ras. scit), id A, et a, paene V (a s. s. m. rec.), **344** istruit C_1 cf. 247, st*ruit* M, fati a, fata Rg, **346** lacesses A, **347** feriro U_1 (e s. s.), ferires T, feriret R, **348** sibi ABE, iuberes Rg, **349** atquae M, **350** Achillam l. Prisc. 234.4 H, achillan G, 352 retentum a, **355** intravit (*sic*) Cl. domum l. Prisc. II. 303.15 H.

334 *Sacrata* vel *scelerata* Heins. teste Burm. Ante Oud. erat *tam sacra*, quod correctioni simile est ex *sacra tam*. *Sacra iam* Hos. Ad *monstra* (337) cf. IV. 243, 253.

338 *Pharias* pro *vilis*, in nullo bono cod. a 1a m. inventum, non sine causa placuit Haskinsio, nam sic Aegyptii et Romani aptius opponuntur; inest tamen illa oppositio etiam in vulg. Ante *dignatur* subi. Pothinus. Heins. volebat *victas partes* pro *patres* ut est in u, *sanctos patres* Bentl. Sed Fortunae ludibrio convenit *victos* erigere, afflictos consolari vindicta.

344 *Fati* et *fata* aliena, homo non *struit* fata; *inrita fatis* i. q. irrita propter fata, eventu. Sic C cum rell. praeter aRg.

347 *Ferire*, de activo post *iubere* multi; si commodum, conferat quis luculentissimam penum Oudendorpii ad h. l. *Feriri* deteriores et latet fort. in monstro illo *feriro* (U). Non una de causa praestat *ferire*.

Sed donata Pharos. Cessas accurrere solus
Ad dominae thalamos? Nubit soror inpia fratri,
Nam Latio iam nupta duci est, interque maritos
Discurrens Aegypton habet, Romamque meretur.
Expugnare senem potuit Cleopatra venenis;
Crede, miser, puero, quem nox si iunxerit una,
Et semel amplexus incesto pectore passus
Hauserit obscenum titulo pietatis amorem,
Meque tuumque caput per singula forsitan illi
Oscula donabit. Crucibus flammisque luemus,
Si fuerit formonsa soror. Nil undique restat
Auxilii: rex hinc coniunx, hinc Caesar adulter,
Et sumus, ut fatear, tam saeva iudice sontes.
Quem non ex nobis credet Cleopatra nocentem,
A quo casta fuit? Per te quod fecimus una
Perdidimusque nefas, perque ictum sanguine Magni
Foedus, ades, subito bellum molire tumultu,

356 foras A (pharos a) B_1, **357** iam latio iam T, nupsit (*e* nubit *corr.*), A (nūsit *marg.* a) BT. **358** tam nupta E_1, **361** puerum vR, quam A (quem a) B, ulla m AET illa *ut vid.* B, luxerit U_1(ut vid.), **362** incenso g, pasus M (s m. 2 add.), **363** auserit A, **364** capud M (t m. 2), **365** donabat A (s. s. i) B, **366** formonsa M_1, **367** r. hic R, **368** et fatear M_1u, **369** e A, credit ABEg, faciet g, **370** certe quod R, rogo per quod V, **372** adest AB_1 adesto u, mollire A.

356 *Solus,* quia, ut videtur, aditum habebat ad cubiculum dominae, poterat solus penetrare; cum comitibus suspitionem Caesarianis fecisset. *Solus* non cum *cessas* iungendum. „Donata Pharos" a Caesare Cleopatrae; ipsi favent Ptolemaeo, et oderunt Cleopatram.

357 *Nubit* non verum praesens est, sed ut in pactis, conventis, stipulatis usurpatur praesens de eo quod constitutum est et iamiam effectum habebit. Sic: „dodrantem accipit Gaius" (= secundum tabulas accipiet) – „Achaia cedit Romanis, Aetoli liberi sunt". Quod praesenti tempore constitutum describitur, non momentum praesens, quasi nunc ipsum concumberet Cleopatra cum fratre; nam Achillas ad cubiculum Cleopatrae mittitur, ut *Caesarem* interficiat, ut ex sequentibus apparet. Futurum *nubet* minus congrueret cum sequenti *nam.* Heins. *nubet* (vel *nupsit*) soror impia fratri: iam Lat. n. n. d. e." (Advv. p. 196).

359 *Meretur* invidiose, noctibus suis, quasi *meretrix.*

361 Heins. Advv. p. 196: „crede miser: *puerum, cui* nox si iunxerit una meque tuumque caput" rell. aut „*puero quam* nox" rell. Non capio.

366 „Si fuerit formosa" non est hoc languidum, ut Burmanno videtur; intellegitur *illi*: si decore suo se (fratri) commendaverit, si placuerit (nos fere: si pulcrum diem habuerit). Haec brevitas multo mordacior est quam correctiones „si visa est f." Heinsii, et „si subeat formosa soror" Burmanni. – Schrad.: „si *flevit* formosa", additum *formosa* tamen me iudice pro vulg. facit.

Ib. „Undique nihil est" satis inepte dicitur; si nihil est usquam, quid refert dicere unde hoce nihil nascatur. *Undique* includit motus significationem minus aptam iuxta *restat.* „*Undique* minantur pericula", „*nusquam* quidquam *est*". Recte puto Heins. „nil *denique* restat" (Advv. p. 196).

370 „Per te". Omissio verbi *oro* in imploratione non est licentia poetica, sed ex vulgari usu repetenda cf. Liv. XXIX. 18 „per vos fidem vestram, P. C., priusquam eorum scelus expiaritis, ne quid usquam rei gesseritis". Cf. Verg. A. X. 369, 597.

Inrue; nocturnas rumpamus funere taedas,
Crudelemque toris dominam mactemus in ipsis
Cum quocunque viro. Nec nos deterreat ausis
Hesperii fortuna ducis, quae sustulit illum
Inposuitque orbi: communis gloria nobis,
Nos quoque sublimis Magnus facit. Adspice littus,
Spem nostri sceleris, pollutos consule fluctus,
Quid liceat nobis, tumulumque e pulvere parvo
Adspice, Pompeii non omnia membra tegentem.
Quem metuis, par huius erat. Non sanguine clari?
Quid refert? Nec opes populorum ac regna movemus?
Ad scelus ingentis fati sumus: adtrahit illos
In nostras fortuna manus. En, altera venit
Victima nobilior. Placemus caede secunda
Hesperias gentes; iugulus mihi Caesaris haustus
Hoc praestare potest, Pompeii caede nocentis
Ut populus Romanus amet. Quid nomina tanta
Horremus viresque ducis, quibus ille relictus
Miles erit? Nox haec peraget civilia bella,
Inferiasque dabit populis et mittet ad umbras,
Quod debetur adhuc mundo caput. Ite feroces

373 nocturnas MAVUG, nocturnus a G, foedere G (funere g), **376** ne nos abstineas C, ab ausis a, **377** urbi U, **380** quod UC(quid u), liceat e add. 2 m. M, **382** quem — erat l. Prisc. II. 220,7 H, erit EU, **383** et BRT, *nec opes* populonecregna U, *m.* 2 *s. s.* ru *et del.* nec, populo nec V, **384** ingentes (*ex corr.*) MCVR, facti (c s. s.) M, *attrahit* U, **385** vestras al. nostras U, in altera nobis ABEG, in altere venit a, **387** hesperies M (a s. s. m 2), hespereas u, iugul*us* U, **389** quod u, numina AB_1T (nomina a). **390** relictus AG_1T, relictis rell. vulg. **391** peraget (....) MVAug, peragit UG, **392** populos m, **393** quid G (quod g) capud M_1 ut saepe.

373 *Nocturnus* probavit Weis. sine causa; „nocturnas taedas" i. q. nocturnum concubitum. Nunc dubitat num cum Caesare an cum Ptolemaeo concumbat Cleopatra, contra 385 sqq., 357.

376 Vulgo distinguitur plene post *ducis*, ut *gloria* dicatur Caesarem imposuisse orbi, sed *gloria* ex imperio orbis *nata* est, Caesaris *fortuna* eum sustulit et imposuit.

379 „Spem nostri sceleris" scilicet tumulata in littore ossa Pompeii animos dabant ad novum scelus.

380 „Pulvis parvus" ut parvum aes 409.

382, sq. Per formam interrogationis obicitur aliquid, quasi: „dices non clari sumus". Respondetur per „quid refert?" — „Opes non movemus?" Respondetur: fatum nostrum (fortuna nostra) compensat virium defectum. „Ingentis *fati*" i. q. momenti fato dati. Fortuna hostes nostros ad nos attrahit. Nobilitatis fatum (natura datum) est imperare, nostrum malefacere (nati sumus ad scelus).

387 *Haustus*, hoc quoque simplex pro composito i. q. *exhaustus* exinanitus sanguine. Sic saepius.

390 Vulgo *relictis. Quibus relictis* est: quos cum reliquerit, sponte sua. Id est contra sententiam, quae postulat: quibus ille destitutus. Recepi igitur *relictus* ex AT. *Relinquor* pro *destituor* non eget demonstratione. *Quibus* est dativus auctoris = „a quibus" id quod nexus clare ostendit. Cf. VII. 83 „propera ne te tua classica linquant" a te deficiant, te non morentur.

Caesaris in iugulum; praestet Lagea iuventus
Hoc regi, Romana sibi. Tu parce morari:
Plenum epulis, madidumque mero Venerique paratum
Invenies, aude! Superos tot vota Catonum
Brutorumque tibi tribuent." Non segnis Achillas
Suadenti parere nefas. Haud clara movendis,
Ut mos, signa dedit castris nec prodidit arma
Ullius clangore tubae; temere omnia saevi
Instrumenta rapit belli. Pars maxima turbae
Plebis erat Latiae, sed tanta oblivio mentes
Cepit, in externos corrupto milite mores,
Ut duce sub famulo iussuque satellitis irent.
[Quos erat indignum Phario parere tyranno.]
Nulla fides pietasque viris, qui castra secuntur,
Venalesque manus; ibi fas, ubi proxima merces;
Aere merent parvo, iugulumque in Caesaris ire
Non sibi dant. Pro fas! ubi non civilia bella
Invenit imperii fatum miserabile nostri?
Thessaliae subducta acies in littore Nili
More furit patrio. Quid te plus, Magne, recepto

395 egi (r s. s. m 2) M, ne u, parce.. M, **396** veneri — tribuent (398) in marg, 2 m. M, **397** avidi R, superi MAVU, **398** tribuet G, non lentus (s. s. i) MA(m. 2 segnis s. s.) BEUG, segnis Vg, **403** mentis VARG, **404** coepit MVUG, **405** iret G_1, **407** secuntur MA, sequntur c, **408** proxima mAUBTG, maxima MVE, **409** aere m. parvo l. Servius A. V. 801, *omisso nomine Lucani*, aere *alteram* e *m.* 2 *add.* A, irae T, **410** proh V, **412** thessalicae G, **413** plus te MAcG, recepit A (recepto a) B, accepto u *ut vid.*

395 „Romana sibi". Erant sub Achilla milites olim Gabiniani et fugitivi Romani, sed aliorum quoque sperare poterat opem. Caes. Civ. III. 110.

397 Optime post Oud. *Superos* idque, Grotii exemplar manibus tenens, Bentl. coni. *Superi* rursus Weis. et Hos. Nihil assequitur Heins.: *gaude superi quod* (teste Burm.). Vota a Catonibus Brutisque tam saepe nuncupata pro libertate et morte Caesaris conciliabunt deos tuo suscepto. „*Superi* tribuent tibi tot vota Catonum" praeferrem, si de multis votis (de pluribus desideratis) ageretur. Cato unam rem saepius ardenter petiverat; ideo aptius: „tot vota Catonum et Brutorum dabunt tibi deos benevolos" quam „dii tot vota".

403 Ad *Latiae* glossa in U: „Gabinii sc." *Mentis* in Var. Lect. notavi quod, cum saepius accusativum in *es* terminent librarii, probabile est voluisse eos „oblivio mentis", praesertim quod prox. versu *coepit* in multis est.

406 Qui gravia praegressa verba bene percepit, sentiet quam frigida haec sint, quae cum Achillas et Pothinus ipsi parerent regi, iterant superiora.

407 *Secuntur* lucri causa, et „venales manus", mercennarios comitantur.

408 *Proxima*, futuro tempore, ubi primum lucrum expectari potest; praeda non excluditur.

410 „Non sibi dant" sed *iussi* agunt. „Ubi non civilia bella?" hic quoque Romani Romanis oppositi.

412 sq. Qui insontes sunt caedis Thessalicae, alibi tamen bellum civile inveniunt; nam non peius esset si Pompeius, hic receptus, cum Caesare decertaret.

413 „*Marte* furit patrio, Heins. Acerbe mos iam Romanus dicitur inter se furere.

Ausa foret Lagea domus? Dat scilicet omnis
Dextera quod debet Superis, nullique vacare
Fas est Romano. Latium sic scindere corpus
Dis placitum: non in soceri generique favorem
Discedunt populi: civilia bella satelles
Movit, et in partem Romani venit Achillas,
Et nisi fata manus a sanguine Caesaris arcent,
Hae vincent partes. Aderat maturus uterque,
Et districta epulis ad cunctas aula patebat
Insidias, poteratque cruor per regia fundi
Pocula Caesareus, mensaeque incumbere cervix.
Sed metuunt belli trepidos in nocte tumultus,
Ne caedes confusa manu permissaque fatis
Te, Ptolemaee, trahat. Tanta est fiducia ferri:
Non rapuere nefas, summi contempta facultas
Est operis: visum famulis reparabile damnum,
Illam mactandi dimittere Caesaris horam.
Servatur poenas in aperta luce daturus.

414 omnes M_1, **415** vacari u, **418** discedant C, **419** *versum hunc in marg. m.* 2 *habent* MU (*praeposito* al.) *et pro eo in textu* instaurat primus magno succedit achillas, *sed punctis supra positis* M, *eundem versum U in textu post* 418, *sed subductum*, primas M_1 — romanam V, **420** arcent caesaris a sanguine *in marg. repet* A, **421** vincunt VR, **422** destricta VUR, patebant U, **423** regiam R, mundi T, **424** incumber (e s. s.) M, **426** ni M (ne m), caed.s M, ṁanus V_1R, **427** belli ma, **428** contenta VRT, **429** ast B_1, dampnum M *ut saepe*, **430** *aptam* M, ullam ABvTR, demittere A, permittere·G, **431** daturos a.

414 „Dat scilicet". Ironice et impie; pro sacris, quae deis obtulerunt accipiunt quisque suam partem — belli! *Vacare* nempe a scelere belli civilis.

417 sqq. Non in soceri generique (iam mortui) discedunt favorem copiae, sed in Achillae et Caesaris: Achillas pro Pompeio in Caesarem bellum suscepit, et in Romani hominis hereditatem successit. Heinsii coniectura Advv. p. 196 optime locus explicatur: „et in partem *proh! Magni* venit Achillas", sed correctione non opus est; *Romanum* quisque intellegit Pompeium esse. Eadem explicatione nititur versus spurius: „instaurat primus, Magno succedit Achillas". Rarum et ni fallor unicum exemplum in M, quo subditicius versus in textum subrepsit, *et genuinum expulit in marginem*, idque h. l. est etiam in U factum, non in aliis. De facto tamen non potest dubitari, nam illud *primus* sive iungatur cum *instaurat*, sive cum *succedit*, ad versum scil. explendum inventum est; postrema autem vocabula „Magno succedit Achillas" glossa sunt versus genuini; duobus vocabulis additis extitit cento, qui pridem detectus est, sed quo ostenditur maxima affinitas librorum MU, simul non oportere iurare vel in optimos libros.

Ib. „In partem Romanam" sunt qui probent; hoc utique recte se haberet si *Romanus* et *Aegyptiacus* sibi opponerentur, sed utrimque pars Romana erat. Significantius etiam *Romani; pars Romana* esse potest p. urbis Romae, quod non aptum.

421 *Vincunt* Oud., Cort.; non male, sed sine idonea auctoritate.

427 „Tanta est fiducia ferri" semicolon hic requiritur, ut in novissima editione; *κατὰ κῶλα* et paratactice instituta oratio pro: „tanta fiducia erat ferri (i. e. in armis, quibus superiores erant), ut non raperent (ut differrent) scelus. Contempta est opportunitas summa operis". Sic *summa* expectes. Dubitari non potest de fide lectionis, et *summi* nihil esse nisi: difficillimi vel postremi, id quod Hask. voluit: the occasion for *completing* their work.

Donata est nox una duci, vixitque Pothini
Munere Phoebeos Caesar dilatus in ortus.
  Lucifer a Casia prospexit rupe, diemque
Misit in Aegyptum, primo quoque sole calentem,
Cum procul a muris acies non sparsa maniplis,
Nec vaga conspicitur, sed iustos qualis ad hostes
Recta fronte venit. Passuri comminus arma,
Laturique ruunt. At Caesar, maenibus urbis
Diffisus, foribus clausae se protegit aulae,
Degeneres passus latebras. Nec tota vacabat
Regia conpresso; minima collegerat arma
Parte domus; tangunt animos iraeque metusque,
Et timet incursus, indignaturque timere.
Sic fremit in parvis fera nobilis abdita claustris,
Et frangit rabidos praemorso carcere dentes,
Nec secus in Siculis fureret tua flamma cavernis,
Obstrueret summam si quis tibi, Mulciber, Aetnam.
Audax Thessalici nuper qui rupe sub Haemi
Hesperiae cunctos proceres aciemque senatus
Pompeiumque ducem, causa sperare vetante,
Non timuit, — fatumque sibi promisit inicum —
Expavit servile nefas, intraque penates

432 donatur V, [nox] U_1, vixitque.... Phothini M, **434** prospexit .... rupe M, **435** aegypton G, cadento A (calentem a), cadentem B_1, **436** e G, **437** victos g, in V (ad v), **438** tecta T, **439** facturique R_1, **440** aula B_1, **441** degenere M (s. s. e.), **442** compressa au, compressus R_1, **446** rapidos AUT, rabidos MVG, **447** secus in *add. m* 2 U, seculis U_1, **448** abstrueret U, si qui (s. s. s) M, aethn(a)e ABu, aetnam hM, **449** qui nuper ABEG, **451** causas $AEUV_1TG$, vetantem AEUG, **452** iniqum U, **453** servare R.

435 „Primo quŏque sole" i. q. Aegyptum, quae etiam primo statim sole (inde ab aurora) calet.

445 *Claustris, clathris* se malle dicit Heins. ad Claud. de Cons. Stilich. III. 272, Advv. p. 196, sed haec non est causa mutandi, cum praesertim generalius vocabulum aptum sit, aeque atque *carcer* IV. 237.

447 Non cum Mulcibro Caesar comparatur sed cum flamma inclusa in monte.

449 Haemum Thraciae montem collocat in Thessalia; etsi cogitavit de proelio ad Dyrrhachium, error manet.

451 „Causa sperare vetante". Supra VII. 349 „causa iubet melior Superos sperare secundos". Peior causa Caesaris erat secundum Lucanum; non timuit Caesar etsi opem deorum sperare non poterat. Non recte Weis. ex Argentinensi *spectare*.

452 „Fatumque sibi promisit inicum" haec non coordinata sunt cum *non timuit*, in quo ne erraretur, seclusi ea parenthetice. Additamentum extra contextum repetit et urget sententiam, quae est in „causa sperare vetante", quasi: et re vera sibi vaticinatus est interitum. *Promittere* in malam partem. Voc. medium est natura sua i. q. ostentare. „Me — promisi ultorem". Verg. A. II. 96, *promittere* = praedicere Cic. Fam. VI. 1. 5 „si mihi alterum utrum de eventu — promittendum esset", rell.

453 „(Nunc) expavit servile nefas", servi Acorei vindictam et poenam metuebat.

Obruitur telis, quem non violasset Alanus,
Non Scytha, non fixo qui ludit in hospite Maurus;
Hic, cui Romani spatium non sufficit orbis,
Parvaque regna putat Tyriis cum Gadibus Indos,
Ceu puer inbellis, seu captis femina muris,
Quaerit tuta domus: spem vitae in limine clauso
Ponit et incerto lustrat vagus atria cursu;
Non sine rege tamen, quem ducit in omnia secum,
Sumpturus poenas et grata piacula morti,
Missurusque tuum, si non sint tela nec ignes,
In famulos, Ptolemaee, caput. Sic barbara Colchis
Creditur, ultorem metuens regnique fugaeque,
Ense suo fratrisque simul cervice parata
Expectasse patrem. Cogunt tamen ultima rerum
Spem pacis tentare ducem, missusque satelles
Regius, ut saevos absentis voce tyranni
Corriperet famulos, quo bellum auctore moverent.
Sed neque ius mundi valuit, neque foedera sancta
Gentibus: orator regis pacisque sequester

454 alannus M_1, **455** fixa AB_1, mauros A (corr.: us a) B_1, **457** putet M_1U, **458** ceu captis vulgo, seu MU, vel captis ABT, **459** lumine M_1, cluso AB, **463** sunt (m. 2 corr. sint) U, **464** colches A, **466** suum g, sua uv, **467** expectassem E, **468** spem fatis A, praestare a, **469** voce.... M, **471** neque f. ABEV, **472** orator..regis pacisque.. sequester M.

458 „*Ceu* captis" vulgo. Est ea anaphora satis vehemens in quam proni fuere librarii *seu* — *seu* ob oculos habentes, non intellegentes *seu* — *seu* esse disiunctiva, non item *ceu*. Recte MU *seu*, cf. VII. 691.

462 „Grata piacula morti" non pendent a *sumpturus*, sed apposita sunt ad *quem*; per *et*, ut saepe, iuncta sunt duo membra non prorsus aequalia, consilii (*sumpturus*) et causae (quia *piacula* essent ipsi *grata*).

465 „Regni" quod periclitabatur rapto vellere aureo.

466 *Suo* V, sed glossa: „propria cervice atque fratris cervice". Haec pertinet ad lectionem *sua*, manifesto falsam, non enim se ipsam erat interfectura, sed Absyrtum solum, ergo non *suam* cervicem habebat paratam; *parata* igitur pertinet ad *ense* et ad *cervice*.

472 sqq. Gronovius Obss. I. 6 p. 44, sqq. ed. Lips. explicat: „legatus violatus dat aestimare, qualia sint illa, quae in tuorum scelerum serie et ordine sint habenda et numeranda" (p. 46). Heins. „non se expedit". Grotius: *res minima* conicit aut aliquid excidisse putat. Oud.: *victima fit*. Burm.: „*ense cadis* — *ponenda*" aut sim. Omnes tamen praeter Gronovium, quem in expedienda difficultate vix agnosco, haerere se fatentur. Unus Weis. nihil pulcrius aut verius lectione codicum dicit, tacite Gronovium exscribens. Sed is non probavit longe repetitis exemplis *aestimat* dici posse, quemadmodum vult, pro documento est, specimen est (geeft een maatstaf ter beoordeeling), huc enim redit eius explicatio. Plura ei obstant. Coniecturae autem a similitudine litterarum nullam habent commendationem. Lacunam esse puto inter *sequester* et *aestimat*, quia in utroque versu desunt necessaria; non enim in priore potuit omitti *caesus*, in altero *ponenda* non habet quo referatur. Nam summatim *orator* pro *orator caesus* dictum non debet conferri cum talibus: *post Rhodani gentes* sc. subactas, *post urbem* scil. conditam, in quibus omittitur brevitatis causa id *quod*

Aestimat in numero scelerum ponenda tuorum,
Tot monstris Aegypte nocens. Non Thessala tellus,
Vastaque regna Iubae, non Pontus et inpia signa
Pharnacis, et gelido circumfluus orbis Hibero
Tantum ausus scelerum, non Syrtis barbara, quantum
Deliciae fecere tuae. Premit undique bellum,
Inque domum iam tela cadunt, quassantque penates.
Non aries, uno moturus limina pulsu,
Fracturusque domum, non ulla est machina belli,
Nec flammis mandatur opus, sed caeca iuventus
Consilii vastos ambit divisa penates,
Et nusquam totis incursat viribus agmen.
Fata vetant, murique vicem Fortuna tuetur.
Nec non et ratibus tentatur regia, qua se
Protulit in medios audaci margine fluctus
Ambitiosa domus. Sed adest defensor ubique
Caesar, et hos aditu gladiis, hos ignibus arcet,
Obsessusque gerit — tanta est constantia mentis —
Expugnantis opus: piceo iubet unguine tinctas

473 suorum M_1, **474** thesala T, **477** *alia manus hinc incipit in* A, ausi R, **480** imo T, lumina A, **481** dom. nulla U, nonnulla A_1g, non illa B, *post* est: ibi s. s. u, **483** penites A, **485** vi*cem* M, ducem g, **487** pertulit V (pro v), audici A, audantia B_1, **483** luxoriasa (ss. u et o) M, luxuriosa UvG, ambiciosa AVRg, **489** aditus AVUGc (aditum M dubitanter Steinh.), **490** regit R, fiducia mentis AVR, menti BE, **491** picio M_1, tantas B, tactas C.

nemo ignorat, h. l. dicendum erat caesum esse legatum, quod nunc lector nescit. Plura igitur suadent excidisse unum duosve versus huius sententiae: „(orator et sequester) caesus — haec quis non (aestimat) — ?" Multis de hoc loco Web. vol. II. p. 397, sq. Cf. Caes. Civ. III. 109. Lucanus haec ex Livio hausisse videtur, cf. Schol. Voss. ad 471, Liv. frgm. lib. CXII.

478 „Deliciae tuae" spadones tui, Ganymedes, Achillas, Pothinus.

480 Eleganter Heins. *unco,* propter cornua incurva arietis, sed cf. ad 483.

483 In omnibus est *divisa,* nec *diversa* aut *divolsa* est in auxilium adhibendum, stolida iuventus diviserat copias, et *nusquam universis* copiis aggreditur, cf. v. 481, eadem non ariete pulsabat fores, qui uno pulsu rem confecisset (480).

485 „Murique vicem Fortuna tuetur" aut: tuetur eos pro muro, aut tuetur partes muri, ut in noto Horatiano ad Pis. 193, „defendere partes" i. q. sustinere. Prius praefero.

488 Praetuli *ambitiosa* prae *luxuriosa*; quod ad fidem codd. attinet, MU in hac parte pro uno fere sunt, cf. ad 417, Ashb. habet *ambitiosa,* proinde id invenitur in utraque codd. familia. *Luxuriosa* est, ut opinor, interpretatio, nec hoc loco cogitaverim de aedificando usque in mare, cf. Hor. C. III. 24. 3, sed de arroganti splendore domus, quae prae reliquis oculos allicit, fere = *superba, splendida* quae se ingerit (obtrudit) oculis. Sic „ornamenta ambitiosa (pretentious)" Hor. ad Pis. 447. Supra 156 „luxus inani | ambitione (ostentatione) furens". — „Audaci margine" prolata est domus, quae sic in praerupto stat, ut ruinam minari videatur.

489 *Aditus* ante Oud. et revocavit Hos. mihi non perspicuum.

Lampadas inmitti cunctis in vela carinis.
Nec piger ignis erat per stuppea vincula perque
Manantis cera tabulas, et tempore eodem
Transtraque nautarum summique arsere ceruchi.
Iam prope semustae merguntur in aequora classes,
Iamque hostes et tela natant. Nec puppibus ignis
Incubuit solis: sed quae vicina fuere
Tecta mari, longis rapuere vaporibus ignem,
Et cladem fovere noti, percussaque flamma
Turbine, non alio motu per tecta cucurrit,
Quam solet aetherio lampas discurrere sulco,
Materiaque carens atque ardens aere solo.
  Illa lues clausa paulum revocavit ab aula
Urbis in auxilium populos. Nec tempora cladis
Perdidit in somnos, sed caeca nocte carinis
Insiluit Caesar, semper feliciter usus
Praecipiti cursu bellorum, et tempore rapto.
Tunc claustrum pelagi cepit Pharon. Insula quondam

492 cunctis AG, iunctis rell. m.ela (in tela?) m. invela ABEVG, bella MU v, **493** stupea UT, **494** cerae B_1T, caera Vu, **495** transtaque M_1, cheruchi (h priorem add. m 2) AG, cerucae G, **496** aequora M, aequore rell., **497** inque ABEGR, natent M_1, **499** mare (s. s. i) M, crebrius G (longis g), ignes G, **500** ut AB_1V (et v), classem a, **502** aetherio M (— rii *Stht*), aerio AVGR, decurrere AG, **503** atque — solo l. Serv. A. VII. 142, toto BEUT, **504** paulum clausa AUGT, causa (*del.* l) U, ab illa U (corr. m 2), **505** temptare cladis B_1, leg. et clausus U *supra* cladis, **506** insomnis M, carinas B, **507** felicibus AUT, **509** nunc — muris (511) l. Serv. A. XI. 262, nunc MUG, tunc m AEbVugc.

492 „Iunctis in bella carinis" vulgo obscura sententia. Ex AG recepi *cunctis*. Id in Cortianis quibusdam inventum non intellegit Burm. et tamen recte et perspicue dictum fatebitur qui considerat „cunctis carinis inmitti faces" minime durum esse, hoc autem addito *in vela* magis definiri, quasi „in cunctarum vela".

499 *Vaporibus* diuturno calore et siccitate. Cf. ad IX. 588. Vapores qui exhalantur ex corporibus sub radiis solis pro ipso calore dicuntur.

501 *Tecta* h. l. culmina domorum, paulo ante aedificia ipsa.

502 Fulmen aut fulgur (weerlicht) caducum dicit, non stellam caducam; *lampas* de fulmine poetae Graeci (Euripides et Aeschylus) saepius usurpant, et sic intellexit Servius A. VII. 142. *Sulcus* est via inter nubes, quam percurrere fulmen celerrimo motu, proxima illustrans, videtur. Tertium comparationis est celeritas sparsi ignis et solo aëre (vapore, aere calido) propagati. Ceterum fulmen est Lucano et Senecae aer ardens nubibus expressus. De fulgoribus Seneca N. Q. I. 15. 2 „ex his fulgoribus quaedam praeceps eunt, similes (corr. similia) prosilientibus stellis." Horum alimentum est aer, ib. *Materia* sc. solida.

Ib. *Decurrere* etsi ad naturam fulminis exprimendam sit aptius (sic AG), tamen postponendum visum est, quod verbum *discurrere* accommodatum est ad rem illustratam, flamma ab uno ad alterum aedificium *discurrit*.

504 „Clausa ab aula" ab obsidione regiae. *Cladis* infligendae Alexandrinis; requiem, quam levata obsidio dabat, non perdidit.

509 *Nunc* ex oppositione cum *quondam*, aliena ab h. l. natum videtur. Manifesto per *insula quondam* narratio incipit.

In medio stetit illa mari, sub tempore vatis
Proteos: at nunc est Pellaeis proxima muris.
Illa duci geminos bellorum praestitit usus:
Abstulit excursus et fauces aequoris hosti;
Caesaris auxiliis aditus et libera ponti
Ostia permisit. Nec poenas inde Pothini
Distulit ulterius; sed non qua debuit ira,
Non cruce, non flammis rapuit, non dente ferarum;
Heu facinus! gladio cervix male caesa pependit:
Magni morte perit! — Nec non, subrepta paratis
A famulo Ganymede dolis, pervenit ad hostes
Caesaris Arsinoë: quae castra carentia rege,
Ut proles Lagea, tenet, famulumque tyranni
Terribilem iusto transegit Achillea ferro.

510 *in marg.* G, **511** pellaeis est Serv., est del. 1 m. A, laeis s. s. g (lageis) U, **512** duo R_1, bellorum MUG, ad bellum AVRg, **514** Caesar et OCT, auxiliis aditus. libera.. ponti hostia MBG (BG sine lac.), auxiliis ut vidit AVUTgc, **515** .... *imissit* (permisit Stht) *nec poenas inde .... pothini* M, permisset BG, ostia non fatum meriti poenasque Pothini AbEVUGR, et poenas B. unde B, factum VU, **516** qua non EGT, **517** avido AVgR, rapuit MBvU (*ex* rapiet *corr.* u) GT, **519** subrecta (*ex* surrepta *corr.*) V, **520** dolus T. **521** arsenoae AB, arsenoe RT, **522** fam. — ferro (523) l. Prisc. 277.13 H, tirannis R, **523** iusso *aut* iussu Prisc., achillae Prisc. 234 H.

514, 515. Duae conformationes versus apparent e var. lect.: „Caesaris (libri: Caesar et) auxiliis aditus ac libera ponti" sic fere MBG et „Caesar et auxiliis ut vidit libera ponti" reliqui. Ex his altera exstitisse videtur e correctione falsa; *Caesaris* corruptum erat in *Caesar et*; sic *Caesar* subiectum fiebat ad *abstulit* et *aditus* pendebat a *permisit*. At a *permisit* non apte pendet illud, quasi Caesar exorandus fuisset ut sua auxilia admitteret. Parum concinnum est etiam (512): „*illa* duci praestitit usus, abstulit *dux* (Caesar)." — Altera loci forma „Caesar et auxiliis ut vidit libera ponti" continuata est sic: „ostia, non fatum (sic pro *permisit* scriptum) meriti poenasque Pothini | distulit" i. e. non fatum meriti fatum distulit", ubi duae res copulantur alienae inter se „liber aditus ad portum" et „fatum Pothini", quasi retardata esset eius mors portu clauso. Quo fit etiam, ut „gemini usus", quos praestitit Pharos, obscurentur; prior utilitas erat quod exitus hosti erat clausus, altera quod auxilia libere commeare ad Caesarem poterant. Hoc posterius iam copulatur parum apte cum poena Pothini. Omnibus occurrit difficultatibus Canteri coniectura *Caesaris* cum lectione MBG *permisit* ab eo recepta; unum tantum offendit, non valde grave, asyndeton alterius membri *Caesaris auxiliis*. — In M indicia sunt lacunae quae supra notavi et *hostia* cum superiore versu coniunctum. Videtur locus in exemplari poetae lacunosus fuisse. *Caesar et* Hos., reliqua ut supra. Heinsium p. 197 sciens praetereo. — De morte Pothini, qui se amicum Caesaris simulabat cf. Caes. Civ. III fin.

518 „Heu facinus" quod interficiebatur morte Pompeii, gladio (519). Tragoedias excitat, ut aliquid certe possit in Caesare vituperare. Versum expellit Heins. p. 198. Cf. Burm. Sylloge Epist. III. 458 et V. 518.

519 Caesar Civ. III. 112. 9 „filia minor Ptolemaei regis (Arsinoë) — ad Achillam se ex regia traiecit, unaque bellum administrare coepit".

521 Rursus comparent vestigia Livii. Schol. Vratislav. (i. e. Guil. Capellae de Auletta vir doctus saec. XV, qui antiquos fontes habuisse videtur, cf. Weber III p. XXXII) post alia: haec (Arsinoe) Achillam peremit et exercitum sola habuit. Hunc Ganymedem Caesar Aegypto domita in triumphum duxit; ita habetur per Livium in XIV (lege IV) libro belli civilis (= l. CXII). Cf. etiam Scholion ap. Oud. Dio C. XLII. 40.

523 „Transegit" i. q. transigendum cura-

Altera, Magne, tuis iam victima mittitur umbris:
Nec satis hoc Fortuna putat. Procul absit, ut ista
Vindictae sit summa tuae. Non ipse tyrannus
Sufficit in poenas, non omnis regia Lagi,
Dum patrii veniant in viscera Caesaris enses,
Magnus inultus erit. Sed non auctore furoris
Sublato cecidit rabies, nam rursus in arma
Auspiciis Ganymedis eunt ac multa secundo
Proelia Marte gerunt. Potuit discrimine summo
Caesaris, una dies in famam et saecula mitti.
  Molis in exiguae spatio stipantibus armis,
Dum parat in vacuas Martem transferre carinas
Dux Latius, tota subito formidine belli
Cingitur: hinc densae praetexunt littora classes,
Hinc tergo insultant pedites, via nulla salutis,
Non fuga, non virtus, vix spes quoque mortis honestae.
Non acie fusa, nec magnae stragis acervis
Vincendus tunc Caesar erat, sed sanguine nullo.
Captus sorte loci pendet, dubiusne timeret,
Optaretne mori. Respexit in agmine denso

524 tuis en vict. g, **525** hoc *om.* M, s. s. m, ut instar R_1, **526** tyrrannus M, **527** regia lagil. CGl. V. 142 et 240 *regia* M, 528 *veniant in viscera Caesaris en*ses M, *qui usque ad finem partem versuum in rasura scriptam habet*, **529—532** *partim evanida* M, **530** non rursus Bu, **531** suspicys E, **532** nullo V (summo v) gR, magno G, **534—546** *partim evanida* M exiguo BEGT, **535** paret (s. s. at) A, **536** subito AEURT, subitus V, subitus (s. in ras.) M (subito Stht), subiti G, **537** ense U, **538** hinc — saluti (*sic*) l. Aldhelmus p. 231.26 (G 519 M), M *ut vulgo* (p. non ulla, *ut vid. Sthto*), **539** nec spes G, **540** non magnae V, acervi B, acervo AbEVG, acervis URgAM (? cf. ad 528). Nec magna est . . . gis acervis u, **541** vincendus iam V, **542** dubiosne M_1, meret B_1, **543** obtaretne A.

vit, sic enim referunt auctores ad 521 laudati. Accusativus tanquam ab Ἀχιλλεύς.

528 *Patrii* opp. *exteri* non *patriae*, nec *Patrum*.

532 „Discrimine summo" magno quod Caesar incucurrit periculo, si Caesar caesus esset, potuisset ille dies in perpetuum memorabilis esse. „Discr. *parvo*" Heins. teste Burm., in Advv. p. 198 memorat „discr. *nullo*"; quid velit, non liquet. „*Una* dies" Caesaris, certe una, fatalis.

536 *Subitus* Heins. ex Vossiano 1: quae auctoritas non sufficit dissentientibus reliquis, *subito* Heitl. l. l. p. 156; *subitus* Hos. nec dubium quin *possit* dici.

542 *Timeret* supplendum „et fugeret". Militi timor includit fugam, Homero φόβος est fuga, Spartanis ὁ τρεσᾶς qui fugit. Diversus usus est verbi *timere* apud Senecam, cf. Gron. ad Herc. Oet. 269.

543 „Respexit" Schol. Voss. „Sensus hic est: respexit Caesar ad Scaevam et ad campos, Epidamne, tuos; et haec cogitans gesta fortiter dimicavit". Quasi locus esset reminiscendi! Inventa est haec interpretatio, ne locus pugnaret cum VI. 255, ubi tela Scaevae suspendunt eius sodales, unde tamen non sequitur, eum mortuum esse, cf. ad i. l. Caesar Civ. III. 53 eum superfuisse testatur.

Scaevam, perpetuae meritum iam nomina famae
Ad campos, Epidamne, tuos, ubi solus apertis
Obsedit muris calcantem maenia Magnum.

544 nomine T, **545** opidamne A, epidaune V, opidano T.
Subscriptio in M: Paulus Constantinopolitanus emendavi manu mea solus | Mannei Lucani explicit liber x l...ti vita et p̄fectura | sc..ptori .... & fortuna.
Paulus — solus ut supra U. Mannei . Lucani . civilis belli liber . . explicit U. Vid. vol. I. p. XXXIV sq.

546 *Obsedi'*. Circumvallatione, ad quam castellum Scaevae pertinebat, clausus erat Pompeius, muros perfregerat, sed retinebatur a Scaeva. *Obsedit* igitur i. q. fecit ut obsideretur. „Calcantem maenia" int. de propugnaculis.

CONSPECTUS PHARSALIAE. [1]

I Causae et origo belli civilis (1—182)

Caesar Rubicone traiecto Ariminum occupat (— 260). a. 49 a. C. 10/11 Ian. (v. 218)

Tribuni Caesarem conveniunt (261 sqq.).

Populi Galliae evocati (392—465).

Roma consternata. Arruns sacrificat. Figulus et matrona futura usque ad Philippos praedicunt (466—695 fin.) 17 Ian. (v. 489)

II Romae lamentationes matronarum et senum (— 66).

Horrores belli Mariani a sene Romano descripti (— 233).

Cato M. Bruto exponit cur Pompeium sequatur (— 325).

Marciam mortuo Hortensio ad se fugientem domo sua uxorem recipit (— 379). Mores Catonis (380—391).

Pompeius Capuae belli sedem collocat (392).

Descriptio Italiae (396—438). Apenninus eam „erigit" et irrigat.

Caesar Etruriam, Umbriam, Picenum occupat devictis aliis et Domitio, quem Corfinii captum dimittit (— 525), quo facto:

Pompeius Brundisium concedit, unde frustra a

---

[1]) Quo magis rerum capita in oculos incurrant, graviora loco distincta sunt, levia omissa.

Caesare obsessus in Graeciam evadit (— 736, (fin.). 17 Mart.

III Somnium Pompeii (— 40). Appellit in Epirum (43).

Romam Caesar occupat et diripit aerarium (— 168).

In Epiro Pompeius colligit vires, recensus copiarum (— 297).

Caesar frustra auditis legatis Massiliensium (305—372), urbem obsidet, quae res cum traheretur, ipse ante expugnationem urbis in Hispaniam tendit (453); ad Massiliam varia fortuna pugnatur (— 508). m. Aprili exeunte.

Sacra silva excisa 399 sqq.

Pugna navalis ad Stoechadas, in qua vincit D. Brutus Caesaris legatus (— 762 fin.).

IV Bellum Afranianum (— 401). secundum Luc. m. Martio susceptum, re vera tribus mensibus post cf. ad IV. 4 et Exc. ad IV.

In Illyrico Volteius cum suis victi a Pompeianis voluntaria morte occumbunt (— 580). d. 15 m. Iunii, ad IV 525.

Curio in Africa victus a Iuba interficitur (— 780).

Epiphonema ad Curionem (698—824, fin.).

V Lentulus consul in Macedonia senatum habet, a quo Pompeius belli dux dicitur (— 64). m. Decembr. 49, paulo ante Kal. Ian. 48, cf. V. 5.

Appius (A. Claudius cons. a. 54) consulit oraculum Delphicum de sua sorte (— 236).

Caesar ex Hispania reversus compescit milites rebellantes prope Placentiam (— 380).

Habitis comitiis consularibus, quibus ipse dictator creatur, Brundisio cum exercitu in Epirum traicit et ad Apsum fl. castra locat (— 475). creatus m. Ianuario a. 48 (Feriae Latinae v. 400) traicit hieme etiamtunc cf. 407.

Frustra M. Antonium expectans lembo traicere in Italiam conatur, tempestate repulsus (— 702).

Antonius transmissas in Epirum copias cum Caesare iungit (— 721).

Pompeius Corneliam Lesbon amandat (— 815, fin.).

VI Bellum Dyrrhachinum. Pompeius operibus Caesaris inclusus, perfringere conatus prohibetur a Scaeva centurione (— 262).

Alibi paulo post Pompeius perrumpit et Caesarem repellit (— 313).

Bellum in Thessaliam translatum (— 332).

Thessalia describitur (313—412).

S. Pompeius avidus noscendi futura consulit magam Thessalam Erichthonem. Necyomantia (— 830, fin.).

VII Proelium Pharsalicum (1—585). 9 Aug. 48

Vespera praegressa somnium Pompeio oblatum (1—44).

Ciceronis oratio et Pompeii responsum (60—150).

Prodigia in Pharsalico campo et Italia (— 213).

M. Brutus intentus Caesaris iugulo fato impeditur (586, sqq.).

Caesar Domitium caedit (597—616).

Fuga Pompeii (647—727).

Caesar invadit castra Pompeii et insultat victis (— 846).

VIII Pompeius evadit Lesbum et cum uxore petit Aegyptum (1—471). aequinoctio autumnali v. 468: 21 Sept. (vulgo 28 S.)

Congressus cum uxore (50—108).

Concilium Celendris habitum (256—455).

Pompeius prope Pelusium dolo e nave sua abductus ab Achilla iugulatur (– 636).

Concilium regis Ptolemaei habitum in monte Casio, prope Pelusium (472—535).

Corneliae luctus (627 sqq.).

Cordus comburit corpus et ossa legit (712—822).

Apostrophe ad Aegyptum (—fin.).

IX Cornelia cum Sexto aufugit Cyprum et inde in Africam ad castra Catonis (— 217).

Pompeii apotheosis (1—18).

Luctus de Pompeio renovatus 167 sqq.

Epicaedium a Catone pronuntiatum (186—214).

Cato captis Cyrenis per desertum cum exercitu Leptin tendit (295—949).

Cilicum discessus duce Tarchondimoto (215—294).

Syrtes (294—318).

Tritonis (319 sqq.).

Africa (411—497).

Ammonis oraculum (511—586).

Serpentes venefici (619—941).

Caesar in Aegyptum Pompeium insequitur et mortuum comperit (— 1108 fin.).

Visit Troadem (950 sqq.)

X Cleopatra, impetrata Caesaris gratia eum convivio excipit (— 331).

Alexandri M. sepulcrum (— 52).

Acoreus de Nilo (193 sqq.).

Caesar ab Achilla et Pothino obsessus incensa hostili classe et urbe sibi consulit (332—505).

Pothini ad Achillam oratio (352—398).

Pharos a Caesare occupata (504—546).

Interemptis Pothino et Achilla novum periculum imminet a Ganymede et Arsinoe (— fin.).

EX SUETONII VITA LUCANI

QUAE EXTANT.

[M. Annaeus Lucanus Cordubensis] prima ingenii experimenta in [1]) Neronis laudibus dedit quinquennalium [2]) certamine, dein civile bellum, quod a [3]) Pompeio et Caesare gestum est, recitavit [4])... ut praefatione quadam aetatem et initia sua cum Vergilio conparans ausus sit dicere „et quantum mihi restat ad Culicem!" [5]). Hic initio adulescentiae, cum ob infestum matrimonium [6]) patrem suum ruri agere longissime cognovisset [7]) ... revocatus Athenis a Nerone cohortique amicorum additus atque etiam quaestura honoratus. Non tamen permansit in gratia, siquidem aegre ferens <quod Nero se> [8]) recitante subito ac nulla nisi refrige-

Vitam hanc ediderunt C. F. Weber, Vitae M. Annaei Lucani, part. I, progr. Marburg., 1856, Reifferscheid, Suetoni Tranqu. reliquiae, Lips. 1860, p. 50 sqq. 392 sqq., Usener, Comm. Bern. 1869, p. 3 sqq., H. Genthe, de vita Lucani, Hosius p. 332 sqq. *Codicibus a Reiff. et Us. adhibitis addidi* Dav. (D) *et* Cassellanum (K). *Variae lectiones horum codd.*: M (Montep.) BC (= Bern. 45 et 370) P (Parisini 7502) S (Sixiani) item codd. KD *deiectum dedi. Suetonio haec vita inde a Scaligero adscribitur ab Oud., reliquis.* Cf. Ritschl. Parerg. p. 617 sqq., Reifferscheid, l. l. p. 367 sqq., Weber l. l. p. 5. *Dictionem cum Suetoniana convenire demonstrat Weber l. l.* p. 6.

---

[1]) in *om.* K.

[2]) *sic* M, quinquennali rell.

[3]) cum *libri*, cum Pompeio a Caesare Oud.

[4]) *lacunae signa in libris desunt*; *Brixiensis eam explet verbis* qui tantae levitatis et immoderatae linguae fuit, *et inde Oud.*; *excidisse videtur notatio aetatis poetae.*

[5]) *i. e. ad annum, quo Vergilius Culicem composuit, ex probabili coniectura Ribbeckii App. Verg. p.* 19 *vicesimum sextum.* Statius in Genethliaco Lucani Silv, II. 7.73: „haec (Pharsaliam) primo iuvenis canes sub aevo, | ante annos culicis Maroniani".

[6]) infestum matri animum Usener.

[7]) cum ob — longissime *om. K., indicia lacunae in codd. desunt.*

[8]) quod Nero se *suppl. Reiffersch.*, recitantes KDS recitante se Oud.

randi [9]) sui causa indicto [10]) senatu recessisset, neque verbis adversus principem neque factis excitantibus [11]) post haec temperavit adeo ut quondam in latrinis publicis clariore [12]) crepitu [13]) ventris emisso [14]) hemistichium Neronis magna consessorum fuga [15]) pronuntiarit: „sub terris tonuisse putes.'' Sed et famoso carmine cum ipsum tum potentissimos amicorum gravissime proscidit. Ad extremum paene signifer Pisonianae coniurationis extitit, multus [16]) in gloria tyrannicidarum palam praedicanda [17]) ac plenus minarum, usque eo intemperans, ut Caesaris caput [18])... proximo cuique iactaret. Verum detecta coniuratione nequaquam parem animi constantiam praestitit; facile enim confessus et ad humillimas devolutus preces matrem quoque innoxiam inter socios nominavit, sperans inpietatem sibi apud parricidam principem profuturam. Inpetrato autem mortis arbitrio libero codicillos ad patrem [19]) corrigendis quibusdam versibus suis exaravit, epulatusque largiter bracchia ad secandas venas praebuit medico. Poemata [20]) eius etiam [21]) praelegi memini, confici [22]) vero ac proponi venalia [23]) non tantum operose et diligenter, sed inepte quoque.

---

[9]) cf. *Suet. Claud.* 41 „*refrigeratus*'' *in recitatione.*

[10]) indicta *edd. veteres*; indicto senatu *mihi suspecta.*

[11]) excitantibus O. Iahn, extantibus *libri. Delet Steinhart.*

[12]) clamore D, vett. edd.

[13]) cum *ante* crepitu *add. libri*; strepitu KCS.

[14]) emissi *libri*; *scripsi* emisso *deleto* cum; *omittit Reiff.*

[15]) [fuga] facta D, pronuntiavit *id.*, facta *addendum aut* cum *ante consessorum*; cu sessorum MBP.

[16]) multus B *ex corr.*, multum D, multis rell., *corr. Graevius.*

[17]) praedicenda *codd.*, *corr. Grotius.*

[18]) *deesse aliquid post* caput *vidit Genthe.*

[19]) fratrem *Osannus ex coni.*

[20]) poemata et sqq. ad fin. *desunt in* D.

[21]) post mortem *excidisse putat Heinrichius, sine causa idonea, si haec sunt Suetonii verba.*

[22]) conscribi Burm.

[23]) praeposita venalia K. veno ac p. [v.] Weber, ac veno proponi [venalia] Usener *coll. Tacit.* Ann. XIV. 15 „et posita veno irritamenta luxui'', *post* vero: exempla *excidisse putat Heinrich. Reliquis non mutatis pro* venalia *scribendum puto*: volumina. Ornata *post* quoque *fortasse excidit, etsi in neglegentiore sermone adverbia cum* confici *iungi possunt. Est autem haec vita non integra sed e Suetonio contracta. Inscriptionem in* D „ex dimidiato codice particula ad poetae huius vitam pertinens sumpta'' *refero ad morem librariorum, veluti in MK, Pharsaliam in duo volumina* I—VI, VII—X *dividendi.*

LUCANI VITA

EX COMMENTARIO ANTIQUISSIMO (VACCAE).

M. Annaeus Lucanus patrem habuit M. Annaeum Melam [1]) ex provincia Baetica Hispaniae ulterioris [1]), Cordubensem, equitem Romanum illustrem inter suos, notum Romae et propter Senecam fratrem, clarum per omnes virtutes virum, et propter studium vitae quietioris, quod sequens magis a turba recedebat, <at> minus latebat [2]). Matrem habuit et regionis eiusdem et urbis, Aciliam nomine, Acilii Lucani filiam, oratoris, operae apud proconsules frequentis et apud clarissimos viros non nullius ingenii, adeo non improbandus, ut in scriptis aliquibus hodieque duret eius memoria, cuius cognomen huic [3]) inditum apparet. Natus est III Non. Novembres C. Caesare [Augusto] [4]) Germanico II L. Apronio [5]) Caesiano conss. Sed in patria sua non valuit educari, fatorum, credo, decretis, ut id ingenium, quod orbem fama sui impleturum cresceret [6]), in domina mundi aleretur urbe. Octavum enim mensem agens Romam translatus est. Ac ne dispar eventus in eo narraretur eius, qui in Hesiodo

Vitam hanc ex tribus codd. saec. XI—XIII: Monacensi (Mon.) Bernensi (B) *et* Wallersteinensi (W) *edidit C. F. Weber, progr. Marburg.* 1856, *et inde Reifferscheid, Suet. Rell. p.* 76 *sqq. et Hosius. Contuli Daventriensem* (*D*). *In antiquissimis editt. iam extat. Vaccae* „expositoris" *Lucani saec. VI* (?) *hanc esse coniecit Web.* l. l. p. 15, *editionis vol.* III p. IV, *quia scholia in Lucanum* (*in quibus aliquoties Vacca laudatur*) *sint Vaccae omnia hisque in codd. multis vita haec praeposita sit. Idem sententiam retractat et Vaccam ad saec. III vel IV refert, aeque incerta suspitione usus, de duplici Pharsaliae exordio p.* 11.

---

1) *De eo cf.* Tac. Ann. XVI. 17. *Pro* ulterioris *vulgo*: interioris.

2) Stemma Annaeorum:

M. Annaeus Seneca (rhetor), uxor Helvia

1. M. Annaeus Novatus, a (L.) Iunio Gallione adoptatus dictus est L. Iunius Gallio
2. L. Annaeus Seneca (philosophus)
3. M. Annaeus Mela, uxor Acilia
   | Lucanus

3) *codd. praeter B addunt* poetae.

4) Augusto *etiam* D, *seclusit* Reiff.

5) Apronio Weber, *libri*: primo (a⁰ 792/39).

6) et *add. codd. praeter Mon.*

refertur, cum opinio hunc [7]) non dissimilis maneret, cunas infantis, quibus ferebatur, apes circumvolarunt osque insedere [8]) complures, aut dulcem iam tum spiritum eius [9]) haurientes, aut facundum et, qualem nunc existimamus [10]), significantes. A [11]) praeceptoribus tunc eminentissimis est eruditus eosque intra breve temporis spatium ingenio adaequavit, una vero studentes superavit profectibus. Declamavit et Graece et Latine cum magna admiratione audientium. Ob quod puerili mutato in senatorium cultum et in notitiam Caesaris Neronis facile pervenit et honore vixdum aetati debito [12]) dignus iudicatus est. Gessit autem quaesturam, in qua cum collegis more tunc usitato munus gladiatorium edidit secundo populi favore. Sacerdotium etiam accepit auguratus. Equidem hactenus tempora habuit secunda. Quae sequuntur autem, mutata invidia et odio Neronis, <quae> ipsi exitium, domesticis luctum miserabilem attulerunt. Cum inter amicos enim Caesaris tam conspicuus fieret profectus <eius> [13]), in poetica frequenter offendebat [14]), quippe et certamine penteterico [15]) acto in Pompeii theatro, laudibus recitatis in Neronem [16]), fuerat coronatus, et ex tempore Orphea scriptum [17]) in experimentum adversum [18]) complures ediderat poetas, et tres [19]) libros, quales videmus. Qua re inimicum sibi fecit imperatorem [20]). Quo ambitiosa vanitate [21]) non ho-

---

[7]) hunc *Reiff*, *libri*: tunc.

[8]) insidere *libri et Hos.*, insedere *Web.*, *Reiff.*

[9]) haurientis *Reiff. cum* Mon., *reliqui codd.* inhaurientes.

[10]) *sic D cum vett. edd.*, *rell.*: aestimamus.

[11]) a *om. codd.*

[12]) *Aetas quaestoria sub Impp.* 25us *annus, subinde maturior.*

[13]) eius *add. Reiff.*, profectibus *ex coni. Web.*

[14]) *Codd.* ostendebatur *aut* (BD) offendebatur, *quod Reiff. tenet addito*: Nero.

[15]) *sic B, reliqui codd.* pentaterico.

[16]) laudibus recitante Nerone D *et vett. edd.*: *veram lectionem Web. restituit ex* Mon. BW; laureis *pro* laudibus *Taberii est inventum.*

[17]) ex tempore *iung. cum* scriptum.

[18]) ac verum *D c. rell. codd.*, *emendavit* Web.

[19]) ceteros *coni. Web. ratus haec pertinere ad omnes libros qui Vaccae tempore extabant, fere = quos novimus; sed collatis verbis infra scriptis:* reliqui enim septem belli civilis *vulgo de Pharsaliae libris agi statuitur.* Quales videmus *scil. emendatos; oppositi septem libri* non *emendati a poeta, vid. infra.*

[20]) quare — imperatorem *om. D.*

[21]) unitate W, imitante BD.

minum tantum, sed et artium sibi principatum vindicante, interdictum est ei poetica, interdictum est etiam causarum actionibus. Hoc factum Caesaris iuvenili aestimans animi ardore speransque ultionem, a coniuratis in caedem Neronis socius adsumptus est, sed parum fauste. Deceptus [22]) enim a Pisone et consularibus aliisque praetura perfunctis illustribus viris, dum vindictam expetit, in mortem irruit. Nam sua sponte coactus vita excedere, venas sibi praecidit periitque [23]) prid. Kal. Maias Attico Vestino et Nerva Silano coss., XXVI [24]) aetatis annum agens, non sine iactura utilitatis cum patriae, quae tantam immature amisit indolem, tum studiorum quoque. Reliqui enim VII belli civilis libri locum calumniantibus tanquam mendosi non darent, qui, tametsi sub vero crimine, non egent [25]) patrocinio; in eisdem dici quod in Ovidii libris praescribitur, potest: „emendaturus, si licuisset, erat''. Exstant eius complures et alii, ut Iliacon [26]), Saturnalia, Catachthonion [27]), Silvarum X, tragoedia Medea imperfecta, salticae fabulae XIV [28]) et Appammate [29]), prosa orationes in Octavium Sagittam et pro eo [30]), de incendio Urbis [31]), epistularum [32]) ex Campania, non fastidiendi quidem omnes, tales tamen ut belli civilis videantur accessio.

---

[22]) est *add. D et vulgo editores.*

[23]) A. u. 818/65.

[24]) XXVII libri, Mon. XXVIII, corr. Hanke; *Luc. natus III Nonas Nov. a.* 792, *mense Aprili exeunte a.* 818 26 *annos nondum expleverat.*

[25]) qui — non egent *om. Mon., eorum loco:* h d, *i. q.* hic deest.

[26]) Stat. Silv. II. 7. 54—56.

[27]) Mon. καταχθόνιον; *reliqui variis modis corrupti. Orphei descensus ad inferos fortasse significatur. Cf. Statius l. l. v.* 57.

[28]) salaticae facies D.

[29]) et appamata Mon. vulgo: hippammata, *emendatio incerta;* [et] epigrammata *Reiff.*, et alia poemata *Cartault*, et (ac) poematia *Jeep; ad rem equestrem Neronis pertinere coniicit Weber*; hypomnemata *Gyraldus. Omnia incerta. Mon. optimi cod. lectio erat repraesentanda. Prox. versu libri* orationem.

[30]) eodem inc. *codd. Cf. Tac. A.* XIII. 44.

[31]) de incendio urbis Stat. l. l. 60, sq.

[32]) *Excidit* liber *aut sim.*

LUCANI VITA

E VOSSIANO SECUNDO (U).

Lucanus iste Hispanus genere, Cordubensis fuit regione, dignitate vero et eruditione Romanus, qui primo apud Imperatorem Neronem maximum potuit, adeo ut etiam de componendis versibus nonnumquam inter se contenderent. Sed postea accusatus est, quod consensisset factae coniurationi contra Imperatorem. Cumque non inveniretur in eo talis constantia, qualis putabatur — nam et cito obiectum [1]) sibi crimen prodidit et matrem, quae innocens erat, accusavit, quod particeps coniurationis fuisset — morti adiudicatus est data sibi optione mortis, ut qua vellet morte periret. Qui largiter epulatus iussit sibi archiatrum accersiri [2]) et incisis omnibus venis corporis periit. Unde morte praeoccupatus quaedam, quae inchoaverat, imperfecta reliquit. Nam mortem Pompeii atque Catonis descripsit. Libellos etiam suos inemendatos avunculo [3]) suo Senecae, ut eos emendaret, tradidit.

Sciendum quia primo iste liber a Lucano non ita [4]) est inchoatus sed taliter: „Quis furor, o cives, quae tanta licentia [5]) ferri." Seneca autem, qui fuit avunculus eius, quia ex abrupto inchoabat, hos septem versus addidit: „Bella per Emathios" usque „et pila minantia pilis" [6]).

Haec vita edita est a C. F. Webero, Progr. Acad. Marburgensis a. 1858 (Vitarum M. Annaei Lucani part. 3) et C. M. Francken, Mnemosyne XVI (1888) p. 394 sq. *Invenitur in folio* 46, *ultimo codicis et agglutinato, scripta manu saec. X.*

---

[1]) 1ª *m.*: obiecto.

[2]) MS. accessiri; *infinitivus* 4ªᵉ *coni. huius verbi esse videtur accersiri aut arcessiri.*

[3]) *Immo*: patruo.

[4]) *Haec*: sciendum *et rell. partem efficiebant commentarii ad initium I libri, cum quo haec vita coniuncta est.*

[5]) *Corr. in*: licencia.

[6]) *Fabulam hanc aliquatenus defendit Weber, dum pro philosopho Seneca, iam ante Lucanum mortuo, eius patrem Melam parum probabiliter substituit,* de dupl. Phars. exordio p. 11.

EPITAPHION LUCANI [1].

Corduba me genuit, rapuit Nero, proelia dixi,
Quae gessere pares, hinc socer inde gener.
Continuo numquam direxi carmina ductu,
Quae tractim serpant: plus mihi comma placet.
Fulminis in morem quae sunt miranda citentur:
Haec vere rapiet dictio, quae feriet.

[1]) *Sic inscripti versus in codd. aut*: Lucanus de semet ipso.
Versus hos ediderunt recentiori tempore H. Usener in Comm. Bern. p. 6, sq., Riese Anth. 668, Baehrens poet. Lat. min. V N^0 LXXIV, Hosius editionis p. 338. *Extant in multis codd. etiam in antiquissimis* MEVBG, *item in* A (Ashburnhamensi) *et* K (Cassellano), *quorum* (*praeter B*) *novas collationes habui. Selectam varietatem addidi. In A versus hi scripti sunt manu saec. XI aut XII*; *primus ibi periit.*

Versum 1 *indicavit Usenerus apud Aldhelmum p.* 240 *G* (*p.* 528 *M*); 1um et 2um *idem in* glossis Aurelianensibus cod. Lugdunensis. V. 3 derexi *Baehrens.* V. 4 serpant AG, Turicensis saec XI, serpunt R Monac. saec. XI, serpat MEB, serpit KV, coma AE et alii. V. 5 *variatur ut semper paene*: fluminis, fulminis, hoc AEGKMVU alii. V. 6 vero U_1VG, sapiat G, rapiet *ex corr.* A (1^a m. sapiet); *pro*: feriet G *et alii* fieret: cf. Chatelain pl. CLVII (livr. 12, 1897).

Versus hos Sidonii Apollinaris esse suspicatur Baehrens, quo vereor ut digni sint. Primi duo imitantur epitaphium Vergilii ap. Donatum Vita Verg. p. 63.7 (Reiff. Suet. Rell.): „Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc | Parthenope; cecini pascua rura duces", reliqui verbis obscuris, abstrusa nec apta sententia concepti sunt; hos (3—6) spurios putat Genthius de vita Lucani p. 33, versus 5,6 L. Spengelius, Usenerus. Auctor v. 3 significat sibi non placuisse carmina *uno tenore dicta*, sed *incisa*, i. e. particulatim divisa. Ad *tractim* cf. Luc. VII. 241 „exiguo tractu civilia bella" et adscripta. *Comma* technicum vocabulum de oratione (latine *incisum*; oratio κατὰ κόμματα opponitur periodo), hoc loco dicitur de materiae distributione, per particulas distributa, abrupta, id quod plane alienum ab epica vel historica poesi, cuius character est diegematicus, semper narrationem continuans, proinde etiam a Lucani carmine. Sed speciem tamen hoc iudicium habet, si Lucanum opponas Vergilio. Vergilius ut lenis fluvius tacito labitur amne, Lucanus tanquam torrens amat abrupta; in orationibus praecipue vin-

culum saepe desideratur; ab una ad alteram regionem subito transit. Illustratur sententia v. 5 et 6, ubi *fluminis* plane absonum et contrarium superioribus. V. 6 *rapiet* aptius est quam *sapiet*; nempe = ducet. Dictio quae ferit est quae subito sine praeparatione aut vinculo offertur inexpectata; talis *rapit* auditores. Exaggeratum iudicium hoc, et dignum est grammaticastro Lucanum admirante. — Versus spurios dicere hos, qui nullum auctorem mentiuntur, ineptum est; non ita discordant inter se ut unius auctoris esse non possint, sed transitus ad tertium est admodum laxus. Intellegetur e dictis mihi non probari Baehrensii lectionem v. 4 „quae tractim *serpat*, plus mihi comma placet", hoc pugnat cum significatione vocabuli *comma* (quod feminini generis vult ut *schema*).

EPILOGUS

EX COD. 546 BIBLIOTHECAE RICCAEDIANAE FOL. L. IV. 12.

Ponimus hic metam, ne vituperate poetam
  Si finem posuit hic ubi non decuit.
Qui quia lenonem monstravit esse Neronem
  Illius gladium sensit ad exitium.
Sic huius belli multi periere libelli:
  Perscriptis decem sensit adesse necem.

Accepi ab amicissimo J. van der Vliet. Supra scriptum „in hoc auctor excusatur praeventus morte". V. 1 cod. pō rm⁹ i. e. postremus *manifesta corruptela*. Vituperate ex necessitate prima producta ut mīseriis et alia apud Claudium Marium Victorem, cf. etiam Mullerus de Re Metr. p. 440[2]. Cod. vituperare. V. 4 cod. gradium, adesitium. V. 6 perscriptis v. d. Vliet; proscriptis cod.

INDEX ANNOTATIONIS [1]

[1]) Numeri sunt annotationis.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Indicati sunt loci Lucani e vol. V Corporis Glossariorum Latinorum ed. Goetz, quod ad vol. I adhiberi nondum poterat; porro suppleta Var. Lect. (per *O vulgo*) ubi hoc indicium, in Annotatione quoque positum, in Var. Lect. repetendum non putaveram; denique Weisiani textus falsas aliquot lectiones, quae me nolente subrepserant, removi.

Vitia typographica perpauca sunt.

Vol. I.

p. 2 V. L. versu penult. leg. 7. 10 pro 7. 13
„ 5 V. L. v. 3 leg. mixtis O.
„ 7 V. L. dele: male VU(Stht)
„ 8 v. 130 longoque — ducem (131) l. CGl. V. 188
„ 17 306 nemus omne (sic) l. Placidus cod. Par. CGl. V. 120
„ 20 V. L. leg. **341** cum duce OTL vulgo.
Ib. ad 341 add. vid. vol. I. XLI
„ 22 V. L. ad 397 add. l. Placidus Cod. Par. CGl. V. 112
„ 26 V. L. 461 capaces O vulgo
Ib. V. L. 463 leg. crinigeros O vulgo. Cirrigeros Lips.
„ 31 v. 571 leg. maenibus
„ 32 v. 580 leg. e medio
Ib. V. L. dele: **580** e medio A
„ 33 V. L. ad **604** leg. MVA
„ 35 V. L. 633 post: *pectore* l. UTA (e *in ras.*)g.
Ib. V. L. versu penultimo leg. nulla sine UmEA Prisc., nulla cum MVL (cum *in ras.*)
p. 37 V. L. **663** cur — suos (664) l. CGl. V. 221
„ 40 ad 13 leg. quae extat in MA
„ 42 V. L. **48** urbes exc. fer. l. CGl. V. 19.5
Ib. versu pen ult. dele: ignes AG
Ib. v. 57 leg. ignis.
„ 43 V. L. **61** uter imperet urbi (sic) l. CGl. V. 255
„ 44 V. L. v. 1 post Deuerling add. CGl. V. 130
Ib. v. penult. leg. 4 *litt.* M, **85** cimbris M_1B (non g), cimbri servate vulgo
„ 45 ad 89. *Actus* alii pro itinere usurpant. Cod. Vatic. saec. X CGl. V. p. 520 „iter inter vicinas (villas add.?) quatuor pedum latum".
„ 47 V. L. **126** add. neglectum O vulgo (cf. ann.)

Vol. I.

p. 48 V. L. **133** add. pararent Vulgo (cf. ann.)
„ 56 De „mori in" conferri nunc potest P. Langen ad Val. Fl. II. 641
„ 57 v. 273 leg. laetae
Ib. V. L. **275** num (sic) prael. — magni (276) l. (omisso Lucani nomine) CGl. V. 193
„ 58 V. L. **291** terra labat l. CGl. V. 214
Ib. **306** et 61.4 H, lege: et II. 61.4 H.
„ 65 V. L. **429** leg. v (pro V)
„ 69 V. L. dele ut inutile: fluviisque MVU
„ 78 ad 650 v. 2. scribe: sed „numquam patiens.
„ 82 V. L. **711** leg. paratas O vulgo (cf. ann.)
„ 84 V. L. Subscriptio, Paulus, etc. in U adest, cf. Praef.
„ 91 V. L. v. 3 post: glossarum add. CGl. V. 239
„ 93 V. L. **138** add.: permiscuit O vulgo (cf. annot)
„ 94 V. L. **140** serventur MAUG
Ib. ann. ad 143 v. 3 post collega adde: quem argum. libri III Veturium dicit, (cf. Comm.), distinguendus a Cotta, qui m. Maio (i. e. mense aut amplius post Lucani narrationem de aerario direpto) Sardiniam etiam tunc pro Pompeio tenebat (cf. ad 59), Metello suadet, rell.
„ 98 V. L. v.ult. leg. 186 (pro 136)
„ 99 V. L. **215** sic fama O vulgo (cf. ann.)
„ 101 V. L. **250** add. duces O vulgo (vid. ann.)
„ 103 v. 280 Essedoniae cf. Heins. Syll. Epist. III. 459
„ 104 Vide folium correctum 104
„ 109 v. 400 fort. aethera
„ 110 V. L. **410** add.: praebentibus O vulgo (cf. ann.)

Vol. I.

Ib. ann. ad 420 v. 3 excelsae, add. trabes.
p. 138 v. 134 leg. Venetus.
V. L. **135** l. CGl. V. 172 ubi legitur: conficitur bibola M. carta papyro
„ 143 V. L. leg. [Serg.] IV. 553. 7 K.
„ 147 V. L. **280** sica minaces l. CGl. V. 188
Ib. ann. ad 288 iniuria negavi *inducere* pro *sibi inducere* dici posse, cf. ad I. 544.
„ 148 V. L. **295** add. rastris O vulgo
„ 150 V. L. **332** ieiuna (sic) solvant l. CGl. V. 175.
Ib. **333** meroenem (sic) c. s. a. l. ib.
„ 154 ann. ad 420 add. cf. Iuvenalis 15. 127, Strabo XVII. 1. 4 et effigies Herculis in rate Berl. Philol. Wochenschrift 1897 S. 373
„ 177 V. L. **801** leg: proditura s. s. ai (supra tu) M, prodiiura s. s. ta (supra ii) A, cf. Mnem. IX. 20
Ib. V. L. **806** add. potentes vulgo (cf. ann.)
„ 180 V. L. **5** nova nomina l. CGl. V. 199
Ib. V. L. **8** belli pro munia partes l. Placidus Cod. Par. CGl. V. 118
„ 183 V. L. **62** regia lagi l. CGl. V. 143
* 184 V. L. **74** delphica Thebanae l. CGl. V. 188
„ 185/6 vid. folium correctum.
„ 190 V. L. **175** leg. flammasque (pro: flammaque)
„ 191 v. 195 dele: o. Ib. V. L. leg: [o] O
„ 193 v. 233 leg. tumidis
„ 210 V. L. **549** lurida pallens l. Placidus cod. Par. CGl. V. 114
„ 212 V. L. **588** manum AVU, manus MBG
„ 216 V. L. **660** pro: VI. 21 P^{n}" legatur: VI. 153
Ib. **663** iussa plebe, add. CGl V. 198.

Vol. I.

Ib. **671** post „Prisc. 391.7" inserendum II.

p. 221 v. 760 leg. cesserunt pectore

Ib. dele V. L. ad **760**

Vol. II.

p. 20 Ad v. 341 scholion habere videtur Placidus cod. Par. CGl. V. 126

„ 24 V. L. versu penult. ab initio excidit A, et versu ult.: cum

Ib. ann. col. 1 v. 3 supple: P^n

„ 25 v. 420 l. CGl V. 147, legens: grassatur.

„ 32 ann. v. penult. leg. XIX b[r].

„ 35 ann. ad 596 v. 9 leg. LaBat (pro LaVat.)

„ 37 V. L. **635** cess. leges (*ex*: leves *correctum*) l. CGl V. 194

„ 44 v. 1 leg. Ceres.

Ib. V. L. v. 1 pro G: O

„ 60 columna 2 v. 11 ab inf. leg. tradere

„ 61 col. 2 v. 3 l. copias

„ 80 V. L. **548** leg. non illic O vulgo.

„ 85 V. L. v. 623 leg. quis pectore tela transmittat AG, qui pectora BVUM, transmittant aVUM

„ 86 cf. Fronto ad M. Caesarem 44, p. 67. 16 Nab. „decem partibus malim" tienmaal zoo lief, Gronov. ad Cic. Fam. I. 2 (Suringar)

„ 104 V. L. v. 1 leg. currens VG

„ 106 V. L. vers. ult. dele: erinys O vulgo

„ 110 ann. ad VIII. 158. „Fortasse genitivus qualitatis iungendus cum

Vol. II.

coniuge: „coniuge stantis adhuc fati vixit quasi coniuge victo" = coniuge adhuc constanter fortunato vincente vixit quasi coniuge victo" VAN WAGENINGEN

p. 112 v. 184 leg. Syrtim

„ 114 v. 231 leg. solusque c (sic O)

„ 115 v. 243 leg. littore (sic O)

„ 116 V. L. **260** dele: quo A, quo SG

„ 118 V. L. ad **290** dolenda (quo O)

„ 121 col. 2 v. 9 ab inf. leg. distinctione

„ 137 v. 615 leg. praebere

„ 145 v. 753 fortasse: „fluctu paene *relictus*", aestus minuitur, nondum aquae recessus omnino factus est, ita ut corpus sensim fluctu relinquatur et in littore haereat" VAN WAGENINGEN

„ 149 V. L. v. ult. leg. A (pro A_1)

„ 160 col. 2, v. 4 leg. Ep. V. 5.5 p. 336

„ 166 col. 1 Ταρκονδήμοτος cf. Heberdey u. Wilhelm, Reise in Kilikiën, Wiener Akad. d. Wiss. XLIV, VI p. 28—30

„ 172 v. 334 leg. detrusit

V. L. 334 dele: detrusit CG (sic O)

„ 178 V. L. 432 add.: porrecta G.

„ 195 col. 2 v. 8 alibi quoque, add. X. 179, V. 94.

„ 211 in margine excidit: 955

„ 238 v. 293 leg. „feris — campos". Productio in caesura (*feris*) non obtrudenda Lucano. In annot. ad 293 dele: „nunc firmatum — flumen".